UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

urn:nbn:de:hbz:466:1-66272

Visual Library

Th. 5178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ, OLIM S. THEOLOGIÆ
AC SS. CANONUM LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.

CONTINUATORIS
TOMUS SECUNDUS,
SEU IN ORDINE
TOMUS XXVI.
Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431.

Cum Approbatione & Consensu Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXVIII.

Colleg. S. J. Paderb. 1768

APPROBATIO CENSORIS.

Tomulus hic Continuatoris Fleuriani in ordine editionis hujus latinæ XXVI. a R. P. Alexandro a S. Joanne de Cruce Ord. Carmelitarum Excalceatorum SS. Theologiæ Lectore latine redditus non minorem Approbationis Censuram meretur, quam Opuscula ejusdem Historiæ antea jam edita, eoquod in eo bonis moribus, & Orthodoxæ fidei nihil adversum animadvertetur, & cum præterea usus hujus Historiæ amatoribus eruditionis Ecclesiasticæ plurimum prodesse valeat, idcir-

hanc, & ſubſequentes Continuationes publica luce dignas cenſeo. Auguſtæ Vindelicorum die 15. Novembris 1767.

(S. L.)

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Haſſiæ, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Joſephus Herz,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccleſ. Viſit. per Diœceſin generalis, Reverend. Conſiſt. Aſſeſſor, ac Libr. Cenſor.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Absoluta, quam Fleurius Abbas ipsus conscripsit, Ecclesiæ Historia, accipe, benevole Lector, ejusdem operis Tomum XXV. & XXVI. seu continuationis Latine redditæ Partem I. ac II. Utraque continuati, ac demum per Martini V. electionem extincti schismatis, quod tamdiu tamque atrociter Ecclesiam vexabat, Historiam exhibet:

Ubi non ſine ſtupore perſpicies, ad tollendam exitialem hanc ſciſſionem duo Concilia, Piſanum, & Conſtantienſe fuiſſe convocata; feneſcente tamen ſchismatis malo ex ipſismet hiſce Synodis nova exorta eſſe diſſidia, illaque eo magis periculoſa, *quo vera Religio nullius rei prætextu crudelius oppugnatur, quam ipſius Religionis ſpecie.* Equidem ab initio tam Piſani, quam Conſtantienſes Patres vero Religionis Zelo animati convenere; Piſani, ut hanc pertractarent quæſtionem, an ſibi liceret, invitis Pontificibus Gregorio XII, & Benedicto XIII. tum Romanam ſedem ſimul occupantibus, Generale Concilium convocare, hosque Pontifices exauctorare; Conſtantienſes vero, ut media pro tollendo ſchismate a Piſanis tentata efficacius effectui darent. Interim tam hi quam illi auctoritati Pontificiæ litem

move-

movebant, ac non ſine gravi Eccleſiæ præjudicio novæ contentionis fomitem ſubminiſtrabant, non tam horum Patrum culpa, quam perverſa illorum voluntate, qui poſtea remedium, quod tunc temporis infirmo corpori neceſſarium erat, ſano capiti adhibebant, & quidem ſub ſpecioſo medendi, illudque reformandi obtentu, re tamen ipſa ex privati, ſuique commodi, atque ambitionis ſtudio. Enimvero Petrum de Luna, qui ſe Benedictum XIII appellabat, Papatui (uti tamen juraverat) cedere recuſantem, velut Schiſmaticum loco movere, opportuna erat medicina; ſed jam in ipſo illius uſu non levis erat medentium error; num enim, ut vulnus ſanaretur, ſanum quoque abſcindendum erat caput, atque exauctorandus Gregorius Papa legitimus, cui pleraque, eaque nobiliſſima Chriſtianæ Reipublicæ

membra perfecta adhuc unione adhærebant? Inde autem factum, ut utriusque Pontificis exauctoratione non modo schisma extinctum non fuerit, sed post Pisanam Synodum trium omnino capitum longe deformius Ecclesiæ monstrum appareret; non aliam ob caussam, quam quia, ut Lucanus cecinit:

Excessit medicina modum, nimiumque secuta est,
qua morbi duxere manus.

Pisanis igitur concordiam reducere, nequidquam conantibus, ingravescente nihilominus malo fortius adhiberi debuit remedium; Ergo Synodus Constantiam convocatur; quippe haud ignorabant Patres, quod Gregorii XII, & Benedicti XIII depositio fuerit res *facti*, an vero *juris* adhuc graviter dubitabant; *duæ enim obedientiæ* (inquit Petrus de Alliaco Constantiensi Synodo præsens) *hos Pontifices de Papatu non juste, nec*

cano-

canonice depositos, PROBABILITER tenent: quippe, *licet* (ait idem in quodam scripto Constantiensibus Patribus oblato) *Concilium Pisanum probabiliter credatur universalem repræsentasse Ecclesiam; propter hoc tamen non est necessario concludendum, quod a quocunque fideli sit firmiter credendum, illud Concilium errare non potuisse* (*). Quapropter Constantienses Patres Gregorium adeo non pro depositio habebant, ut etiam ejus Cardinalibus omnem honorem exhiberent, ac Sessione IV. ultro concederent, ut idem Papa Synodum nomine suo per Legatum indiceret, ac Sessione XXV idem Concilium convocaret, atque confirmaret; non quidem ut *amore pacis aliquid fastui Gregorii indulgeretur*, ut inquit Continua-

(*) *Apud Vonder Hardt tom. 2. post medium pag. 201.*

tor (*) Maimburgum ſecutus, qui id fuiſſe factum comminiſcitur, ut Papa *Synagogam ſuam cum apparatu, pompaque funeraret;* id enim fuiſſet indulgentia, ac ſimulatio potius Hiſtrionum digna theatro, quam ab Univerſalis Synodi gravitate præſumenda. Præterea hæc Pontificum exauctoratio adeo Patribus non probabatur, ut Piſanæ Synodi acta, quamvis id nonnulli peterent, confirmare detrectarent (**); prius enim tentandum exiſtimabant, an *dubii* Pontificis auctoritas Synodi Oecumenicæ decretis jure ſubjici poſſet. Ad hoc tum temporis anſam præbebat clandeſtina Joannis XXIII fuga; eo enim abeunte Synodus, cum ex ſuis æmulis ſolus ad illam veniſ-

(*) *Hiſtoriæ Fleury continuatæ tom. XXVI. Lib. CIII. §. XC. fol.* 112.

(**) *Ibidem lib. CII. §. CXVI. fol.* 399.

veniſſet, ſine Capite permanſerat; proin diſſoluta credebatur. Attamen, cum apud quatuor Nationum Deputatos ſtatutum eſſet, quovis demum pacto curare, ut eorum conventus continuaretur, ac pro Generali Synodo haberetur, in Seſſione IV, cui tamen ſeptuaginta duntaxat Epiſcopi interfuere (*), deliberant, atque concludunt, quod Papa in his, quæ pertinent *ad fidem, & ſchiſmatis extirpationem* Univerſali Concilio obedire teneatur. En! legitimæ Synodicæ poteſtatis uſum in ejusmodi caſibus. Hoc tamen nonnulli haud contenti, illa quoque verba: *& ad reformationem Eccleſiæ in Capite, & membris*, adjici poſtulabant. Tantam ſibi auctoritatem a paucis ex una Eccleſiæ parte (excluſis Gregorii XII, & Benedicti XIII adhærenti-

(*) *Acta Concilii apud Vander Hardt tom. 4. p. 73.*

rentibus) arrogari, Cardinales numero viginti duo, Oratores Gallici, totaque Italorum Natio ægerrime ferebant, præcipue quod ſacro Cardinalium Collegio tanti momenti decretum, nequidem ad deliberandum fuiſſet oblatum. Unde *renuerunt Cardinales, Gallicique Oratores Seſſionem adire, niſi in primo decreto illa verba* de reformatione Eccleſiæ in capite, & membris *delerentur*, quod etiam communi omnium ſuffragio acceptatum eſt.

Prævaluit tamen quorumdam perverſitas, qui altera die contra datam fidem eadem verba aſſuere præſumpſerant; qua fraude comperta Cardinalis Florentinus, ubi decretum publice prælegit, hæc verba ex condicto (utpote perperam intruſa) ſuppreſſit. Verum tamen, ut ſcribit Plinius, *recta ingenia a pravo conſilio retrahit verecundia, perverſa*

verſa confirmat audacia, ita quidam arrogantiores ſolius audaciæ, atque importunitatis præſidio fulti, tumultuarie, ac neglecto tam gravis negotii maturo examine, atque inſuperhabita ſanioris partis oppoſitione, ac *Cardinalium, & Oratorum Regis Franciæ proteſtatione in Camera paramentorum Palatii Conſtantienſis ſecreto facta*, hanc clauſulam (prius omiſſam) Seſſionis V. decreto intrudunt. Quo facto tripudiant, ac velut de capta præda triumphant: canunt tamen triumphum ante victoriam. *Plerumque enim*, Livio teſte, *audacium conſilia prima ſpecie læta, progreſſu dura, eventu triſtia eſſe ſolent.* Ita quoque hi ſua petulantia paulo poſt Eccleſiam novis litibus implicantes, demum ipſimet decretis ſuis Oecumenicæ legis prærogativam abſtulerunt, imo nequidem utraque hac conſtitutione tantum efficere

cere potuerunt, ut ejus auctoritas ad ipsum schismatis casum efficax censeretur.

Ceterum hisce decretis nondum veri, certi, ac legitimi Pontificis auctoritas labefactata fuerat; quippe Sessionis IV. Constitutio (prout a Synodo concipiebatur) Papam duntaxat in rebus fidei errantem, ac in schismatis casu Generalis ac legitimi Concilii auctoritati subjiciebat; quæ Synodi potestas haud amplius in dubium vocatur; quintæ vero Sessionis decretum, quamvis Papæ personam Synodi judicio, ac correctioni submittat, nullius tamen auctoritatis est, utpote *conciliariter* haud factum, nec unquam approbatum (*). Præterea idem decretum duntaxat, ad temporis, statusque, in

(*) *Vide summam P. Billuart tom. 2. dissert. 4. artic. VII, & VIII. fol. mihi* 123.

in quo tum Eccleſia, fervente ſchismate, verſabatur, rationem reſtringitur, ut liquet ex ipſismet utriusque decreti verbis, necnon ex repugnantia Theologorum; Hi enim ante Seſſionem VII. in quadam congregatione Petro Alliacenſi, qui errores Wicleffi *nomine Synodi* damnandos contendebat, ſeſe acriter opponebant, aſſerentes, *Conſilium per ſe nullam habere auctoritatem, niſi ex capite, proin non debere ſententiam ferre neque definire tanquam principale, ſed* CAPUT CONCILIO CONSENTIENTE. Utiliter hanc in rem conſuli poteſt Diſſertatio Hiſtorico-Theologica Rmi D. Matthæi Petitdidier Macrenſis Epiſcopi.

Hæc itaque erat vera Conſtantienſis Concilii mens, atque ſententia; Verum nec hic ſtetit remedii importune adhibiti incommodum; Baſileenſes enim ſupremam ſibi auctoritatem arrogandi libidine

ſtimu-

ſtimulati Conſtantienſium Decreta ad quodcunque Generale Concilium, atque adverſus Papam etiam certum, verum, ac legitimum Seſſ. II. extendere haud dubitabant; quam tamen doctrinam pluribus confutare, haud operæ pretium eſſe arbitramur; nemini enim perſuaſum eſt, ejusmodi opinionem ab *Oecumenicæ* Synodi oraculo profluxiſſe; nec ipſimet Eccleſiæ Gallicanæ Præſules omni laude longe ſuperiores, qui juſſu Caroli VII. Regis apud Bituriges celeberrimum illum conventum habebant, Baſileenſis Synodi decreta circa Concilii auctoritatem Papa ſuperiorem, ad verum, legitimum certumque Pontificem extenſa acceptarunt; quapropter in §. VIII. Sanctionis ſuæ Pragmaticæ diſertis verbis ita ſeſe exprimunt: *Univerſali Synodo ejusque definitionibus & Decretis omnis Catholicus, etiam Romanus*

nus Pontifex, EATENUS OBEDITO, QUATENUS FIDES, ET SCHISMATUM *explodenda ſeditio poſtulat* (*). Ecce! ad quosnam caſus Venerandi hi Præſules hanc legem, licet ad Baſileenſis Synodi auctoritatem, Pragmaticam ſuam ſanctionem inſtruxerint, reſtringendam cenſebant; imo nequidem Gallicorum Epiſcoporum conventus Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo celebratus ad firmandos ſuos articulos hujus Concilii auctoritate dicto modo uti dignabatur; cujus enim ponderis apud Orthodoxos haberentur ejusmodi decreta, quæ non modo a nullo Papa approbata, ſed omnium Pontificum uſu, ac ſententia re-

(*) *Vide apud Argentréum tom.* 1. *part.* 2. *fol.* 233. *in Collect. judicior. de novis erroribus. Ubi Pragmaticæ capita absque erratis edita reperies, ut ipſe teſtatur.*

rejecta, ab ipsis quoque Generalibus Conciliis Florentino, & Lateranensi damnata, atque a tot Viris sanctissimis tum illi conciliabulo præsentibus abominationi habita fuere (*). Equidem Basileenses, ut suæ opinioni quandam auctoritatis speciem conciliarent, Eugenium IV. ad irritandam Synodi dissolutionem gravi metu compellebant; quin etiam eo inscio approbationis literas divulgabant, ut testatur Cardinalis Turrecremata omnium, quæ in hoc conciliabulo gesta fuere, testis occulatus: nil tamen inde auctoritatis Basileensium ausibus accrevit; Eugenius enim, ut legitur in literis *adhæsionis* hanc conditionem disertis verbis adjecit: *Si tamen contra Sedis Apostolicæ auctoritatem, atque*

(*) *Hanc in rem utiliter consuli poterit Hieremias de Benitiis tom.* 1. *de privilegiis Pontificum part.* 1. *art.* 4.

atque libertatem gesta prius a Synodo tollantur. Nicolaus vero (si forte & ab illius Bulla auctoritatis vim emendicare non erubescant) nonnisi pœnarum, quibus Eugenius Basileenses perstrinxerat, revocationem, necnon concessarum ab eo gratiarum confirmationem amore pacis indulsit.

Quapropter merito cum Macrensi Episcopo concludendum censeo (*): *Quod omnes probi ac veri Catholici nunquam Concilii Basileensis mentionem facere deberent, nisi ut illius principia rejiciant, illiusque agendi modum, & callem damnent, sed potius oculos in Synodum Tridentinam, velut in archetypum conjiciant.*

Hæc præsenti versionis meæ Tomo præfigere statui, eo animo, ut benevo-

(*) *Dissertat. Historico-Theologica de mente Concil. Constant. cap.* 6.

lus Lector, ubi in progreſſu hujus Hiſtoriæ Decreta Seſſionis IV & V, atque exinde promanantes ſententias plenis buccis deprædicari, ulnisque ambabus apprehendi perſpexerit, uno velut obtutu cognoſcere valeat, quantæ demum illa tam in ortu, progreſſu, quam in exitu ſuo auctoritatis exiſtant. Ceterum hæc quæſtio juſtis plurimorum Scriptorum voluminibus usque adeo diſcuſſa reperitur, ut Lectoris magis exactam hac ſuper re notitiam quærentis deſiderium facili negotio expleri valeat (*); Mirum igitur videtur, qua ratione nonnulli ſuum huic opinioni patroci-

(*) *Non erit extra conſilium præter alios hoc ſuper argumento conſulere P. Gallum Cartierum, qui in ſuo tractatu de auctoritate, & infallibilitate ſummorum Pontificum ſatis ſolide Benignum Boſſuet, & Turnelium confutavit.*

trocinium indulgere velint; cum tamen ea per quatuordecim omnino sæcula ab Universali Ecclesia haud cognita, primum exitialis schismatis occasione a Gersonio, Petro Alliacensi, aliisque paucis, adinventa, a cunctis Christiani Orbis nationibus rejecta sit, ac nonnisi spuriis, dubiisque Conciliis, atque argumentis mere negativis innitatur; interea vero ea sententia (ne dicam, fidei dogma) deferatur, quæ tamen unanimi tam retro actorum, quam noviſſimorum sæculorum consensu firmata, ac ceterarum Universalium Synodorum, summorumque Pontificum auctoritate stabilita esse constat. Olim, inquit Valerius Max: *Maximum erat studium antiquis non solum observandæ, sed etiam amplificandæ Religionis*; sique, ut canit Alcimus Avitus: *Sit suspecta novum, quæ pandit semita callem*, quanto magis timeatur, si in rebus, quæ

ad fidem accedunt, relicta tuta, trita, ac certa ſemita ad bivium minus tutum, dubium, atque incertum declinetur. Hæc aliorum reflexioni relinquens, profiteor, me hæc eo tantum animo adduxiſſe, ut ſi forte in duobus hiſce tomis nonnulla delicatiores Germano-Romani Catholici oculos offendant, mentem meam ex hisce generatim dictis colligere, & ſi quæ emendanda, ipſus emendare poſſit; cuncta enim annotationibus ſigillatim caſtigare, inſtituti mei rationem excederet.

CON-

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CIII.

§. 1. Joannes Huſſus in quadam arce cuſtodiæ traditur. Pag. 1

§. 2. Hieronymus Pragenſis Conſtantiæ. 2

§. 3. Securitatis literæ ab Hieronymo Conſtantia profugo petitæ. 3

§. 4. Hieronymus in Bohemiam reverſus. 4

§. 5. Fridericus Dux Auſtriæ Imperio proſcriptus. 5

§. 6. Papa relicto Lauffenburgo Friburgum profugus. 6

§. 7. Congregationes ad proſequenda Synodi negotia. 7

§. 8. Epiſtola Synodi Apologetica ad univerſos Chriſti fideles. 9

§. 9. Manuelis Chryſoloræ obitus. 10

§. 10. Seſſio ſexta Concilii Conſtantienſis. 11

§. 11. Papa per Deputatos ad Synodum revocatus. 12

§. 12. Securitatis ſponſio a Synodo Hieronymo Pragenſi facta. 13

§. 13. Famoſi libelli damnantur. 14

§. 14. De Cardinalium excluſione a quibusdam Congregationibus. Ibid.
§. 15. Epiſtola Pariſienſis Univerſitatis ad Synodum, Papam, & alios. 15
§. 16. Diſceptatio Theologorum de modo concipiendi Decreta. 16
§. 17. Scriptura Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis. 18
§. 18. Mandata Cardinalibus Friburgum ad Papam ituris data. 19
§. 19. Deputati abeunt, Briſacci Papam adituri. 20
§. 20. Hieronymus Pragenſis captus, & Conſtantiam ductus. 21
§. 21. Imperator Auſtriaco reconciliatus, ea lege, ut Pontificem reduceret. 22
§. 22. Reditus Synodalium Deputatorum ad Papam. 24
§. 23. Abdicationis formula a Concilio rejecta. 25
§. 24. Seſſio VII. 27
§. 25. Citatio Joannis XXIII. Papæ. Ibid.
§. 26. Synopſis Hiſtoriæ Wicleſi. 29
§. 27. Seſſio VIII. 35
§. 28. Quadraginta quinque Wicleſi articuli a Synodo damnati. 36
§. 29. Cur Concilium ſingulas propoſitiones ſpeciali ſua cenſura non perſtrinxerit? 41
§. 30. Nationis Germanicæ congregatio. 43
§. 31. Tres Cardinales Scaphuſia Conſtantiam reverſi. 44
§. 32. Dux Auſtriæ Cæſari reconciliatus. Ibid.
§. 33. Duo Epiſcopi cum Burgravio Friburgum ablegati, Pontificem reducturi. 47
§. 34. Commiſſarii ad pacem Polonos inter & Teutonicos ſtabiliendam denominati. 49

§. 35.

§. 35. Seſſio IX. 50
§. 36. Joannis XXIII. mandatum ceſſionis a Synodo rejectum. 51
§. 37. Commiſſarii ad formanda judicii acta dati. 52
§. 38. Bulla ceſſionis a Gregorio XII. Papa ad Synodum miſſa. Ibid.
§. 39. Conventus Commiſſariorum ad examinandos teſtes adverſus Joannem. 53
§. 40. Seſſio decima. Joannes contumax ac ſuſpenſus declaratur. 54
§. 41. Sententia ſuſpenſionis contra Joan. XXIII. 55
§. 42. Error de Communione ſub utraque ſpecie a Jacobello in Bohemia divulgatus. 56
§. 43. Joannis Huſſi vindiciæ a Nobilibus Bohemiæ Synodo porrectæ. 58
§. 44. Judicii acta adverſus Joannem Papam. 59
§. 45. Accuſationum capita adverſus Papam. Ibid.
§. 46. Epiſcopus Littomislienſis auditus. 61
§. 47. Ejusdem reſponſum. Ibid.
§. 48. Joannes Papa ad Ratolfi-cellam ductus. 62
§. 49. Nationum Congregatio ad audiendos Bohemiæ Deputatos. 63
§. 50. Suſpenſionis ſententia Joanni Papæ per Synodi Deputatos denunciata. 64
§. 51. Hieronymus Pragenſis coram Concilio. 65
§. 52. Carceri incluſus. 66
§. 53. Nationum conventus in cauſſa Joannis Papæ. Ibid.
§. 54. Accuſationum articuli contra Papam approbati. 68
§. 55. Plena ſubmiſſio a Joanne promiſſa. 69
§. 56. Alii adhuc ad Joannem Deputati. 70
§. 57. Epiſtola Joannis ad Imperatorem. 71

§. 58. Congregatio de itinere Cæsaris. 72
§. 59. Sessio XII. 73
§. 60. Sententia depositionis in Joannem promulgata. Ibid.
§. 61. Concilii Decretum de electione novi Pontificis. 75
§. 62. Depositionis sententia a Joanne acceptata. 76
§. 63. Joannes Gottlebiam, inde Heidelbergam delatus. 77
§. 64. Synodi agendi ratio Gallis non probatur. Ibid.
§. 65. Sollicitudo Imperatoris circa administrationem bonorum Ecclesiasticorum in Germania. 79
§. 66. Libellus supplex pro Joanne Husso a Bohemis oblatus. 80
§. 67. Responsum Patriarchæ Antiocheni ad Bohemorum libellum. Ibid.
§. 68. Deputati ad Joannem Hussum ei palinodiam suasuri. 81
§. 69. Joannes Hussus primo auditus. 83
§. 70. Idem altera vice auditus. Ibid.
§. 71. Accusationum capita adversus Joannem Hussum, ejusque responsiones. 84
§. 72. Hussus ab Imperatore ad retractandum monitus. 85
§. 73. Joannes Hussus tertio auditus. 87
§. 74. Articuli ex libris Joannis Hussi deprompti. 88
§. 75. Hussus ad retractandum a Cæsare incassum admonitus. 93
§. 76. Idem in carcerem reductus. 94
§. 77. Formula retractationis Husso transmissa. 95
§. 78. Joannes Hussus obstinate errores suos revocare renuit. 96
§. 79. Theologorum conclusiones circa communionem sub utraque specie. 97

§. 80.

§. 80. Cauſſa Joannis Parvi ventilata. 98
§. 81. Epiſtola Burgundiæ Ducis ad Nationis Gallicæ Deputatos. 99
§. 82. Ejusdem literæ ad Imperatorem & Concilium. 100
§. 83. Joannis Parvi cauſſa in Congregatione a Gerſonio propoſita. 101
§. 84. Seſſio decima tertia. Decretum adverſus Communionem ſub utraque ſpecie. 103
§. 85. Commiſſarii ad cauſſas fidei nominati. 105
§. 86. Epiſcopus Atrebatenſis ſeſe Joannis Parvi condemnationi opponit. 106
§. 87. Carolus de Malateſtis Conſtantiam venit. 108
§. 88. Congregatio in cauſſa Joannis Parvi. 109
§. 89. Joannes Huſſus ad retractandos errores ſuos ſollicitatus. 110
§. 90. Seſſio XIV. 111
§. 91. Cæſar hujus Seſſionis Præſes. 112
§. 92. Diploma ceſſionis a Gregorio XII factæ. 113
§. 93. Idem a Synodo approbatum. 114
§. 94. Initium Seſſionis XIV. 115
§. 95. Plura Decreta in Concilio perlecta 116
§. 96. Ceſſio Papatus nomine Gregorii XII. a Carolo de Malateſtis facta. 118
§. 97. Gregorii ceſſio a Synodo acceptata & approbata. 119
§. 98. Gregorius Arimini Papatum exuit. 120
§. 99. Petrus de Luna a Synodo ad cedendum ſollicitatus. Ibid.
§. 100. Cæſaris ad Joannem Huſſum Oratores. 122
§. 101. Polonorum ſcriptum adverſus Equites Teutonicos. 123
§. 102. Seſſio XV. 124
§. 103. Decretum Synodi ſilentium imperantis. Ibid.

§. 104.

§. 104. Joannes Huſſus coram toto conſeſſu. 125
§. 105. Sententia Joannis Huſſi condemnatoria. 127
§. 106. Huſſus degradatus. 128
§. 107. Judicio ſæculari traditur. 129
§. 108. Joannis Parvi propoſitio damnata. Ibid.
§. 109. Bulla adverſus membrorum Synodalium aggreſſores. 131
§. 110. Huſſus ad rogum deductus, & combuſtus. 132
§. 111. Scripta Joannis Huſſi. 134
§. 112. Judicium hæreticorum de geſtis Concilii in cauſſa Huſſi. 135
§. 113. Synodi cauſſa ab orthodoxis vindicata. 136
§. 114. Seſſio XVI. 138
§. 115. Statuta particularia hujus Seſſionis. 139
§. 116. Decretum contra Carolum de Dueil, & Henricum de Turre. 140
§. 117. Seſſio XVII. 141
§. 118. Ceremoniæ in diſceſſu Imperatoris obſervatæ. Ibid.
§. 119. Decretum Synodi in favorem Angeli Corarii. 142
§. 120. Aliud decretum pro ſecuritate Imperatoris. 143
§. 121. Miſſa, & ſupplicatio pro felici itinere Cæſaris indicta. 144
§. 122. Hieronymus Pragenſis ſecundo examinatus. 145
§. 123. Oratio Gerſonii pro itinere Cæſaris. Ibid.
§. 124. Epiſtola Synodica ad Bohemos de Huſſi ſupplicio. 146
§. 125. Literæ ſupplices Regis pro Canonizatione trium Beatorum. 147
§. 126. Repulſa Sueciæ Regi a Synodo data. 149

§. 127.

§. 127. Seſſio XVIII. Ibid.
§. 128. Plura decreta perleguntur. 150
§. 129. Conſultatio Synodi adverſus Turcarum progreſſus. 151
§. 130. Libellus Gerſonii in cauſſa Joannis Parvi Synodo oblatus. 152
§. 131. Scripta contra Gerſonium, Petrum de Alliaco, & Imperatorem. 153
§. 132. Alius Gerſonii Libellus. 154
§. 133. Epiſcopi Attrebatenſis altercatio cum quodam Galliæ Legato. 155
§. 134. Libellus Atrebatenſis Epiſcopi pro Aſſertionibus Joannis Parvi. 156
§. 135. Apologia Joannis de Rocha pro Joanne Parvo. 157
§. 136. Gerſonius de erroribus contra fidem accuſatus. 158
§. 137. Ejusdem vindiciæ. 161
§. 138. Epiſtola Epiſcopi Atrebatenſis ad Collegium Cardinalium. 164
§. 139. Alia ſcripta pro Joanne Parvo. 165
§. 140. Cæſar Perpiniani. 165
§. 141. Seditio in Bohemia ob Huſſi ſupplicium. 167
§. 142. Epiſtola Nobilium Bohemiæ ad Synodum. Ibid.
§. 143. Hiſtoria Ziſchæ Huſſitarum Ducis. 168
§. 144. Subjectio ab Hieronymo Pragenſi promiſſa. 169
§. 145. Seſſio XIX. 171
§. 146. Hieronymi Pragenſis recantatio. Ibid.
§. 147. Decretum ad FF. Minores, necnon aliud de ſecuritatis publicæ literis. 174
§. 148. Confirmatio Bullæ Carolinæ. 175
§. 149. Alia decreta. 176

§. 150.

§. 150. Cardinalis Parenſis obitus. 177
§. 151. Hieronymus Pragenſis facta etiam retractatione Synodo ſuſpectus. 178
§. 152. Tractatus Gerſonii de Proteſtationibus hæreticorum. 179
§. 153. Seſſio XX. 181
§. 154. Samogitarum oratores Conſtantiæ. 182
§. 155. Tractatus Gerſonii de Simonia. 183
§. 156. Epiſtola Angeli Corarii ad Synodum. 184
§. 157. Argentinenſis Epiſcopi cauſſa in Synodo ventilata. 185
§. 158. Congregatio nationum in cauſſa Reformationis Eccleſiæ. 186
§. 159. Belli apparatus in Anglia adverſus Gallos. 188
§. 160. Huneflotum obſidione cinctum, ac vi captum. 189
§. 161. Galli in prælio ad Azincurtium devicti. 191
§. 162. Epiſcopi Tolonienſis ſermo. 193
§. 163. Congregatio in Cauſſa Epiſcopi Argentinenſis. 194
§. 164. Plurium Principum oratores auditi. 195
§. 165. Cauſſa Joannis Parvi reſuſcitata. 196
§. 166. Benedicti XIII. conditiones propoſitæ. 197
§. 167. Ejusdem pertinacia, & Caucoliberim receſſus. 198
§. 168. Idem ſemper pertinax Coliberi Paniſcolam profugus. 199
§. 169. Reges & Proceres ab ejus obedientia deficiunt. 201
§. 170. Articuli Capitulationis Narbonenſis. Ibid.
§. 171. Plures Principes Benedicto obedientiam ſubtrahunt. 207
§. 172. Capitulatio Narbonenſis a Synodi Patribus approbata. 208

§. 173.

§. 173. Synodus, & Arragoniæ Rex a Benedicto anathemate perculsi. Ibid.
§. 174. Sigismundus Narbonna Parisios contendit. 209
§. 175. Cardinalis Fuxiensis Constantiæ. 210
§. 176. Causſa Joannis Parvi de novo agitata. 211
§. 177. Imperator in iis, quæ jura sua concernunt, nihil decidi postulat. 212
§. 178. Prosecutio causſæ Joannis Parvi. Ibid.
§. 179. Congregatio in diversis materiis. 214
§. 180. Arragonum Regis Legatus Constantiæ. 215
§. 181. Legati Galliæ contra gesta in causſa Joannis Parvi excipiunt. 216
§. 182. Austriæ Dux Constantia excessit. 217
§. 183. Judicii acta contra Joannem Parvum promulgata. 218
§. 184. Congregatio in causſa Hieronymi Pragensis. 219
§. 185. Accusationum capita contra Hieronymum Pragensem. 220
§. 186. Ferdinandi Arragoniæ Regis obitus. 221
§. 187. Joannis Parvi causſa denuo agitata. 222
§. 188. Alia Congregatio in eadem causſa. 223
§. 189. Congregationes in diversis causſis. 224
§. 190. Hieronymus Pragensis publice examinatus. 225
§. 191. Oratio ejusdem ad Synodum. 226
§. 192. Suam abjurationem revocat. 227
§. 193. Sessio XXI. 228
§. 194. Sententia adversus Hieronymum de Praga pronunciata. 229
§. 195. Hieronymus Pragensis ad rogum damnatus. 232
§. 196. Prælati absentes ad Synodum revocati. 233

§. 197.

§. 197. Epiſtola Imperatoris ad Concilium. 234
§. 198. Epiſtola apologetica Archiepiſcopi Moguntini. 235
§. 199. Theodorici de Niem obitus, ejusque opera. 236
§. 200. Oratores Luſitaniæ Regis ad alloquium a Synodo admiſſi. 237
§. 201. Epiſcopus Argentinenſis in Synodo. 238
§. 202. Latzenbogius Huſſitiſmum execratus. 239
§. 203. Epiſtola Arragoniæ, ac Caſtellæ Regum ad Concilium de Legatis Conſtantiam mittendis. Ibid.
§. 204. Huſſitæ Bohemi ad Synodum vocati. 241
§. 205. Arragonenſium Legatorum adventus. Ibid.
§. 206. Oratio Joannis Gerſonii de B. Virgine. 242
§. 207. Oratores Neapolitani auditi. 243
§. 208. Epiſtolæ Poloniæ Regis, & Magiſtri Ordinis Teutonici. 244
§. 209. Joannis Parvi cauſſa denuo ventilata. 245
§. 210. Reditus Deputatorum ad Reges Caſtellæ & Navarræ a Synodo miſſorum. 246
§. 211. Decretum Synodi circa obedientiam realem Gregorii XII. 248
§. 212. Libellus Cardinalis Cameracenſis de poteſtate Eccleſiaſtica. Ibid.
§. 213. Seſſio XXII. 250
§. 214. Concilium de quinta Natione ex Hiſpanis inſtituenda. Ibid.
§. 215. Arragonum Legati penes Galliæ oratores collocati. 251
§. 216. Arragonenſes Concilium convocant, atque in eo Seſſionem habent. 252
§. 217. Joannes de Campis propoſitiones Joannis Parvi damnari poſtulat. 253

§. 218. Synodus confluentium numero celebrior. 254
§. 219. Seſſio XXIII. 255
§. 220. Commiſſarii, qui in Benedictum XIII inquirerent, nominati. Ibid.
§. 221. Accuſationum capita adverſus Benedictum. 256
§. 222. Brunſuicenſis Ducis obitus. 258
§. 223. Seſſio XXIV. Benedictus in Synodo comparere juſſus. 259
§. 224. Comitis de Fuxo Oratores ad Synodum decreti. 260
§. 225. Seſſio XXV. Ibid.
§. 226. Seſſio XXVI. 261
§. 227. Epiſtola Synodica ad Imperatorem de Huſſitis. 262
§. 228. De Statu Franciæ in hoc anno. 263

LIBER CIV.

§. 1. Sermo & opuſculum Gerſonii. 265
§. 2. Imperator Conſtantiam reverſus. 266
§. 3. Strigonienſis Archiepiſcopus Conſtantiæ. 268
§. 4. Seſſio XXVII. 269
§. 5. Capitulum Benedictinorum Petruſii celebratum. 270
§. 6. Initium reformationis in Ordine Benedictinorum. 271
§. 7. Seſſio XXVIII. Sententia contra Auſtriæ Ducem lata. 272
§. 8. Epiſtola Deputatorum a Synodo Paniſcolam miſſorum. 273
§. 9. Reſponſum Benedicti ad Deputatos Concilii. 274
§. 10. Seſſio XXIX. 276
§. 11. Seſſio XXX. 277

§. 12. Seſſio XXXI. Diſſidia Gallos inter & Anglos compoſita. 278
§. 13. Literæ monitoriæ adverſus Comitem Virtutum. Ibid.
§. 14. Varia decreta in Synodo promulgata. 279
§. 15. Connubium Ladislai Poloniæ Regis. 280
§. 16. Huſſitarum Furor in Bohemia. 281
§. 17. Huſſitæ Wenceslai imperii excutere parati. 282
§. 18. Iidem in Taboritas, & Orphanos diviſi. 283
§. 19. Seſſio XXXII. Ibid.
§. 20. Legati Caſtellæ ad alloquium admiſſi. 284
§. 21. Caſtellæ Legatorum tricæ. 285
§. 22. Miſniæ Marchio Cæſari indignatus. 286
§. 23. Cauſſa Benedicti continuata. Ibid.
§. 24. Seſſio XXXIII. Benedictus declaratus contumax. 288
§. 25. Formula eligendi novum Pontificem a Cardinalibus propoſita. 289
§. 26. Seſſio XXXIV. 290
§. 27. Congregatio de modo eligendi Papam. 291
§. 28. Seſſio XXXV. 292
§. 29. Caſtellæ Legati Synodo aggregati. Ibid.
§. 30. Proteſtatio contra Comitem Armeniacum. 293
§. 31. Oratio de reformanda Eccleſia. 294
§. 32. Imperator Cardinalium dictis acquieſcere viſus. 295
§. 33. Tractatus Gerſonii contra Flagellantes. Ibid.
§. 34. Ejusdem epiſtola ad Vincentium Ferrerium, qui flagellantibus favere videbatur. 297
§. 35. Seſſio XXXVI. Citatio Petri de Luna. 299
§. 36. Seſſio XXXVII. 300
§. 37. Sententia depoſitionis Benedicti XIII. 301

§. 38. Sententia hæc ab universa Synodo approbata. 305
§. 39. Sessio XXXVIII. Ibid.
§. 40. Dissidia Cæsarem inter & Cardinales ob electionem Pontificis. 306
§. 41. Res Hussitarum in Bohemia. 308
§. 42. Turbæ & cædes in urbe Pragensi perpetratæ. Ibid.
§. 43. Gersonii tractatus de Communione Laicorum sub utraque specie. 309
§. 44. Epistola Imperatoris ad Bohemos. 310
§. 45. Dissidia inter Bavariæ Duces. 311
§. 46. Turbæ in Galliis. 313
§. 47. Delphini obitus. 314
§. 48. Universa ferme Normannia ab Anglis subacta. 315
§. 49. Locus pro conclavi selectus. 316
§. 50. Libellus, de necessitate eligendi Pontificem. 317
§. 51. Sarisberiensis Episcopi obitus. 318
§. 52. Congregatio Nationum pro electione Pontificis. 319
§. 53. Cæsar ob Cardinalium libellum indignatus. 320
§. 54. Altera Cardinalium congregatio pro electione Pontificis. 321
§. 55. Germanorum libellus pro reformatione. Ibid.
§. 56. Germani Cardinalibus accedere sollicitati. 323
§. 57. Natio Germana, & Imperator Cardinalibus cedunt. 324
§. 58. Cardinalis Florentini obitus. 325
§. 59. Sessio XXXIX. 326
§. 60. Decretum de celebrandis Conciliis. Ibid.
§. 61. Decretum adversus schismata. 327
§. 62. Decretum de Professione fidei a Papa emittenda. 328

§. 63. Decretum de translationibus. 329
§. 64. Decretum de ſpoliis Epiſcoporum, & de procurationibus. Ibid.
§. 65. Imperator inter Bavariæ Duces pacem conciliare ſtudioſus. 330
§. 66. Henricus Bavarus Ludovicum Patruelem ſuum vulnerat. 331
§. 67. Cardinales decretum de reformatione Pontificis electioni præponenda condere recuſant. 332
§. 68. Epiſcopus Vintonienſis Conſtantiam venit. 333
§. 69. Modus eligendi Papam definitus. Ibid.
§. 70. Seſſio quadrageſima. De reformandis a futuro Pontifice. 334
§. 71. Aliud decretum de abſentia Cardinalium Benedicti. 336
§. 72. Decretum de modo & forma eligendi Papam. Ibid.
§. 73. Gravis contentio circa Articulum de Annatis. 338
§. 74. Natio Gallica Cardinalibus Annatas urgentibus reſpondet. 340
§. 75. Præliminaria ad Conclave. 346
§. 76. Seſſio XLI. Sermo Epiſcopi Laudenſis. 347
§. 77. Capitula per Electores Papæ juranda. 348
§. 78. Nomina Cuſtodum Conclavis. 349
§. 79. Nomina Nationalium pro electione Pontificis Deputatorum. 351
§. 80. Nomina Cardinalium Conclave ingredientium. 352
§. 81. Cuncti Electores conclave ingreſſi. 355
§. 82. Cardinalis Otto Papa electus. Ejus geſta atque mores. 357
§. 83. Imperator Pontificis pedes oſculatus. 358
§. 84. Martinus V. Papa in Eccleſia Cathedrali Conſtantiæ inauguratus. 359

§. 85.

§. 85. Idem Diaconi, Presbyteri, atque Episcopi Sacris initiatus. Ibid.
§. 86. Ejus coronatio. 360
§. 87. Judæi Pontifici obsequium præstant. 362
§. 88. Papa electionem suam omnibus Principibus significat. Ibid.
§. 89. Nationes congregatæ a Pontifice reformationem Ecclesiæ postulantes. 363
§. 90. Nationis Germanæ postulata. 364
§. 91. Gregorii XII obitus. 365
§. 92. Primum Consistorium Martini V. Pontificis. Ibid.
§. 93. Sicaria cædes Constantiæ perpetrata. 367
§. 94. Fidei Professio Bonifacii VIII. a Pontifice jurata. Ibid.
§. 95. Sessio XLII. 368
§. 96. Episcopus Vintonienſis creatus Cardinalis. 369
§. 97. Sigismundus a Pontifice Rex Romanorum salutatus. 370
§. 98. Germanorum libellus de reformatione. 371
§. 99. Galli atque Hispani pariter reformationem exposcunt. Ibid.
§. 100. Reformationis schema Nationibus a Papa propositum. 372
§. 101. Delegati a duobus Benedicti Cardinalibus Constantiam missi. 372
§. 102. Lis inter Imperatorem, & Mediolanensem Ducem composita. 374
§. 103. Imperatoris Legati Basileam, Moguntiam &c. missi. 375
§. 104. Solemnis ad Benedictum Legatio. Ibid.
§. 105. Dissidia Papam inter & Arragoniæ Regem. 376
§. 106. Legatio Græcorum ad Constantienſem Synodum. 378
§. 107. Rex Poloniæ a Papa privilegiis auctus. 379
§. 108. Damnatio libri Joannis de Falckenberg. 381

§. 109. Polonorum provocatio a Papa ad futurum Concilium. 382
§. 110. Gerſonii tractatus pro Polonis. Ibid.
§. 111. Bohemia ab Huſſitis devaſtata. 383
§. 112. Articuli contra Huſſitas a Synodo decreti. 384
§. 113. Bulla Martini V. adverſus Huſſitas. 385
§. 114. Animadverſiones in primum hujus Bullæ articulum. 386
§. 115. Errores Picardorum in Bohemia. 388
§. 116. Epiſtola Papæ ad Proceres Bohemiæ. 388
§. 117. Legatus Papæ in Bohemiam venit. Deputatio Huſſitarum ad Wenceslaum. 389
§. 118. Huſſitæ, Ductore Zifcha, armati coram Wenceslao. 390
§. 119. Roſa aurea Sigismundo a Pontifice donata. 391
§. 120. Conſtitutio Papæ de non appellando a Pontifice ad Concilium. 392
§. 121. Eadem a Gerſonio impugnata. 393
§. 122. Seſſio XLIII. Decreta circa reformationem Eccleſiæ. 394
§. 123. Venetorum, & Genuenſium Legati ad Concilium. 395
§. 124. Legati a Papa in Gallias miſſi. 396
§. 125. Recrudeſcunt in Galliis diſſidia. Ibid.
§. 126. Lutetia Pariſiorum a Burgundionibus occupata. Cædes ibidem perpetratæ. 397
§. 127. Burgundiæ Dux cum Regina Lutetiam ingreſſus. 399
§. 128. De Societate Fratrum vitæ Communis. 400
§. 129. Liber Matthæi Grabonis contra hoſce Fratres Pontifici exhibitus; propoſitiones ex eo decerptæ. Ibid.
§. 130. Cardinalis Alliacenſis ſententia de propoſitionibus Grabonis. 402

§. 131.

§. 131. Gerſonii ſcriptum de eodem argumento. Ibid.
§. 132. Palinodia Matthæi Grabonis. 403
§. 133. Pactum Friderici Auſtriaci cum Cæſare. 404
§. 134. Seſſio XLIV. 405
§. 135. Quædam Bullæ Martino V. adſcriptæ. Ibid.
§. 136. Epiſcopus Leodienſis dimiſſo Epiſcopatu uxorem ducit. 406
§. 137. Archiepiſcopus Rigenſis in Epiſcopatu Leodienſi ſucceſſor. 407
§. 138. Seſſio XLV. & ultima. Finis Concilii decima ſexta Novembris Anno 1414 inchoati, & decima nona Auguſti hoc anno abſoluti. 408
§. 139. Poloni condemnationem Libri Falckenbergii urgent. Ibid.
§. 140. Repulſa Polonis a Papa data. 409
§. 141. Patribus diſcedendi facultas per Bullam data. 411
§. 142. Concordata Pontificis cum Nationibus. 412
§. 143. Decimæ ad annum Imperatori conceſſæ. 413
§. 144. Pontificis diſceſſus Conſtantiæ promulgatus. 414
§. 145. Diſceſſus ſummi Pontificis. 415
§. 146. Diſceſſus Sigismundi Imperatoris. 416
§. 147. Continuati Gallorum tumultus. 417
§. 148. Diſceſſus Electoris Brandenburgici, aliorumque Principum. 418
§. 149. Dux Burgundiæ Pontificis fautor. 419
§. 150. Mortuo Wenceslao Sigismundus Bohemiæ Rex electus. Ziſcha electionis adverſarius. 420
§. 151. Papa Mantuam, & Florentiam profectus. 421
§. 152. Martinus V. a Joanna Siciliæ Regina ut Papa agnitus. 422
§. 153. Poloniæ Regis epiſtolæ ad Martinum Papam. 423

§. 154. Perusium a Papa recuperatum. 425
§. 155. Balthasar Cossa Martino V. adhærens. 426
§. 156. Idem ante Pontificis pedes prostratus, illum tanquam Papam veneratur. 427
§. 157. Obitus Balthasaris Cossæ, olim dicti Joannis XXIII. 429
§. 158. Manfredus Dominicanus. Ibid.
§. 159. S. Vincentii Ferrerii obitus. Ejusdem opera. 430
§. 160. Dux Britanniæ captus. 432
§. 161. Hujus Ducis aggressores capitali sententia damnati. 433
§. 162. Rothomagum ab Angliæ Rege oppugnatum, captumque. 434
§. 163. Angliæ & Franciæ Regum consultatio. 435
§. 164. Delphini cum Burgundo pacis compositio. 436
§. 165. Burgundus in ponte Monterigoli ex insidiis trucidatus. 438
§. 166. Philippus paternæ cædis vindex. 439
§. 167. Emanuelis Imperatoris Filii Catholicorum Principum Filiabus desponsati. 440
§. 168. Joannes Palæologus Emanuelis Filius in consortium imperii adlectus. 441
§. 169. Emanuelis Legatio ad Papam. 442
§. 170. Neapolitani Regni jura Ludovico a Pontifice asserta. 443
§. 171. Caracciolus a Regina Legatus ad Papam missus. 444
§. 172. Pacta Papam inter & Neapolis Reginam. Ibid.
§. 173. Neapolis a Sfortia Ludovici Andegavensis nomine obsessa. 446
§. 174. Consilia cum Arragoniæ Legato de liberanda Neapolis urbe. 447
§. 175. Obsidio a Sfortia, & Ludovico Andegavensi soluta. 448

§. 176.

§. 176. Alphonſus Arragonum Rex a Joanna adoptatus. 449
§. 177. Victoria Ziſchæ. 450
§. 178. Copiæ a Sigismundo in Bohemiam miſſæ. Ibid.
§. 179. Urbs nova a Ziſcha condita ac Thabor appellata. 451
§. 180. Cæſaris exercitus ab Huſſitis cæſus. 452
§. 181. Secta Horebitarum. 453
§. 182. Sacra militia adverſus Huſſitas. 454
§. 183. Concordiæ pacta Gallos inter & Anglos. 455
§. 184. Hujus pactionis articuli. 456
§. 185. Expugnatio Senonum, Monterigoli, & Meloduni. 457
§. 186. Uterque Rex cum Reginis ſuis Lutetiam Pariſiorum ingreſſus. 458
§. 187. Delphinus a ſententia in eum lata provocat. Ibid.
§. 188. Cardinalis S. Angeli Legatus Conſtantinopolim profectus. 460
§. 189. Bracii obitus. 461
§. 190. Madera Inſula cum Indiis Orientalibus detecta. 462
§. 191. Concilium Salisburgenſe. 463
§. 192. Statuta & ordinationes ejusdem Synodi. 467
§. 193. Bononia a Pontifice recuperata. 470
§. 194. Papa Epiſcopatum Florentinum ad Archiepiſcopatum elevat, Romam venit; Ejus ingreſſus in urbem. 471
§. 195. Ziſcha altero etiam oculo orbatus. 472
§. 196. Comitia Norimbergenſia adverſus Huſſitas. 473
§. 197. Sozium a Cæſare obſeſſum: ſoluta obſidio. 474
§. 198. Huſſitarum conventus ad vindicanda eorum geſta coactus. 475

§. 199. Hujus Conventus articuli. 476
§. 200. Anglorum exercitus a Delphino profligatus. Ibid.
§. 201. Rex Angliæ Lutetiam redux. 479
§. 202. Monita cujusdam Eremicolæ ad Angliæ Regem. Ibid.
§. 203. Induciæ inter Arragoniæ Regem, & Ludovicum Andegavenſem. 480
§. 204. Urbes ab Andegavenſi captæ Alphonſo a Pontifice reſtitutæ. 481
§. 205. Alphonſus a Papa Neapolis Rex agnoſci poſtulans. Ibid.
§. 206. Idem ut Rex a Papa non agnitus. 482
§. 207. Bohemiæ Regnum ab Huſſitis Poloniæ Regi oblatum. 483
§. 208. Repulſa a Ladislao Huſſitis data. Ibid.
§. 209. Bohemiæ Regnum oblatum, & a magno Lithuaniæ Duce acceptatum. 484
§. 210. Witholdus a Bohemorum clientela per Papæ literas abſterritus. 486
§. 211. Ordinis FF. Minorum Miniſter Generalis Conſtantinopolim miſſus. 487
§. 212. Synopſis Orationis a Maſſano coram Imperatore Græcorum dictæ. 488
§. 213. Epiſtola Imperatoris Græcorum ad Papam. 490
§. 214. Henricus morbo correptus, & Lutetiam cum Regina ingreſſus. 491
§. 215. Henrici V. Angliæ Regis obitus. 492
§. 216. Caroli VI. Galliarum Regis extrema. 493
§. 217. Carolus VII. a ſuis Rex proclamatus. 495
§. 218. Mahometis I. Turcarum Imperatoris obitus. 496
§. 219. Amurates Mahometis I. ſucceſſor. 497
§. 220. Fœdus Bedfordiæ & Britanniæ Ducum, aliorumque contra Carolum VII. 498

§. 221.

§. 221. Initia Concilii Papienſis, ſeu Ticinenſis. 499
§. 222. Agitur de Synodi translatione. 500
§. 223. Concilium Senas translatum. 501
§. 224. Decreta circa fidem, & contra Wicleſiſtas & Huſſitas. 502
§. 225. De unione Græcorum. 503
§. 226. Concilium Pontificis de Synodo in aliud tempus, & locum transferendo. 504
§. 227. Neapolis Regina a Rege Alphonſo graviter offenſa. 505
§. 228. Alphonſi adoptio a Neapolis Regina ſolemniter reſciſſa. 507
§. 229. Maſſilia ab Alphonſo expugnata. Ibid.
§. 230. Ludovicus Andegavenſis a Regina adoptatus. 508
§. 231. Bellum Ducis Mediolanenſis contra Florentinos. 509
§. 232. Bellum Flandriæ [in cauſſa Jacobinæ Brabantiæ Ducis. 510
§. 233. Concilium Colonienſe. 511
§. 234. Senenſe Concilium Baſileam a Papa translatum. 513
§. 235. Epiſtola Pontificis ad Archiepiſcopum Toletanum. 514
§. 236. Decretum de Synodi diſſolutione promulgatum. 515
§. 237. Synodi diſſolutio a Pontifice confirmata. 516
§. 238. Obitus Petri de Luna, antea dicti Benedicti XIII. Pontificis. 517
§. 239. Petri de Luna ſucceſſor a duobus Cardinalibus creatus. 519
§. 240. Ægidius Munio in Papam electus aſſumpto Clementis nomine. 520
§. 241. Pacis conſilia Imperatorem inter & Ziſcham. 520

§. 242.

§. 242. Ziſchæ obitus. 522
§. 243. Huſſitæ in Taboritas & Orphanos diviſi. 523
§. 244. Montargium ab Anglis obſeſſum, ac rurſus dimiſſum. 524
§. 245. Bedfordiæ Dux Iberium capit, & Gallos profligat. 525
§. 246. Coronatio Regis Poloniæ. 526
§. 247. Jacobus Scotiæ Rex e vinculis ereptus. 527

LIBER CV.

§. 1. Cardinalis de Fuxo in Arragoniam a Papa ablegatus. 529
§. 2. Cardinalis ab Alphonſo tanquam Papæ Legatus minime receptus. 530
§. 3. Regis Arragonum poſtulata ad Legatum. 531
§. 4. Ordo Eremitarum S. Hieronymi inſtitutus. 532
§. 5. Reformatio Ciſtercienſium & S. Claræ Monialium. 533
§. 6. Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis obitus. 534
§. 7. Joannis de Curtacoxa Doctoris extrema. 535
§. 8. Ultima fata Emanuelis Palæologi Græcorum Imperatoris. 536
§. 9. Joannes Palæologus illius Succeſſor. 537
§. 10. Concilium in Dania. 538
§. 11. Fundatio Univerſitatis Lovanienſis. 540
§. 12. Alphonſus Arragoniæ Rex anathemate perculſus. Ibid.
§. 13. Inſula Cyprus ab Ægypti Sultano invaſa, & vaſtata. 542
§. 14. Cardinalium creatio. 544
§. 15. Cardinalis tit. S. Crucis Legatus ad pacem ſtabiliendam miſſus. 545

§. 16.

§. 16. Diſſidia inter Burgundiæ & Gloceſtriæ Duces. 546
§. 17. Urbs Pont-Urſo a Conneſtabili cincta, & capta. 547
§. 18. Fœdus cum Gallis a Conneſtabili reſciſſum. 548
§. 19. Huſſitis ſectæ ſuæ libertas usque ad Baſileenſe Concilium a Cæſare promiſſa. 549
§. 20. Henricus Cardinalis Legatus in Bohemiam miſſus. 550
§. 21. Angliæ Adminiſtrator Legationis diplomati obluctatus. 551
§. 22. Legatus cum exercitu ex Anglia profectus. 552
§. 23. Dubium de adventu Legati cum ſuis copiis in Franciam. 553
§. 24. Fuxienſis Cardinalis in Arragonia Legatus. 554
§. 25. Legatus ingenti pompa ab Alphonſo exceptus. 555
§. 26. Alphonſi cum Legato diſſidia. Ibid.
§. 27. Arragoniæ Rex a Legato placatus. 556
§. 28. Regis ac Cardinalis poſtulata. 557
§. 29. Poſtulata Regis a Legato Romam perlata. 559
§. 30. Legatus Romam adveniens. Ibid.
§. 31. Regis articuli ferme omnes a Papa approbati. 560
§. 32. Bellum inter Mediolani Ducem, & Venetos redintegratum. Ibid.
§. 33. Bononienſes a Papa bello invaſi, eorumque urbs interdicto ſubjecta. 561
§. 34. Bulla pro Eccleſiaſticis ad forum ſæculare non trahendis. 562
§. 35. Henrici de Haſſia, & Thomæ Walſingani obitus. 563

§. 36.

§. 36. Montargium obsidione liberatum, & Cenomanum a Gallis captum. 564
§. 37. Aurelia ab Anglis obsessa. 565
§. 38. Cardinalis de Fuxo Roma in Hispaniam redux. 566
§. 39. Alphonsi alloquium Legato denegatum. 567
§. 40. Ultimus Legati conatus ad frangendum Alphonsi animum. 568
§. 41. Cuncta Legati postulata a Rege concessa. 569
§. 42. Papatus ab Ægidio Munione abdicatus. 570
§. 43. Finis schismatis. 573
§. 44. Synodus Dertusana. 574
§. 45. Sessio I. 575
§. 46. Sessio II. 576
§. 47. Sessio III. Ibid.
§. 48. Sessio IV. & ultima. 579
§. 49. Concilium Parisiense. 581
§. 50. Hujus Synodi statuta seu Constitutiones. 582
§. 51. Concilium Rigense. 589
§. 52. Deputati Synodales Romam euntes a quodam Equite Teutonico undis mersi. 590
§. 53. Equites a Sigismundo defensi. 591
§. 54. Hussitarum vastationes. 592
§. 55. Joannis Gersonii obitus. 593
§. 56. Aurelianensis obsidionis progressus. 595
§. 57. Historia Puellæ Aurelianensis. 596
§. 58. Galli halecum currus invadentes cæsi. 597
§. 59. Joanna d'Arcia coram Carolo VII. Galliarum Rege. 598
§. 60. A Doctoribus & Parlamento Regis jussu examinata. 599

§. 61.

§. 61. Cum exercitu Bleſſam venit. 600
§. 62. Aureliam ingreſſa, urbem obſidione liberat. 601
§. 63. Regem Chinone adit. 602
§. 64. Gergolium, & Balgentiacum a Gallis recuperatum. 603
§. 65. Angli a Gallis Patay in Belſia cæſi. 604
§. 66. Rex ab Aurelianenſi Virgine Trecas delatus. 605
§. 67. Rhemis ſacro oleo unctus. 606
§. 68. Plures urbes Regis poteſtati ſubjectæ. 607
§. 69. Puella redire petens, a Rege prohibita. 607
§. 70. Lutetia Pariſiorum a Rege invaſa. 609
§. 71. Diſſidia in Galliis ob Thoracii Vicecomitatum ſuſcitata. 610
§. 72. Simeonis Theſſalonicenſis obitus. 611
§. 73. Ordo Velleris aurei inſtitutus. 612
§. 74. Compendium a Burgundis, Anglisque obſeſſum. 613
§. 75. Virgo Aurelianenſis ab hoſtibus capta. 614
§. 76. Compendii obſidio ab Anglis relicta. 615
§. 77. Legatus Pontificis in Capitulo FF. Minorum. 616
§. 78. Cenſura Facultatis Theologicæ in quasdam propoſitiones. 617
§. 79. Thomæ Waldenſis Carmelitæ obitus. 619
§. 80. Venetiarum Dux prope occiſus. 623
§. 81. Nova Legatio Joannis Palæologi ad Papam. 624
§. 82. Cardinalis Julianus Legatus in Germania contra Huſſitas. 625
§. 83. Idem Baſileam ablegatus pro celebrando Concilio. 626
§. 84. Martini V. Papæ obitus. 627

§. 85.

§. 85. Eugenius IV. in Papam electus. 628
§. 86. Seditio ad initium sui Pontificatus Romæ susciata. 630
§. 87. Legatio Cardinalis S. Angeli a Pontifice confirmata. 631
§. 88. Idem Cardinalis in Synodo præesse jussus. Ibid.
§. 89. Germanorum exercitus ad Hussitarum adventum fuga dilapsus. 632
§. 90. Hussitæ Deputatos ad Basileense Concilium mittere sollicitati. 633
§. 91. Hussitarum sententia de hoc itinere. 634
§. 92. Virgo Aurelianensis Rothomagum ducta, atque ad rogum damnata. 636
§. 93. Nominis sui fama restituta, ejusque innocentia a Pontifice vindicata. 637
§. 94. Res Anglorum inclinatæ. 638
§. 95. Henricus VI Parisiis Rex coronatus. 639
§. 96. Trimollius in captivitatem abstractus. 640
§. 97. Dissidium circa successionem in Lotharingiæ Ducatum. 641
§. 98. Cardinalis S. Crucis in Italiam redux. 642
§. 99. Maurorum exercitus a Rege Castellæ profligatus. 643
§. 100. Thessalonica a Turcis occupata. 643
§. 101. Oratores Græci Constantinopolim reversi. 644
§. 102. Amuratis Victoriæ. 645

HISTO-

Aurelianensis Virgo Franciæ Liberatrix.

Fr. Keisig Cath. Sc. A. V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CIII.

GREGORIUS XII PAPA.
SIGISMUNDUS OCCIDENT. EMANUEL II. ORIENT. IMPERATORES.

§. I.

Joannes Huſſus in quadam arce cuſtodiæ traditus.

Poſtquam in Seſſione V. de omnibus, quæ ad proſequendam Joannis Huſſi cauſſam neceſſaria videbantur, ſatis proviſum erat, Commiſſarii hanc in rem

Sæcul. XV. A. C. 1415.

Vander Hard tom. 4. pag. 66.

Sæcul. XV. A.C.1415.

nuper electi nil intentatum reliquerunt, ut Huſſum ad palinodiam permoverent; eodem quoque tempore illius accuſatores plurima errorum produxerunt capita: Is vero, licet in carcere detentus, adverſa conflictaretur valetudine, ad omnia tamen ſigillatim reſpondit. Inde cum ad publicum colloquium ab Imperatore (ut inquiebat) ſibi promiſſum admitti crederet, ſpe ſua deluſus, ad novos carceres transfertur; Miniſtri enim Pontificii, quibus illius cuſtodia in æde Franciſcanorum demandata erat, Dominum ſuum Scaphuſiam ſecuti, claves carceris Imperatori, & Cardinalibus (prout ipſe Huſſus in quadam epiſtola jactitat) reddiderunt, a quibus in Conſtantienſis Epiſcopi poteſtatem traditus, hujus juſſu in arcem Gottlebienſem trans Rhenum haud procul ab urbe diſſitam, deportatus eſt, diligentiori cuſtodia detinendus, donec judicii acta adverſus eum plene inſtruerentur.

§. II.

Hieronymus Pragenſis Conſtantiæ.

Æn. Sylv. Europ. c. 26.

Sub idem tempus Hieronymus Pragenſis Conſtantiam venit; Incertum, cur Joannem Huſſum in itinere comitatus non fuerit, cum tamen Hiſtoricorum teſtimonio conſtet, ipſum Amico ſuo prius abeunti

abeunti fidem dediſſe, ſe brevi ſecuturum, & quamprimum eum Conſtantiæ afflictari ſibi innoteſceret, illico ſuppetias laturum. Ceterum Joannes Huſſus, poſtquam carceri mancipatus fuerat, Hieronymo per quosdam ſuos Amicos Conſtantiam venire diſſuaſit, veritus, ne illi eadem ſecum ſors accideret. Nihilominus tamen Hieronymus quævis pericula adire, quam fidem Huſſo datam fallere ſatius duxit. Ergo quarta Aprilis die, comitante quodam ejus Diſcipulo, Conſtantiam acceſſit, atque ambo inter innumeram incolarum frequentiam minime cogniti urbem ingreſſi ſunt, in qua Hieronymus licet haud diu moraretur, prolixum cum Huſſo colloquium habuit. Secul. XV. A.C. 1415.

§. III.

Securitatis literæ ab Hieronymo Conſtantia profugo petitæ.

In aſpectu carceris, quo detinebatur Huſſus, fremuit Hieronymus, ac non modice indignabatur, intelligens, publicum colloquium illi denegatum fuiſſe; quapropter & ipſe capiti ſuo metuens, unacum ſuo diſcipulo poſt biduum Uberlingam auffugit, ubi ampliori fruens libertate ad Imperatorem, ac Bohemiæ Proceres in Synodo præſentes epiſtolam miſit, ſuæque ſecuritati datis literis caveri petiit. *Reichental p. 224.*

Sæcul. XV. A.C.1415.

petiit. Imperator ab initio reluctatus est, cum vero a Bohemiæ Nobilibus urgeretur, ipsumque Concilium instaret, dixit: Dabimus ei salvi comeatus literas, quibus munitus accedat, non tamen inde recedat.

§. IV.

Hieronymus in Bohemiam reversus.

Hieronymus comperto Cæsaris responso, ad omnes Basilicas, & Monasteria urbis Constantiensis, necnon ad fores Cardinalium libellum affigi curabat, Latina, Germanica & Bohema lingua conceptum, quo Imperatori & Synodo significabat, se paratum esse Constantiam venire, ut doctrinam suam coram universo Concilio defenderet, atque Adversariorum suorum calumniam dilueret, si vero cujusdam erroris convinci posset, se omnes Hæreticorum pœnas ultro subiturum; proin se Imperatorem & Synodum rogare, ut sibi publicam securitatis sponsionem facerent, qua impetrata, si nihilominus aliquam vim, sive carceris pœnam, vel aliam quamcunque molestiam pateretur, universum orbem contra Concilium, injustitiæ testem futurum. Verum cum surdas pulsaret aures, in Bohemiam reversus est.

§. V.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. V.

Fridericus Dux Auſtriæ Imperio proſcriptus.

Sigismundus, cui Friderici Auſtriæ Ducis agendi ratio minime probabatur, concepto eum ubique perſequendi conſilio, ſeptima die Aprilis ad omnes Conſtantienſis urbis Eccleſiarum valvas, necnon in quibusvis aliis locis publicis edictum affigi juſſit, quo Fridericus ad judicium vocatus, imperio proſcribebatur, omnesque illius Vaſalli ab obedientiæ Sacramento abſolvebantur. Epiſtolas quoque ad omnes Sueviæ, Helvetiæ ceterasque finitimas urbes dedit, præcipiens, Fridericum tanquam Eccleſiæ hoſtem, atque Imperii & Synodi perturbatorem omnibus viribus perſequerentur. Quare non pauci Principes hac occaſione abutentes, Fridericum deprædati ſunt. Ipſe Imperator contra illum coegit exercitum ex quadraginta circiter bellatorum millibus conflatum, quo omnes illius ſtatus invaderet. Occupaverat jamjam Stein, Dieſſenhovam, Frauenfeldam, Vitodurum, aliasque ignobiliores Sueviæ urbes; quas inter Scaphuſia deditione facta, jura liberæ Civitatis Imperialis pro certa pecuniarum ſumma redemit. Equidem Helvetii arma adverſus Fridericum ca-

Vander Hardt tom. 4 p. 103.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

pere diu morati sunt, quinquaginta annorum inducias cum eo a se initas caussati, attamen cum Synodus excommunicationis pœnam eis comminaretur, morem gesserunt, ea tamen lege, ut Imperatori cum Duce pacem inire haud liceret, quin & ipsi sub eadem comprehenderentur, ac præterea armis parta, perpetuo jure retinere possent. Vi hujus pacti totam Argoiæ regionem bello præsenti acquisitam in hanc usque diem sibi vendicant. Austriæ Dux, cum Helvetios, in quorum amicitia non minimam opis fiduciam habebat, defeciſſe cognoscceret, se quoque ditionibus suis potissimam partem exutum, atque insuper potentissimo hoste pressum, necnon ab amicis suis derelictum cerneret, in maximas conjectabatur angustias; quippe Cæsaris potentiæ obsistendo impar erat, eum vero adire, pacemque petere, periculis plenum videbatur.

§. VI.

Papa relicto Lauffenburgo Friburgum profugus.

Vander Hardt tom. 4 p. 106. & 107

Adversis hisce Austriaci fatis Papa non parum conterritus, sibique ipsi metuens, relicto Lauffenburgo Friburgum Brisgoiæ urbem concessit. Cum ergo ibidem magis quam alibi securum sese crederet, etiam longe

longe fortiores ostentavit animi spiritus. Hinc Friburgi ad Synodum dedit epistolam, in qua Pontificatus sui cessionem huic conditioni subjecit, si Imperator tales publicæ fidei literas, quales ipse peteret, sibi concessurus esset; postulabat autem, ut ei Concilium post cessionem impertiretur plenam, atque eandem securitatem ac libertatem, qua antea gavisus fuisset, item, ut sibi in ditionibus Ducis Austriæ, adversus quem bellum ponendum foret, sine metu morari liceret, necnon facta Papatus abdicatione ei dignitas Cardinalis Legati perpetui universæ Ecclesiæ deferretur, aut ad dies vitæ tractum Bononiensem, & Avenionensem Comitatum consequeretur, præter annuam pensionem triginta millium aureorum; Venetiis, Florentia, atque Janua in securitatem debiti oppignoratis. Denique, ut nullius, quiscunque demum foret, imperio subjiceretur, atque immunis esset a reddenda ratione omnium hactenus a se gestorum, aut imposterum gerendorum. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. VII.

Congregationes ad prosequenda Synodi negotia.

Interea vix non singulis diebus Nationes conventus suos agebant. In Congre-

Sæcul. XV. A.C. 1415. gatione die nona Aprilis habita unum ex qualibet Natione Prælatum ad Cardinalem Vivarienſem ablegant, eidem ſignificantes, ut officio ſuo pro more fungeretur; quibus Vivarienſis pollicitus eſt, ſe utpote S.R.E. Vice-Cancellarium de rebus geſtis literas expediturum, jusque litigantibus partibus dicturum; negavit tamen, ſe Conſiſtorium ſine expreſſo Pontificis juſſu unquam coacturum. His peractis Nationum Deputati negotium dant Cardinali Cameracenſi, ut examen materiarum fidei in cauſſa Wiclefi, & Joannis Huſſi proſequeretur, illius relationem, quamprimum juſſus fuiſſet, ad Synodum delaturus. Hic doctrinam quidem diſcutere ſuſcepit, judiciariam vero actionem Cardinalibus S. Marci, & Florentino, utpote Jurisperitis reliquit. Poſtridie ſex Cardinales, antea cum Joanne Papa commorati, cum illorum ſecuritati datis publicæ fidei literis ſatis cautum eſſet, Conſtantiam redierunt. Verum ubi cognovit Imperator a quibusdam fidei publicæ literas in abuſum trahi, has illis, qui intra debitum tempus eis uſi non fuiſſent, minime ſuffragari conſentiente Synodo declaravit, cujus rei Diploma die decima tertia Aprilis hoc anno editum eſt.

§. VIII.

§. VIII.

Sæcul. XV. A.C 1415.

Epiſtola Apologetica Synodi ad univerſos Chriſti fideles.

In alia Congregatione eodem die habita recitata eſt Epiſtola Papæ Friburgi ad Concilium data, qua percepta Nationes in ſua opinione adhuc magis firmabantur, nimirum, quod Pontifex unice ceſſionem eludere conaretur, nec unquam idoneum abdicationis ſuæ mandatum Procuratoribus tradere cogitaret. Cum vero jam plures Ordinum Generales poſt Joannis fugam a Concilio receſſiſſent, Synodus in eadem Congregatione illis, qui adhucdum Conſtantiæ aderant, ſub quocunque prætextu diſcedere inhibuit; abſentibus vero, ut infra terminum triginta dierum ad Concilium redirent, injunxit, ſimulque indicta pœna privationis officiorum præcepit, ne integro hoc anno unquam Capitulum haberent. *Lab. Conc. Gen. tom. 12 p. 1474.*

Eodem die Patres in alia Congregatione horis pomeridianis celebrata, inter ſe conferebant circa literas encyclicas, quas ad Reges, Principes, Respublicas, atque Academias mittere decreverant, eo fine, ut Concilii geſta in cauſſa Joannis Papæ vindicarent. Depingebant Pontificem tam vivis coloribus, ut illius parum ſincera fides, necnon pravæ ejus- *Vander Hardt to. 4. p. 108.*

Sæcul. XV. A C. 1415.

dem artes omnibus palam fierent; tuentur vero Imperatorem, & Joannis querelas in eum prolatas refellunt.

§. IX.

Manuelis Chryſoloræ obitus.

Vid. ſupr. Lib. CII. §. 75.

Vander Hardt to. 1. Prolog. p. 10 11.

Biduo poſt hanc Congregationem, nimirum die decima quinta Aprilis Manuel Chryſolaras Græcus, celeberrimus vir diem ſupremum clauſit, annos natus quadraginta ſeptem. Erat is quondam itineris ſocius, dum Cardinalis Florentinus de tempore & Concilii loco cum Cæſare acturus Florentiam petebat, poſtea vero cum præfato Cardinale Conſtantiam venit, ubi etiam idem Cardinalis in Menſe Septembri anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo fatis ceſſit. Chryſolaras ex primis illis Romanis, qui cum Conſtantino Magno Conſtantinopolim migrabant, originem ducens, ob merita ſua, omnium judicio, Pontificali gradu dignus habebatur, quæ laus ſpeciatim in ejus Epitaphio Conſtantiæ in Eccleſia FF. Prædicatorum legitur. Literariæ Reipublicæ notiſſimum eſt, doctum hunc virum ad artes liberales in Europa reſtaurandas non parum contuliſſe. Docuit præterea per plures annos in Italia linguam Græcam, ferme ſeptingentis retro annis neglectam, ejus-

ejusque industriæ debetur, quod non solum Venetiis, Florentiæ, Romæ, & Patavii Græcarum literarum studium floreret, sed insuper latinus sermo, qui sæculorum præcedentium barbariem plurimum redolebat, integritati suæ restitueretur. Scripsisse fertur Grammaticam græcam, aliudque quoddam opusculum. Sæcul. XV. A.C 1415.

§. X.

Sessio sexta.

Sexta Concilii Sessio habita est die decima septima Aprilis; In ea agitatum, ut Joannes vel ad Synodum redire, vel sincera fide Papatum deponere compelleretur. Igitur sacro solemni de Spiritu Sancto per Archiepiscopum Gnesnensem decantato, Cardinalis Vivarienſis, utpote ceteris antiquior, Sessioni præfuit, quo honore in reliquis quoque sessionibus usque ad electionem novi Pontificis defunctus est. Aderant Imperator, omnesque Cardinales Constantiæ degentes. Absolutis litaniis, aliisque consuetis precibus S. Evangelium ex capite X. S. Joannis: *Ego sum Pastor bonus* &c. depromptum legebatur, postea concepta mandati formula, quæ Pontifici ad cedendum Papatu proponeretur, recitata, atque approbata est. His peractis duo ex qualibet Natione a Synodo designabantur Procuratores, *Labb. Conc. gen. tom. 12. p. 26.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

res, illis adjungendi, quos Joannes Papa nominaturus esset. Tandem vero Cardinalem S. Marci, & Florentinum, aliosque, qui ad hanc mandati formulam Pontifici deferendam deputati fuerant, Synodus confirmavit.

§. XI.

Papa per Deputatos ad Synodum revocatus.

Vander Hardt p. 126 tom. 4.

Hisce Deputatis datum est negotium, Joannem urgerent, ut vel ad Synodum rediret, vel infra bidui spatium Ulmam, Ravenspurgum, aut Basileam sibi seligeret, eoque sese, præstituto decem dierum termino, conferret, nec inde recederet, donec unionis negotium, in quantum ab illo dependeret, absolutum esset. Si vero recusaret, se ab eo exacturos Bullam, in qua se Papali dignitate exutum declararet. Sancitum quoque, illico contra ipsum tanquam schismaticum, & hæreticum notorium juxta legis rigorem procedendum, si hasce conditiones sibi oblatas acceptare renueret. Nihilominus Synodus, antequam ad hæc extrema perveniret, Joannis responsum expectandum censuit, & Deputatorum discessum omnino differendum, eoquod a Duce Austriæ, per cujus ditiones transire debuerant, necdum liberi commeatus literas

teras accepiſſent. Quæ cum juſto diutius retardarentur, Papa colluſionis cum Duce ſuſpicionem incurrit. Quapropter Synodus Joannem publice citandum decrevit, niſi ante proximam Seſſionem deſideratæ literæ mitterentur. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XII.

Securitatis ſponſio a Synodo Hieronymo Pragenſi facta.

In eadem Seſſione prælegebantur publicæ fidei literæ, quas Nationum Deputati ad preces Hieronymi Pragenſis jamjam die undecima Aprilis confecerant, quæ tamen citationis edicto magis erant ſimiles quam ſecuritatis literis; quippe Hieronymus intra terminum quindecim dierum absque ulteriore monitione comparere, atque ad quæſtiones ſuper doctrina ſua proponendas reſpondere jubebatur. In iisdem quoque hæc legebantur verba: *Ad quod a violentia, juſtitia ſemper ſalva* (nempe ſi Hieronymus hæreſin aliquam defendere deprehenderetur, tamen eam vel abjurare, vel ſi renueret, pœnæ ſubjacere deberet,) *omnem ſalvum conductum noſtrum, quantum in nobis eſt, & fides exigit orthodoxa, præſentium tenore offerimus.* Hæc clauſula: *Salva &c.* in ſecuritatis literis Joanni Huſſo datis expreſſa non legitur. *Idem pag.* 106.

§. XIII.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. XIII.

Famosi libelli damnantur.

Infra §. 26. Postea Concilium edidit Decretum, quo libellos famosos, honorem universalis Concilii, & particularium personarum famam lædentes, proscripsit, adjecta interim excommunicationis ac carceris pœna, quousque ulterius contra delinquentes procedi posset.

§. XIV.

De Cardinalium exclusione a quibusdam Congregationibus.

Gob. Pers. Cosm. æt. 6. c. 94. Spond. ad an. 1415. n. 25 Perlectis cunctis decisionibus, ac Synodi Decretis, Prælatus quidam, ut nonnulli Scriptores referunt, Cardinales ab iis conventibus, in quibus de caussa Joannis XXIII, & de reformatione Ecclesiæ ageretur, excludendos esse proposuit, quinque rationibus innixus, quas quinque veritates appellitare non dubitavit. Prima & principalis erat hæc: Non sit licitum Papæ, & Cardinalibus, interesse Conventibus, ubi ageretur de reformatione Pontificis & Cardinalium; non enim decere, illos judices esse in propria caussa. II. Puniantur illi Cardinales, qui Joannem elegerunt, scientes eum talem esse, qualis arguebatur. III. Habe-

Habeatur suspecta illorum Cardinalium fides, qui Joannem post ejus fugam secuti sunt. IV. Pariter tanquam suspecti arceantur Cardinales, eoquod Constantiam reversi, antea Concilium per Papæ absentiam dissolutum fuisse asseruissent. Tandem V, & ultima ejus ratio erat, quia, quamdiu non supprimerentur vel suspenderentur potestates Pontificis & Cardinalium, nemo, nec ipsum Concilium, sat virium atque auctoritatis habere posset, ad reformandam Ecclesiam in Capite & membris suis; cum semper Joannes inventurus esset fautores potentissimos, qui dignitates suas, & favores auro sibi compararent. Quid de hisce articulis actum, vel decisum fuerit, minime constat, hoc unicum memoriæ proditum habemus, quod Cardinales sequenti die Nationibus exhibuerint libellum, quo comprobant, jus sibi competere congressibus ad unionem, ac reformationem Ecclesiæ institutis assistendi, suffragiumque consultivum ferendi. Libellus iste propositiones continet, quæ multum Italorum sapiunt indolem. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XV.

Epistola Parisiensis Academiæ ad Synodum, Papam, & alios.

In hac Sessione Benedictus Gentianus Universitatis Parisiensis Deputatus tres legit

Sæcul. XV. A.C. 1415.

legit ejusdem Academiæ Epistolas. Prima inscripta erat ipsis Universitatis Deputatis; Altera Synodo; Tertia demum Imperatori, in quibus tam hos, quam illos ad cæptum unionis negotium, non obstante Pontificis absentia, constanter prosequendum adhortata est. Eadem quoque Universitas epistolam, quam ad Pontificem post ejus fugam scripserat, suis Deputatis communicabat, in eaque Pontificem, ut salutare cessionis propositum exequi, constanter curaret, excitabat, simul significans, se non sine stupore ejus fugam, atque dissidia ipsum inter & Synodum exorta percepisse. Tandem etiam Pontificem precabatur, ut Constantiam rediret, hocque pacto honori suo consuleret, & bene cæpta non sine nominis sui gloria ibidem consummaret. In eadem quoque Sessione Synodales literæ ad omnes Christi fideles, & nominatim ad Franciæ, ac Poloniæ Reges datæ recitabantur. Quibus peractis sessio soluta est.

Vander Hardt to. 4. p. 121.

§. XVI.

Disceptatio Theologorum de modo concipiendi Decreta.

Idem tom. 4. p. 136.

Postquam nonnulli Doctores per plures dies cunctos Wiclefi articulos maturo examine discussérant, reliquum erat, ut

ut horum damnationis decretum confi- Sæcul. XV.
ceretur. Aſt non leves inter Theologos A.C.1415.
exortæ fuerunt diſſenſiones de modo, quo illud condere oporteret. Nonnullis enim, hos articulos *nomine Pontificis, accedente Concilii approbatione* damnandos eſſe videbatur: Contendebant alii, omiſſa Pontificis mentione Decretum duntaxat *nomine Synodi* concipiendum eſſe. His ſuffragabatur Cameracenſis Cardinalis, quia, ut aſſerebat ille, Concilium eſt ſupra Papam, ipſe enim nonniſi aliquod eſt Concilii membrum. Verum ex quadraginta Doctoribus ſolum duodecim in hanc deſcenderunt ſententiam, reliquis omnibus oppoſitam firmiter tuentibus. Cardinalis, ut ceteris doctrina eminebat, ita pertinacius quoque ſuæ inhærebat opinioni, inquiens: Concilium tantam ſupra Pontificem habere auctoritatem, ut ab illo exauctorari valeret. Joannis fautores ſedulo de hac ſententiarum varietate eundem certiorem reddebant, Petrum de Alliaco velut Pontificis hoſtem atris admodum coloribus depingentes. Nihilominus Alliacenſis rem vix edoctus, confeſtim propria manu ad Papam perſcribit, ſignificans, ſe non modo ea, quæ geſſiſſet, ſed etiam judicium a ſe latum coram Synodo tueri paratum eſſe. Quod & præſtitit quamdam divulgans ſcripturam, quæ inſerta habetur tractatui a ſe

Sæcul. XV. A. C. 1415

composito *de Concilii atque Pontificis auctoritate.*

§. XVII.

Scriptura Petri Alliacensis Cardinalis Cameracensis.

Gerson. op. to. 2. p. 950.

Docuit Petrus in hoc scripto, erroneum, imo nonnullis videri, hæreticum esse, cum adversariis afferere, *Concilium nullam per se auctoritatem habere, nisi ex capite, videlicet Papa.* Exinde enim sequi, *quod Pisanum Concilium non habuisset auctoritatem ullam, quia auctoritate Papæ non fuit congregatum,* ac Joannes XXIII. legitime haud modo fuisset electus, qui Alexandro V., quem hæc Synodus elegit, successerat. His addit, idem hoc Concilium Pontifice superius extitisse, eo nomine confirmari; argumento etiam satis valido, *quia illi duo contendentes condemnati fuere Pontifices;* æqualem quoque potestatem alteri quoque Concilio in quodam casu competere posse. Tandem ex his concludit evidenter *falsam esse quorumdam Juristarum opinionem, dicentium, quod in Concilio Generali Papa duntaxat judicet, & definiat, & Concilium solummodo suadeat, & consulat, nec Papa teneatur sequi deliberationem, vel suasionem Concilii, sed quod standum videatur sententiæ Papæ, si contradiceret Concilio.* Ut ve-

ro

ro hujus opinionis falsitatem demonstra- Sæcul. XV.
ret, tradit, quod Ecclesia universalis, A. C. 1415.
proin Concilium eam repræsentans, *a Christo Domino, & non a Papa Privilegium auctoritatis habeat, quod in fide errare non possit; sed talem*, subjungit, *auctoritatem non habet Papa, cum errare possit.*

§. XVIII.

Mandata Cardinalibus Friburgum ad Papam ituris data.

Die decima nona Aprilis Cardinales, ac Nationum Deputati a Synodo ad Papam Friburgum abire jussi, non modo verbis, sed tota consilii serie instruebantur. Præter generale mandatum, quo ad mentem Synodi intra certum temporis spatium cessionis tabulas exigere jubebantur, insuper injunctum est, ne ab invicem separati unquam cum Pontifice agerent, nec de aliis negotiis directe vel indirecte cum eo tractarent, denique duodecimo abhinc die ad Synodum reverterentur. Hi sine dubio potestatis demandatæ limites transgrediebantur, eoquod libellum, quem ipsis Antiochenus Patriarcha dederat, Pontifici tradendum in se suscepissent; Huic autem Scripturæ altefatus Præsul binas inferebat propositiones, quarum prima erat: Pontifex est Synodo auctoritate superior. Altera,

Sæcul. XV. A. C. 1415.

Decreta nomine Papæ, non autem nomine Concilii edantur, argumento, ut inquiebat, petito ex hac Juris Canonici Regula: *Papa judicat omnes, nec ab ejus ſententia appellare licet; ipſe autem a nemine, niſi a ſolo Deo judicatur.* Verum Antiſtes ille ſcite animadvertere debuiſſet, quod in hoc loco nequaquam de auctoritate Pontificis ad Concilium, nec Concilii ad Papam collata agatur, ſed de ſubmiſſione, quam ſinguli Epiſcopi particulares erga Summi Pontificis ſententias in privatis eorum cauſſis inter ſe controverſis latas exhibere tenentur. Ad quod comprobandum legiſſe ſufficiat D. Leonis epiſtolam, quæ juxta antiquam editionem octogeſima nona eſt. Ceterum Cardinalis Cameracenſis hoc ſcriptum reſponſo confutare haud cunctabatur, ejusque opinionem Synodus non modo adoptavit, ſed ipſe etiam Patriarcha poſtmodum ſe purgare juſſus, hæc non decidendi, ſed mere proponendi gratia ſcripſiſſe ſe, affirmavit.

Dist. 19. c. 7.

§. XIX.

Deputatorum diſceſſus. Briſaci Papam adeunt.

Bourgeois Preuves p. 342. 343. &c.

Deputati a Concilio ad Papam miſſi, cum eundem jam Friburgo diſceſſiſſe intelligerent, Briſacum petunt, eo enim a Bur-

a Burgundiæ Ducis familiaribus delatum, inde vero ab iisdem Avenionem deducendum credebant. Nec sua eos opinio fefellit; nam Pontificem Brisaci inveniunt, qui eos altera adventus die vigesima quarta Aprilis ad alloquium admisit, pollicitus, se sequenti primum die eorum postulatis responsurum. Hi non modice obstupuerunt, ubi fama ad eos pervenit, quod Papa eadem adhuc nocte Brisaco Nienburgum, parvum id oppidum est Brisaco vicinum, quod Rhenus alluit, clam discesserit. Omnes hæ rerum vicissitudines non parum Deputatorum solertiam fatigabant; hujus tamen eventus notitiam illico ad Synodum perscribebant; quo percepto Concilii Patres ad Austriæ Ducem literas dederunt, supplices, ut Joannem haud ultra protegeret, imo eundem potius, uti sacramento sese obstrinxisset, e fuga retraheret, Dux perofficiose respondit, se comperta turpi Pontificis fuga nullam illi clientelam impensurum, sed in omnibus, & per omnia Concilio adhæsurum, quæ tamen declaratio sincera non fuit. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XX.

Hieronymus Pragensis captus, & Constantiam ductus.

Interea temporis Hieronymus Pragensis in reditu suo in Bohemiam, Hirsaviæ captus *Vander Hardt to.4. p. 134.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

captus est. Commemorat Reichentallius, Hieronymum, cum ad quoddam Hercyniæ, seu sylvæ nigræ oppidum perveniret, atque a Parocho loci, qui eodem die suos Collegas convivio exceperat, invitaretur, atrocibus maledictis Synodum proscidisse, eamque Sathanæ Synagogam appellando, jactitasse, cunctos illius Doctores, & Prælatos rubore suffusos, a se fuisse devictos; a Clericis vero ob hæc convitia ad iram concitatis illum petulantiæ suæ coram Magistratu fuisse accusatum, a quo etiam postera die comprehensum Constantiam deportatum fuisse, ibique carceri tradi jussum. Discipuli Hieronymi Pragensis ejusdem facti duas alias nobis reliquerunt relationes eodem tempore scriptas, in quibus, præcisis aliis circumstantiis, narrant, quod ab officialibus Ducis Solisbacensis Hirsaviæ detentus, inde Solisbacum deductus, ibidem usque ad ulteriora Concilii mandata, custodiæ datus fuerit. Interea vero Solisbacensis Ducis Filius Synodum de Hieronymi detentione certiorem reddiderit, atque acceptis Concilii jussis eundem catenis vinctum Constantiam miserit.

Cochl. hist. Hussit. l. 2.

§. XXI.

Imperator Austriaco reconciliatus, ea lege, ut Pontificem reduceret.

Rzov. an. 1415. n. 26.

Ludovicus de Bavaria Ingolstadiensis lineæ,

lineæ, unus ex Legatis Galliarum Regis, ut Auſtriæ Ducem Imperatori reconciliaret, ſtrenue ſuam navabat operam. Unde Sigismundus pacatiorem quidem animum induit, in gratiam tamen recipere noluit Fridericum, niſi Joannem Papam ſibi traderet. Annuit Ludovicus Bavarus, petitque ab Imperatore pro Auſtriaco impunitatis literas, pollicitus, ſe Ducem ad Synodum reducturum, necnon eidem perſuaſurum, ut ipſe quoque Papam dimitteret. Ergo Dux Bavariæ, obtentis fidei publicæ literis, reliqua perficere in ſe ſuſcepit. Interea vero Joannes Nienburgi haud majori quam alibi, tranquillitate fruebatur; primo enim quo advenerat, veſpere nunciatum eſt illi, Baſileenſes urbem proxima nocte oppugnaturos, eaque ſolo æquata, denique ipſum abducturos captivum; quam ob rem arcis Præfectus Joanni fugam ſuaſit. Papa terrore perculſus, quamvis intrepidum ſimularet animum, petiit ab eo, ut ſibi ſaltem Rhenum trajicere liceret, ſed repulſam paſſus, Briſacum redire coactus eſt, quo verſus noctis medium pervenit. Illuc quoque Auſtriacus ad Joannem contendit. Interea vero Synodales Deputati ſe a Pontifice deluſos, non parum indignati, Conſtantiam reverſi ſunt, & Friburgum delati, Bavariæ Ducem, qui exiguo poſt illos tempore advenerat, ſalu-

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Martenn. Theſ. nov. Anecd. tom. 2 p. 1629. &c.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

tant, cum eo conferentes de fuga Pontificis, necnon de illius artibus, atque obstaculis, quæ ejus perfidia unioni opponerentur. Eadem die Bavarus sole ad vesperam inclinato, assumptis secum duobus Deputatis, scilicet Joanne Dacherio, & Joanne Despartio ipsus Brisacum pergit, cum Austriaco collocuturus; nec id prospero succesfu caruit; quippe Deputatos inter, & ambos hosce Principes statutum fuit, cohibendum esse Pontificem ab ulteriori fuga, atque ad Imperatoris alloquium deducendum. Austriacus primo alterum hoc punctum reprobare videbatur, tandem vero & ipse acquievit, omnesque quatuor postera die Friburgum reversi sunt. Cogitur ergo Papa iterata experiri colloquia, minus sibi accepta, cum autem in promissis admodum liberalis esset, non dubitavit Deputatis polliceri, se simulac discessissent, cessionis suæ mandatum meliori quo posset, modo conceptum, ut Synodi votis plene satisfaceret, transmissurum.

§. XXII.

Reditus Synodalium Deputatorum ad Papam.

Vander Hardt to. 4. p. 136.

Igitur Pontifex ejusmodi cessionis formulam Procuratori suo per Comitem Bertholdum Ursinum concredidit, ea tamen

men lege, ut vel eam apud se retineret, vel nata occasione, & duntaxat ad speciale ejus mandatum, illam Concilio exhiberet. Interim Deputati Constantiam reversi, in particulari quodam consessu, ad id a Cæsare coacto, de rebus gestis rationem reddebant, ubi Patres omnia Pontificis studia eo converti censebant, ut tergiversationibus suis illuderet Concilio. Quapropter citationem jam antea contra eum constitutam in proxima Sessione exequi decernebant. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XXIII.

Abdicationis formula a Concilio rejecta.

Postquam Austriæ Dux trigesima Aprilis Constantiam venit, cum Cæsare ac Synodo in gratiam rediturus, Joannes tunc suæ quoque securitati consulendum esse censuit. Igitur Comitem Ursinum e vestigio ad Synodum ablegat, ut datæ ad renunciandum potestatis formulam sibi antea traditam Concilio porrigeret. Patres vero illam verbis adeo ambiguis conceptam, tamque immoderatis, insolitisque conditionibus infectam cernentes, arbitrati sunt, quod Papa nonnisi vanis ejusmodi cedendi mandatis studiose tempus protraheret, spe fretus, Ducem Burgundiæ, qui eum e Germania educe- *Spond. an. 1415. n.26.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

re pollicitus esset, sibi interim potenter succursurum. Equidem Papa in ista formula promisit, juravitque, se pure ac simpliciter Papatui renunciaturum, hac tamen lege, ut sibi prius per Concilium de ipsius honesto vitæ statu ac libertate satis provisum esset, & quidem sub ea forma, ac conditione, quam Cardinalibus S. Marci, & Florentino insinuasset, & Synodo proponi jussisset. Ergo nil reliquum esse judicabant Patres, quam publicam habere Sessionem, in qua citationem jam antea unanimi consensu sancitam, effectui darent. Nihilominus ante hanc Sessionem in sacello adhuc conveniunt, super iis, quæ præcedenti die decreverant, deliberaturi. Ceterum Cardinales identidem conquerebantur, sibi in conventibus Nationum nunquam ut Cardinalibus, sed mere ut Nationum Deputatis suffragandi jus concedi, nec non aliquot duntaxat ante Sessionem publicam horis ad congressum vocari, ibique primum sibi, quæ in Sessione perlegenda essent, statim approbanda proponi. Ad hæc Synodus respondit, quod & ipsi suarum Nationum conventibus interesse, ac sicut ceteri Deputati sua suffragia dare omnino valerent, ast dignitatis Cardinalitiæ rationem nullam fore habendam. Quare victas dare manus, aliorum arbitrio cedere, & Sessioni sequenti

ti interesse, necessitate compulsi sunt: cernebant enim res Joannis Papæ in pessimo loco, imo jamjam desperatas esse, ex quo Fridericus ejusdem Fautor Constantiam veniisset. Nihilominus huic Sessioni nonnisi duodecim ex Purpuratis aderant. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. XXIV.

Sessio septima.

Sessio hæc die secunda Maji habita ordine septima fuit, cui Cardinalis Vivarienſis, præsente etiam Cæsare, præfuit. Primo causſa Hieronymi Pragensis discutitur, qui cum ad primam citationem decima octava Aprilis factam non comparuisset, altera vice secundum juris præscripta in judicium vocandus decernitur. Postea Concilii Procuratores Joannis gesta satis prolixe prosequuntur, eique cum omnibus illius sequacibus diem dici, necnon securitatis literas, ut libere ac tuto Constantiam adire possent, Concilii ac Cæsaris nomine dari postulant. *Labbe Conc. tom. 12. p. 35.*

§. XXV.

Citatio Joannis XXIII. Papæ.

Summam citationis impræsentiarum exhibeo: *Sacrosancta Constantiensis Synodus Ecclesiam Catholicam repræsentans, in Spiritu* *Ibid. p. 37.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Spiritu Sancto legitime congregata universis Christi fidelibus unionem & pacem Ecclesiæ ac gaudium sempiternum. Pridem post clandestinum recessum Joannis Papæ XXIII. ipsam Ecclesiam scandalizantem, & contra datam fidem factum, per nonnullos Prælatos & alios nobiles viros ad eum transmissos, eundem requiri, ac moneri fecimus cum debita instantia, quatenus ad hanc civitatem Constantiensem rediret, ea quæ promiserat, voverat, ac juraverat, impleturus. Et cum id facere nolle, non redeundo, & ad loca magis longinqua fugiendo, ostenderet; a Concilii Promotoribus requisiti, ipsum per edictum publicum peremptorie citamus ac decernimus, quatenus hinc ad novem dies proxime venturos a die executionis hujusmodi citationis nostræ publicandæ ipse & sui fautores personaliter compareant, ad accusationum capita hæresis, schismatis, simoniæ, malæ administrationis ac dilapidationis bonorum Ecclesiæ Romanæ & aliarum Ecclesiarum, necnon & de aliis pluribus & gravibus criminibus, in quibus incorrigibilis perseverat, de jure & justitia responsurus. Certificantes, quod sive in dicto citationis hujusmodi termino comparuerint, sive non, contra eos ad ulteriora per nos debite procedetur, justitia mediante. Perlecta hac citatione Patres, Sessione sequenti ad quartam Maji diem indicta, discesserunt.

§. XXVI.

Sæcul. XV.
A.C.1415.

§. XXVI.

Synopsis Historiæ Wiclefi.

Cum præcipuus octavæ hujus sessionis scopus esset, memoriam Wiclefi, omnesque doctrinæ ejus articulos condemnare, Lectori haud injucundum erit, si Hæresiarchæ hujus gesta breviter adumbrabimus. Erat Natione Anglus, Oxoniensis Academiæ Doctor, ac Theologiæ Professor, & Lutterworthensis Ecclesiæ in Diœcesi Lincolnienſi Plebanus; illo tempore, quo Monachos inter & Presbyteros sæculares fervida agitabantur dissidia, magni nominis famam apud præfatam Academiam sibi conciliaverat. Ubi vero Clerici sæculares causſa ceciderant, Wiclefus ira ac furore accensus, auctoritatem ac jura Pontificis, Clericorum vitia, & Monachorum mendicantium usurpationes, acribus convitiis insectatus est. Clericorum sæcularium ope Rector Collegii Oxonienſis, in utilitatem Cantuarienſium studiosorum conditi, renuntiatus est. Postquam hac dignitate per aliquot annos functus esset, Langhamus in Archiepiscopum Cantuarienſem post Simonis Islibi hujus Collegii Fundatoris obitum electus, Wiclefum ab hoc officio amovit, instigantibus Monachis, qui denuo ad Collegium admissi, in Wiclefi locum

Polyd.c.18. Walsing. in Eduard. III & Richard. II. Valdeas to. 2. dist. 5.

Sæcul. XV. A.C. 1415

cum, Religioſum quemdam, nomine Vodehull, promovere cupiebant. Ergo Archiepiſcopus Wiclefo præcipit, dignitatem ſuam huic Monacho cederet, cum autem obtemperare renuiſſet, Archiepiſcopus hujus collegii reditus apud ſequeſtrem deponi jubet. Poſtea Urbanus V. Papa, ad quem Wiclefus ab hac ſententia appellavit, cauſſam Langhamo & Monacho addixit, utrique, excluſis Clericis ſæcularibus, per Bullam anno MCCCLXX. datam hujus Collegii poſſeſſionem vindicans.

Ergo Wiclefus loco cedere cogitur, ſed ob ſiniſtrum hoc fatum adverſus Curiam Romanam non parum indignatus vindictæ occaſiones ſedulo quærebat. Tunc temporis ſententia de Dominio Papæ & Eccleſiæ in bona temporalia, in Anglia vel maxime prævalebat, ibique valde ampla erat Epiſcoporum jurisdictio. Igitur Wiclefus contra utrumque arma ſua acuere ſtatuit; cumque ejusdem auſus faverent Regi, qui ſuam poteſtatem auctoritate Pontificum & Epiſcoporum infirmari, ac decreſcere cenſebat, præterea Proceribus Regni, qui bona Eccleſiarum detinebant, & cenſurarum Eccleſiaſticarum jugum excutere cupiebant, ac denique etiam populo grata admodum eſſent ejusmodi molimina, utpote cui præſtatio denarii S. Petri, aliæque Romano-

manorum exactiones graves acciderant, facili negotio Wiclefus complures Patronos atque fautores ſibi conciliabat. Quorum ope fretus publice in ſcholis, & concionibus ſuis contra Papalem atque Epiſcopalem jurisdictionem declamare cæperat. Verum errore hoc altiores agente radices, ſibique famam conciliante, Simon a Sudburii Cantuarienſis Archiepiſcopus menſe Februario anno MCCCLXXVII. Londini convocavit Synodum, ad quam Wiclefus citabatur, doctrinæ ſuæ rationem redditurus. Comparuit comitante eum Lancaſtriæ Duce, qui propter Eduardi III. imbecilliores ingenii ac corporis vires rerum ſummam adminiſtrabat. Wiclefus coram Archi-Præſule cauſſam dixit, & ſine lata condemnationis ſententia receſſit. Sæcul. XV. A.C. 1415.

Verum Gregorius XI. Urbani V. ſucceſſor de doctrina Wiclefi in Anglia diſſeminata, nec non de Patronis, ſub quorum auſpiciis ſui condemnationem effugerat, certior factus, ad Epiſcopos Angliæ literas dedit, quibus eum comprehendi, aut ſi forte id fieri non poſſet, illum Romam citari juſſit, ſimulque novemdecim Propoſitiones, quas Wiclefus effutierat, ad Epiſcopos miſit, easque tanquam hæreticas, atque erroneas damnavit. Vix hæ Pontificis Epiſtolæ in Angliam delatæ, & poſt obitum Eduardi

Regni

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Regni Præsulibus redditæ fuerant, hi eodem anno ad finem vergente Lambethi Concilium convocant, in quo Wiclefus quidem comparuit, iterato tamen damnationis fulmen declinavit, utpote Procerum, populique favore adeo potenter suffultus, ut Episcopi adversus eum haud amplius moliri auderent, quam quod eidem, postquam suas propositiones in sensu adhuc tolerando explicasset, silentium imponerent. Verum non multo post tempore in Anglia propter pupillarem Richardi II. ætatem, qui nonnisi tertium decimum annum agens Patri suo successerat, ingentes suscitati fuere tumultus, ipso populo adversus Nobiles ad rebellionem concitato. Igitur seditiosi excusso Procerum, ac Magistratuum jugo consueta tributa pendere recusant, bona eorum diripiunt, Archiepiscopum Cantuariensem, necnon primarios Angliæ Ministros trucidant, perque totum Regnum innumera committunt flagitia; Et licet Wiclefi doctrina ad hasce turbas forsan non parum contulisset, ipse tamen furentium factioni palam non accessit, dogma vero suum ubique spargere non destitit, ac novos magisque pernicioses errores prioribus accumulans, frequentes quoque Discipulos eadem docentes sibi conciliavit. Guilielmus Curtenacensis Archiepiscopus Cantuariensis, ut ulterio-

res

res errorum progressus inhiberet, Mense Majo Anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo secundo Londini convocavit Concilium ex octo Episcopis, plurimis Doctoribus, & Theologiæ, Jurisque Baccalaureis conflatum, in quo viginti quatuor Wiclefi propositiones damnabantur, nimirum decem tanquam hæreticæ, quatuordecim vero ut erroneæ, & Ecclesiæ definitionibus contrariæ. Prioribus ille Eucharistiam, præsentiam realem, sacrificium Missæ, & Confessionem impugnabat; his autem adversus excommunicationem, verbum Dei prædicandi potestatem, decimas, preces, statum religiosum, aliasque Ecclesiæ consuetudines impotentibus furiis tumultuabatur. Sunt, qui testantur Wiclefum, cum in Concilio comparuisset, fidei suæ formula Patribus exhibita, suos errores retractasse, realemque Christi præsentiam in Eucharistia professum esse. Denique Wiclefus aliquot ex post annis ultima die Decembris Anno millesimo trecentesimo octogesimo septimo Lutterworthi ex hac vita migravit. Sæcul. XV. A.C.1415. *Wiclefi obitus.*

Varia Wiclefus reliquit opuscula, in quibus suam doctrinam firmare conabatur, ex illis quoque Joannes Hussus, & Hieronymus Pragensis, pluresque alii errorum suorum venenum liberaliter hauserunt. Palmarium illius opus est Trialogus *Ejus opera.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

logus ad modum colloquii veritatem inter, & mendacium, ac sapientiam conscriptus, huncque ferme solum typis impressum novimus. Cum vero ejus Discipuli hunc librum, aliosque plures post Magistri sui obitum ubique vulgare, ejusque errores propagare non cessarent, Thomas Arundelius, qui Guilielmo Curtenacensi Archiepiscopo Cantuarienſi succesſerat, Anno salutis millesimo trecentesimo nonagesimo sexto Londini Provincialem coegit Synodum, in qua duodeviginti articulos ex præfato Trialogo extractos damnavit, tandem vero editis decretis, atque Constitutionibus in Concilio, quod idem Archipræsul Anno Christi quadringentesimo octavo supra millesimum Oxonii celebravit, hasce hæreses penitus proscripsit. Quorumdam Scriptorum fide, quos inter Infantius post Wartonum recensetur, testatum habemus dictum Londinense Concilium primum anno salutis millesimo quadringentesimo decimo initium sumpsisse, in eoque octodecim istos articulos non ex Trialogo, sed ex alio quodam opusculo, cui Wiclefistæ idem nomen ad imitationem sui Magistri indiderant, decerptos fuisse.

Ceterum Wiclefi libros quidam sectæ hujus Discipulus, nomine Petrus Paynus, in Bohemiam invexit, illius vero doctrina, cum brevi tempore Magistros, atque

atque Universitatis Pragensis scholares inficeret, a Sbincone ejusdem urbis Archiepiscopo anno Incarnationis millesimo quadringentesimo decimo damnata fuit, ejusdemque jussu ducenta ferme descripta hujus Hæresiarchæ volumina flammis tradita fuere. Postmodum vero sub annum a Christo millesimum quadringentesimum duodecimum Joannes Papa in Concilio Romano hanc hæresin confixit, omnibus tamen in Curia Romana comparere petentibus novem mensium terminum concessit, infra quem Wiclefi personam propugnare, & siquid in ejus defensionem allegare possent, proponere ipsis liceret. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XXVII.

Sessio octava.

Præstituta die quarta Maji, ritu consueto, præsente Imperatore octava celebrata fuit Sessio. Sacris solemnibus, & lytaniis recitatis legebatur Evangelium ex capite 7. S.Matthæi v. 15. *Attendite a falsis Prophetis.* Sermonem habuit Episcopus Tolonensis, sub Themate: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Joan.* 16. *v.* 13. Quo facto præprimis de citatione, quæ præcedente sessione erat decreta, agebatur, simulque Sigismundus Austriæ Ducem, ut Cæsa- *Labbe Conc. tom.12.p.42.*

Sæcul. XV. A.C.1415.

ris, & Concilii gratiam peteret, Conſtantiam veniſſe ſignificabat.

§. XXVIII.

Quadraginta quinque Wicleſi Articuli a Concilio damnati.

Labbe Conc. tom.12.p.46.
Vander Hardt to.3. p.12.

Quemadmodum principalis eſſet hujus Synodi finis, ut ad condemnationem errorum Wicleſi procederetur, ita in præſenti Patres proſcripſerunt eos, qui in quadraginta quinque Articulos, ſeu aſſertiones redacti erant, & jam antea ab Univerſitatibus Pariſienſi, & Pragenſi cenſuris notabantur; horum primos viginti quatuor Guilielmus Curtenacenſis, Archiepiſcopus Cantuarienſis, damnaverat. Illos autem Archiepiſcopus Genuenſis prout eos impræſentiarum exhibemus, in Synodo prælegit.

I. *Subſtantia panis materialis & ſimiliter ſubſtantia vini materialis, manet in Sacramento Altaris.*

II. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.*

III. *Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice, & realiter in propria præſentia corporali.*

IV. *Si Epiſcopus vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.*

V. *Non*

V. *Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.* Sæcul. XV. A.C.1415.

VI. *Deus debet obedire diabolo.*

VII. *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.*

VIII. *Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare.*

IX. *Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.*

X. *Contra Scripturam sacram est, quod Viri Ecclesiastici habeant possessiones.*

XI. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum esse excommunicatum a Deo, & qui sic excommunicat, est hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.*

XII. *Prælatus excomnunicans Clericum, qui appellavit ad Regem vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis & Regni.*

XIII. *Illi, qui dimittunt prædicare, sive audire Verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die judicii traditores Christi habebuntur.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

XIV. *Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Episcopi Catholici.*

XV. *Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.*

XVI. *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus.*

XVII. *Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

XVIII. *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum auferre eas.*

XIX. *Speciales orationes applicatæ uni Personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales,*

XX. *Conferens eleemosynam Mendicantibus est excommunicatus ipso facto.*

XXI. *Si quis ingreditur Religionem privatam qualemcunque, tam possessionatorum, quam Mendicantium redditur inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.*

XXII. *Sancti instituentes Religiones privatas sic instituendo peccaverunt.*

XXIII. *Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.*

XXIV.

XXIV. *Monachi tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.* Sæcul. XV. A.C.1415.

XXV. *Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

XXVI. *Oratio præsciti nulli valet.*

XXVII. *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.*

XXVIII. *Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honorem.*

XXIX. *Universitates, Studia, Collegia, graduationes, & Magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ, sicut diabolus.*

XXX. *Excommunicatio Papæ, vel cujuscunque Prælati non est timenda, quia est censura Anti-Christi.*

XXXI. *Peccant fundantes Claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.*

XXXII. *Ditare Clerum, est contra regulam Christi.*

XXXIII. *Sylvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt dotando Ecclesiam.*

XXXIV. *Omnes de Ordine Mendicantium, sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam, sunt excommunicati.*

XXXV. *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad*

Sæcul. XV. A.C.1415. *ſervandum divina præcepta & per conſequens ad perveniendum ad regna cælorum, niſi apoſtataverint ab eisdem.*

XXXVI. *Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eoquod poſſeſſionem habent, & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares, & cæteri laici.*

XXXVII. *Eccleſia Romana eſt Synagoga Sathanæ, nec Papa eſt immediatus & proximus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum.*

XXXVIII. *Decretales Epiſtolæ ſunt Apocryphæ, & ſeducunt a Chriſti fide & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent iis.*

XXXIX. *Imperator, & Domini ſæculares ſeducti ſunt a Diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.*

XL. *Electio Papæ a Cardinalibus, per Diabolum eſt introducta.*

XLI. *Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias. Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur univerſalis Eccleſia.*

XLII. *Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ, & Epiſcoporum.*

XLIII. *Juramenta illicita ſunt, quæ ſunt ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia.*

XLIV. *Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt,*

&

& intraverunt religiones, & sic a Papa usque ad infimum Religiosum omnes sunt hæretici. Sæcul. XV. A.C 1415.

XLV. *Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt a Diabolo.*

Absoluta horum quadraginta quinque Articulorum lectione, Archiepiscopus Genuensis alios ducentos sexaginta pariter ex Wiclefi libris depromptos perlegere cæpit; Ast, cum posteriores hi articuli Nationi Gallicæ communicati non fuissent, Cardinalis S. Marci eorum lectionem interrupit. Nihilo secius tamen & illi in præsenti sessione cum omnibus, & singulis Wiclefi libris proscripti fuere. Damnabatur quoque illius memoria, certo enim innotuit, quod in hæresi sua pertinax animam efflaverit, decretumque fuit, ossa ejus, si a fidelium ossibus discerni possent, exhumanda, atque in cloacam projicienda esse. *Vander Hardt tom.4 p.3. p.152. 156.* *ibid. p.156. 157.*

§. XXIX.

Cur Concilium singulas propositiones speciali sua censura non perstrinxerit?

Singulos hosce articulos speciali sua censura notare, Synodo haud necessarium visum est; (*) eoquod jam ab Academiis, *Collect. Judiciorum de nov. Error. tom.1.part.2 p.51. col.1.* *Spelm. Conc. Brit. to.2.p. 267. & seq.*

(*) Hoc §. Continuator a quibusdam credebatur,

Sæcul. XV. A.C.1415.

miis, Parisienſi, Anglica, Pragenſi, & in quodam Concilio Romano Anno MCCCCXII. celebrato diverſis temporibus damnati fuiſſent; præterquam quod plures Prælati, Theologi, aliique Viri doctrinæ fama celeberrimi, quibus Concilii Conſtantienſis Patres maturum ac ſerium horum articulorum examen demandarunt, jam publicum ſuum deſuper tuliſſent ſuffragium. Porro quamvis plures Doctores diverſarum Nationum de hiſce articulis ſuam ſententiam ſcripto tradiderint, non niſi tamen ejusmodi cenſuræ in lucem editæ ſunt. Prima titulum præſefert: *Theologorum Conſtantienſium brevis cenſura XLV. articulorum Wiclefi.* Et ſecunda ſub titulo: *Theologorum Conſtantienſis Concilii diffuſa condemnatio.* &c. In brevi illa cenſura primus Articulus declaratur *falſus, erroneus, & hæreticus.* Secundus, *hæreſin ſapiens*, tertius. *hæreticus*, quintus, *falſus & erroneus.* Sextus, *falſus, male ſonans, piarum aurium offenſivus, necnon ſimplicium ad obediendum diabolo inductivus.* Septimus, *hæreticus*, & ſic de reliquis. In cenſura vero prolixioribus verbis concepta quoddam reperi-

Labb to.11. p.2322. Collect. judic. p.51. col. 2.

Faſcicul.to. 1. p. 140. edit.1. & 2. p. 280.

Vander Hardt to. 3. part. 12. & 13.

pag. 170.

pag. 172.

pag.174.

debatur, tacite voluiſſe ſugillare S. Sedem, quæ pariter *in globo*, uti dici ſolet, errores Baji, Quesneli, & aliorum recentiorum hæreticorum errores damnavit.

reperitur discrimen, nam primi tres arti- Sæcul. XV.
culi, & quintus ibi declarantur omni- A.C.1415.
no ut hæretici, sicut & nonnulli alii. *Collect. judic. tom. 1. part. 2. p. 53. col. 2.*
Hanc diversitatem judiciorum ac censurarum ex modico animorum consensu, qui inter quatuor illarum Nationum Synodales Theologos, & præcipue inter Universitatis Parisiensis Deputatos propter Joannis Parvi caussam inter se dissidentes obversabatur, proveniisse conjectura est.

§. XXX.

Nationis Germanicæ congregatio.

Finita Sessione in omnibus Urbis, & *Vander Hardt to. 4.*
Constantiensium Ecclesiarum valvis, *p. 137.*
incipiendo a porta, quæ appellatur Schwitzport, seu porta Helvetica, per quam Papa fuga elapsus est, Joannis citatio solemniter affigebatur. Die autem Sabbati, vesperascente cœlo, Nationi Germanicæ ad tractandum unionis negotium collectæ, quidam Concilii Promotor, Joannes Abundi nomine, proposuit, quod nonnulli promovendæ unionis Ecclesiasticæ studiosi specialia hanc in rem suggererent monita, proin tres Deputatos, Viros cetera prudentes, atque discretos, qui cum illis desuper conferrent, nominare consultum fore. Annuit Natio, atque Gnesnensi & Ripensi Archiepiscopis,

nec-

Sæcul. XV. A.C. 1415. necnon Alberto Episcopo Ratisbonensi provincia hæc demandata est.

§. XXXI.

Tres Cardinales Scaphusia Constantiam reversi.

Sub idem tempus tres Cardinales, qui Joannem Scapusiam secuti erant, nimirum Raynaldus de Brancaciis, Otto Columna, & Cardinalis Tricaricensis Nepos Pontificis, Constantiam reversi sunt. Eodem quoque die plurimi Officiales Pontificii Papam Friburgum comitati redierunt, Domini sui exauctorationem proximius instare suspicati.

§. XXXII.

Dux Austriæ Cæsari reconciliatus.

Reichental ad fol. 20.

Naucler. gener 48. p. 440.

Postera die quinta Maji Nationum Deputati conventum agebant, ob reconciliationem Friderici Ducis Austriæ cum Sigismundo Imperatore celeberrimum. Intererant circiter quadraginta Archiepiscopi, atque Episcopi, plurimi Abbates, & Doctores, necnon plusquam viginti Oratores. Postquam Imperator, cujus mandato convocati erant, hujus conventus causſam exposuisset, simulque se, quo minus pacem Austriæ Duci daret, juramenti religione præpeditum asseruisset,

ruiſſet, eoquod ſe nunquam eidem pacem vel inducias conceſſurum jurata fide ſpopondiſſet, Deputati Sigismundo reſponderunt, non agi de pace ex æquo, ſeu inter pares conficienda, ſed de venia Vaſallo, & captivo petenti concedenda, nullatenus ergo facto tam generoſo juramenti fidem violari. Imperatore horum conſiliis acquieſcente, illico quatuor nominantur Prælati, qui Ducem Auſtriæ adirent, illumque in conſpectum Cæſaris adducerent. Ingreditur Fridericus conventum, medius inter Ludovicum de Bavaria, & Burgravium Norimbergenſem, quorum alter alterius manum ſtringebat. Simulac Sigismundi conſpectum ſubirent, in genua procidunt, & Norimbergæ Burgravius Auſtriæ Ducis Nepos in hæc verba perorat: „ Avunculus meus Fridericus „ Auſtriæ Dux hic præſens me rogavit, „ ut Cæſari ob læſæ Majeſtatis crimen, „ Concilio autem ob innumera contra „ Clericos ac laicos, Monaſteria, Viduas, „ atque Orphanos patrata ſcelera, pro „ eo ſupplicarem, veniamque peterem; „ Idem Dux, ſe ſuaque omnia, ditiones „ & bona poteſtati, ac clementiæ Cæſareæ Majeſtatis ſuæ ſubjicit, atque tradit, necnon pollicetur, ſe Joannem „ Conſtantiam reducturum, dummodo „ Friderici Ducis honori cautum eſſet; „ rogat etiam, ne altefato huic Pontifici,

Sæcul. XV. A.C. 1415.

„ ſuis-

Sæcul. XV. A.C.1415. „ suisque Ministris in eorum personis, aut „ bonis ulla inferatur violentia. „ Absoluta hac oratione ipse Dux Austriæ propius accedens, ad pedes Cæsaris in genua prostratus veniam petiit, cunctaque a Burgravio Norimbergensi Nepote suo proposita rata habuit, complicatis manibus promittens, se nunquam, neque per se, neque per alium quicquam adversus Cæsaream Majestatem attentaturum. Imperator intimo pietatis sensu commotus, data dextera supplicantem levavit, eique petitam gratiam indulsit.

Eodem die post meridiem, Fridericus iterato in alia quadam Congregatione comparuit, & publice legit instrumentum, in quo declarat, quod seipsum, urbesque suas, atque arces tam in Suevia, Alsatia, Brisgovia, Tiroli, quam alibi sitas in manus Imperatoris tradat, ut is de illis pro suo arbitrio disponeret. Denique spondet, se Joannem suæ Majestatis manibus consignaturum, necnon interim, donec Imperator omnium ditionum plenam haberet possessionem, obsidem permansurum, sique vel in minimo contraveniisse argueretur, declarat, omnia sua bona ad Imperatorem devolutum iri, utque promissum firmius esset, Norimbergensem Burgravium, & Bavariæ Ducem vades constitui. Sub idem tempus Fridericus omnibus suis Gubernatoribus,

atque

atque Præfectis præcepit, Sigismundo juramentum fidelitatis præstarent; unde Imperator missis copiis ditiones hujus Ducis in fidem suam recepit. Solos Helvetios sibi obluctantes expertus est, qui bello parta sibi vendicare allaborabant. Ex his tamen Urienses spoliis hujus Ducis pagum suum ampliare nolebant. Nec minori contentione opus erat, ut ea, quæ Fridericus in Tiroli possederat, Imperator sibi subjiceret; Nam Ernestus ab Austria frater ejus natu major a Tirolensibus in auxilium vocatus, adversus Imperatorem Comitatum hunc propugnavit, ejusque Deputatis respondit: redeant, unde venerunt; jam satis divitiarum Sigismundus ex fratris me spoliis corrasit, proin justum est, ut ei saltem aliqua supersint. Cum vero Imperator Synodi negotiis magis occuparetur, nil ultra moliri voluit. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XXXIII.

Duo Episcopi cum Burgravio Friburgum ablegati, Pontificem reducturi.

Nullum non movebant lapidem Synodi Patres, ut Joannem Constantiam redire compellerent. Ablegant ergo Friburgum Bisuntinum, & Rigensem Archiepis- *Vander Hardt to. 4. p. 163.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

chiepiscopos, ut Pontificem ad reditum inducerent. Mittit quoque Imperator pro parte sua Norimbergæ Burgravium trecentis militibus stipatum. Dum Friburgum veniunt, Pontificem jamjam, Ducis Austriaci opera, captivum reperiunt; nihilominus tamen omnes urbis aditus, ne fuga elaberetur, valido custode muniri jubent. Prælati ergo Papam adeunt, suadentque, ut cum illis, utpote citatus, ad Synodum rediret, caussam suam publice in nona Sessione defensurus. Joannes, quamvis hi duo Prælati ex improviso adveniissent, nihilo tamen commotum simulans animum, vultu sereno eos excipit, respondens, se Constantiam ire paratum, nihilque intimius animum ejus torquere, quam quod pernicioſa susurronum consilia secutus, a Synodo discessisset. Ast ubi Burgravium Norimbergensem trecentis armatis cinctum, & Cæsaris jussu adesse conspexit, seque non honorifica, nec ea, quæ summos Principes decet, custodia detineri animadvertit, parumper conterritus hæsit, magis tamen concidebat animo, cum videret, se non Constantiam, sed alium in locum deduci.

§. XXXIV.

Sæcul. XV.
A C 1415.

§. XXXIV.

Commissarii ad pacem Polonos inter & Teutonicos stabiliendam denominati.

Patrum Constantiensium cura etiam circa alia occupabatur negotia. Dissidia quippe Teutonicos inter, & Polonos, eorumque vicinos obversantia non parum Synodi Prælatos fatigabant. Ad hujus itaque causſæ discussionem nominantur Commissarii. Ladislaus enim Jagello Poloniæ Rex, & Alexander Witholdus Magnus Lithuaniæ Dux ad universos Christi fideles dabant Epistolas, conquesti, quod Equites illi, spretis omnibus nuperæ pacis conditionibus, continuis vexationibus Polonos premerent. Sigismundus quidem ex eo tempore, quo ad Imperii solium evectus fuerat, inter Equites & Polonos conciliandæ pacis auctorem se interponebat, factæque sunt induciæ, imo & juramento firmatæ, attamen Equites pactam fidem fregerunt primi, satis ejusmodi perfidiis assueti. Ergo compulsi erant Ladislaus & Witholdus ad auctoritatem Concilii recurrere. Nec tamen tunc temporis opportunius adhiberi poterat remedium, quam quod Cardinalis Zabarella, & ex qualibet Natione duo nominarentur Deputati, ut hæc *Vander Hardt to. 2. p. 170.*

Sæcul. XV. A.C.1415.

dissidia ad examen vocarent, quæ tamen nonnisi longo ex post tempore sopita fuere.

§. XXXV.

Sessio nona.

Labb. Conc. tom. 12. p. 52.

Die decima tertia Maji celebrata est Sessio nona. Post Missam solemnem, sermonem, precesque consuetas, Benedictus Gentianus Benedictinus, legit Universitatis epistolam ad Synodum & Imperatorem directam, in qua eos ad unionis negotium, insuperhabita Pontificis fuga, strenue prosequendum adhortatur. Absoluta hac lectione Antonius de Piro, & Joannes de Scribanis Concilii Promotores assurgebant, horumque primus verba faciens, postulabat, ut ex eo, quod Joannes Papa vocatus, unacum suis fautoribus nec per se nec per alios comparuisset, adversus eum judiciaria instituetur actio, simulque ad instituenda judicii acta nominarentur Commissarii; insuper proposuit, Patres legum necessitate obstringi, ut Papam ab omnibus Pontificatus sui functionibus suspensum declararent, si iterato ad valvas Ecclesiæ more consueto citatus fuisset. Ad hæc Cardinalis Florentinus assurgens dixit, Papam ad quosdam Purpuratos misisse cessionis mandatum, eoque ex illis tres ablegasse Procuratores nomine suo coram

ram Synodo comparituros, atque ad accusationum capita responsuros, scilicet Petrum de Alliaco Cardinalem Cameracensem, Guilielmum Cardinalem S.Marci, & se Cardinalem Florentinum. Ast tam a se, quam a suis Collegis hanc provinciam esse recusatam, ideoque Papam ad subeundum hoc negotium illos dato Brevi adhortatum fuisse, hoc tamen insuperhabito, cum ceteri duo Pontificios Procuratores agere renuissent, nec se hoc munus suscipere velle. Ejusdem etiam sententiæ erat Cardinalis S. Marci, Cardinalis vero Cameracensis declaratio, cum absens esset, ignorabatur. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XXXVI.

Joannis mandatum a Synodo rejectum.

Post hæc Promotores Concilii, quantum in ipsis erat, exposito cessionis mandato obluctati sunt, declarantes, Papam, cum de citatione personali ageretur, per se ipsum, non vero per Procuratores comparere teneri, certum quoque esse, Joannem, eoquod ejusmodi Procuratores nominasset, citationis factæ notitiam habuisse, proin illum contumacem esse, satis comprobari.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. XXXVII.

Commissarii ad formanda judicii acta dati.

Igitur duo Commissarii & quinque Prælati Pontificem ternis vicibus ad valvas Ecclesiæ citare jubentur, cum vero nemo compareret, erecto citationis factæ instrumento publico, viginti tres nominantur Commissarii, qui testes audirent, exceptisque eorum juramentis, tandem ad conficienda judicii acta procederent.

§. XXXVIII.

Bulla cessionis a Gregorio Papa ad Synodum missa.

Citatione facta, quantocius Imperator convocatis Nationum Deputatis exhibuit epistolam Caroli de Malatestis, Ariminensis Toparchæ, die vigesima sexta Aprilis datam, & Nationibus inscriptam, cui adjecta erat Gregorii XII. Bulla, qua Pontifex iste Nobili huic Viro potestatem concessit, suo nomine Papatum dimittendi, & Constantiensis Concilii placitis adhærendi. Hæc Bulla directa erat ad Cardinalem Ragusinum, necnon ad Patriarcham Constantinopolitanum, Archiepiscopum Trevirensem, Electorem Palatinum, necnon ad Carolum de Malatestis,

cui

cui Papa insuper delegavit plenam potestatem hoc Concilium tanquam legitimum agnoscendi, & ut Oecumenicum declarandi, non quidem in quantum esset a Balthasare Cossa, qui se Joannem XXIII. nominari facit, sed ab Imperatore convocatum(*)quibus hanc etiam subjecit conditionem, ut idem Balthasar in Synodo Præsidis vices non ageret, imo nequidem præsens adesset. Quibus sub conditionibus, & non aliis plenam illis ea omnia exequendi concessit auctoritatem, quæ ad promovendam unionem expedire judicassent. Imperator hanc Bullam Deputatorum examini reliquit, eo fine, ut si forte vitiosa, vel minus sufficiens foret, eam Carolo de Malatestis secundum Synodi judicium corrigendam remittere posset. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XXXIX.

Conventus Commissariorum ad examinandos testes contra Joannem.

Eadem die Cardinales, quibus a Synonodo datum erat negotium, ut testium

(*) *In Bulla Gregorii hæc verba adjecta leguntur: VICE NOSTRA* ad prædictorum effectum convocandi & authorizandi generale Concilium; *Vide Acta Conc. Const. Sessione XIV.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

ſtium depoſitiones in cauſſa Joannis Papæ audirent, hunc in finem congreſſi ſunt. Ex tredecim teſtibus, quos Curſor Apoſtolicus hora ſecunda poſt meridiem in Conventu FF. Minorum adeſſe juſſit, nonniſi decem comparuere, quos inter Epiſcopi, Abbates, Priores, & Doctores numerabantur. Præſtito teſtium juramento Commiſſarii eorum depoſitiones ad Concilium referre feſtinabant.

§. XL.

Seſſio decima. Joannes contumax ac ſuſpenſus declaratus.

Solemnibus de more peractis Seſſio decima celebrata eſt die decima quarta Maji. Sacris operatus eſt Epiſcopus S. Floriaci, Præſidis vero vices egit Vivarienſis Cardinalis. Ad iteratas Promotorum preces Joannem, ejusque ſequaces tanquam contumaces declarare Synodus decrevit, eoquod poſt citationem, & trinam vocationem comparere detrectaverint. Commiſſarii hoc decretum e veſtigio exequuntur, queis duo adhuc Cardinales, nimirum S. Mariæ in Coſmedin, & Florentinus adjunguntur. Dein teſtium depoſitiones ad Synodum referunt, proponente Cardinale S. Marci, declarantque, quod ex apertiſſimis teſtimoniis ſatis probatum haberent, Joannem

nem fuisse bonorum Ecclesiæ dilapidatorem, simoniacum, scandalosum, fideique perturbatorem, hinc ut talem ab administratione Ecclesiæ tam quoad spiritualia, quam temporalia suspensum, esse pronunciandum. Synodus requirentibus Promotore, & Nationum Deputatis, Joannem administratione bonorum Ecclesiæ exutum declaravit, prohibuitque, ne ei deinceps obedientia præstetur, sibique reservatam voluit ad plenam ejus exauctorationem procedendi facultatem. Hæc suspensionis sententia a Patriarcha Antiocheno lecta ab omnibus Concilii Patribus approbata fuit. Illius tenorem impræsentiarum exhibemus. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XLI.

Sententia suspensionis adversus Joannem XXIII.

In Nomine S. & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quia nobis legitime constat, Joannem XXIII. Papam à tempore, quo fuit assumptus ad Papatum usque nunc Papatum ipsum & politiam Ecclesiæ in scandalum notorium male administrasse, vitaque sua damnabili, ejusque nefandis moribus, populis exemplum vitæ malæ præbuisse, & insuper Ecclesias cathedrales, Monasteria, Prioratus conventuales, & cætera beneficia Ecclesia-

Secul. XV. A.C. 1415.

stica pretio appretiato simoniace notorie distribuisse, bonaque & jura Romanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum dilapidasse, quodque charitative monitus a præmissis desistere noluit, sed continuo perseveravit Ecclesiam Dei notorie scandalizando. Ea propter per hanc nostram sententiam pronuntiamus, decernimus, ac declaramus dictum Dominum Joannem Papam ab omni administratione Papali, spirituali, & temporali, ex caussis præmissis fore suspendendum, & suspendimus, eique administrationem ipsam interdicimus, quocirca tenore præsentium districte inhibemus, ne quiscunque cujuscunque status, conditionis, gradus seu dignitatis, etiamsi Regalis, Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis seu alterius cujuscunque Ecclesiasticæ vel sæcularis existat, de cætero directe vel indirecte obediat, decernentes contra facientes contrarium, tanquam contra fautores dicti schismatis & Joannis Papæ, ad pœnas Juris & alias . . . fore procedendum.

§. XLII.

Error de Communione sub utraque specie a Jacobello in Bohemia divulgatus.

Harpsfeld Hist. Wiclef. lib. 14.

In hac eadem Sessione, cum Episcopus Littomislienſis in Moravia doctrinam de Communione sub utraque specie Synodi

nodi Patribus denunciaſſet, hæc cauſſa examinari cæpta eſt. Quidam nomine Petrus Dreſdenſis, ob hæreſin Waldenſium Saxonia expulſus, Pragam confugit, ibidem Pædagogum acturus. Hic Jacobum Miſnienſem, alias Jacobellum dictum, Parochiæ ad S. Michaelem Plebanum excitavit, ut uſum calicis introduceret. Nam cum Petrus Dreſdenſis quadam die Jacobellum inviſeret, mirari ſe, dixit, virum adeo doctum, illum tamen errorem, qui in Eccleſiam circa calicis oblationem irrepſiſſet, non animadvertiſſe, nec ad illum corrigendum hucusque animum adjeciſſe. Jacobellus Hæretici hujus ſermonibus captus, uſum calicis omnino introducere ſtatuit. Quapropter adverſus avitam Eccleſiæ conſuetudinem publicas Theſes affigi jubet, in eandem ſententiam e ſuggeſtu perorat, atque adſtipulante ſuorum Collegarum quopiam, Simone Rzepenski nomine, vix non univerſum populum ad Euchariſtiam ſub duplici ſpecie ſumendam inducit; Clero autem novitati huic acriter obluctante, Jacobellus a ſua Parochia amotus fuit, qui tamen ad Eccleſiam Parochialem S. Martini admiſſus, eandem doctrinam ſpargere non deſtitit. Prodiere contra eum varia ſcripta, quibus reſpondere conabatur, tandemque hanc ob cauſſam magnis in Bohemia excitatis tumultibus,

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Sæcul. XV. A.C. 1415

Archiepiscopus Pragensis eum anathemate percussit, nec tamen Jacobellus inde resipiscens, dogma suum ubique prædicare non abhorruit; quocirca Clerus ad Synodi auctoritatem recurrens illum denunciavit.

§. XLIII.

Joannis Hussi vindiciæ a Nobilibus Bohemis Synodo porrectæ.

Vander Hardt to. 4. p. 188.

Joannes Hussus, quamvis hujus novitatis architectus non esset, nihilominus eandem suo quoque calculo approbavit, atque in usum deduxit. Hinc Littomisliensis Episcopus doctrinam hanc tanquam Hussiticæ sectæ furculum, Synodo excutiendam proposuit. Ex altera vero parte Bohemiæ Proceres Epistolam ad Concilium dederunt, in hac eadem Sessione perlectam, in qua Joannis Hussi detentionem, ceu æquitati ac bonæ fidei adversam, acriter questi sunt, simulque Bohemiam a quibusdam rumoribus, ad infamiam Regni circa Eucharistiam divulgatis, vindicare satagebant; nam fama exibat, in hoc regno Sanguinem Christi Domini in Calicibus non consecratis circumferri, a sutoribus fidelium confessiones excipi, ab eisque ipsum Eucharistiæ Sacramentum administrari. Cumque in hac Epistola Littomislien-

sem

sem Episcopum, suppresso licet nomine, sugillarent, & tanquam delatorem, atque infimæ plebeculæ rumorum captatorem nimis credulum traducerent, hic ad diluenda sibi objecta spatium concedi postulavit; quam ob rem hæc caussa ad aliam remittebatur sessionem. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XLIV.

Judicii acta contra Joannem Papam.

Post hæc Synodus ad prosequenda judicii acta adversus Joannem XXIII. sua studia convertit, quem quidem jam antea suspensum, etiam sede sua depositum voluit; unde alii testes audiendi, & Papa pro quarta vice citandus erat, accusationum capitibus adversus eum productis responsurus. Verum illo minime comparente, triginta septem testium jurata audiebantur testimonia, quos inter Episcopi decem numerati fuere, reliqui omnes perinde Viri spectatissimi ac fide dignissimi. *Ibid. tom. 4. p. 193.*

§. XLV.

Accusationum capita adversus Papam.

Summa accusationum septuaginta complectebatur articulos, qui omnes idoneis testibus probati erant. Ex his tamen *Ib. pag.* 196.

Sæcul. XV. A.C 1415.

men viginti supprimebantur, nonnisi quinquaginta coram universo Cœtu perlectis. Quæ vero prætermissa fuere accusationum capita, tangebant privata illius crimina. Accusabatur enim, eum Prædecessoris sui Alexandri V. mortem propinato veneno acceleravisse, adulteriis, fornicationibus, incestibus, omniumque libidinum fœditate contaminatam duxisse vitam, plura beneficia accepta pecunia vendidisse, legationem Bononiensem intolerabili tyrannide obiisse, omnia Religionis, ac pietatis exercitia tanquam profana, vel Paganismum redolentia contempsisse. Illi vero articuli, qui in hac Sessione iterum legebantur, speciatim respiciebant simoniam, nec non vitam ejus dissolutam, violentas pecuniarum extorsiones, oppressiones, Patrimonii S. Petri dilapidationes, ejus infidelitatem, & perjuria. Cuncta ista scelera erant manifesta, & publica, complurium Archiepiscoporum, Episcoporum, Præsulum, atque Doctorum testimoniis comprobata: Hinc lata est sententia: Joannem esse hominem pervicacem, obduratum Peccatorem, atque incorrigibilem schismatis fautorem, & ut talem, necnon propter alia plane indignum esse Pontificatu.

§. XLVI.

Sæcul. XV.
A.C.1415.

§. XLVI.

Episcopus Littomislienſis auditus.

Biduo poſt indicta fuit congregatio, in qua Littomislienſis Epiſcopus audiretur, ad epiſtolam Nobilium Bohemorum reſponſurus. Epiſcoporum quidam nomine Concilii reſpondit, Joannem Huſſum, dum comprehenderetur, nullis publicæ fidei literis munitum fuiſſe, ſed primum eas obtinuiſſe, poſtquam jam Romam vocatus ab Alexandro V. excommunicatus eſſet; item Huſſum eſſe Hæreſiarcham, ſuamque pravam doctrinam, quamprimum Conſtantiam veniſſet, concionibus ſuis diſſeminaſſe, ideoque jure merito carceri mancipatum fuiſſe.

§. XLVII.

Littomislienſis Epiſcopi reſponſum.

His ſubjunxit Littomislienſis Epiſcopus, exploratam rem eſſe, quod Novatores in Bohemia Laicis communionem ſub utraque ſpecie adminiſtrarent, atque docerent, hunc communicandi modum omnino neceſſarium fore, ſique Clerici ſe ſe opponerent, ſacrilegii reos eſſe habendos; ajebat itidem, omnino ſibi conſtare, quod Sanguis Chriſti Domini in vaſibus non conſecratis ad infirmos deferretur,

Vander Hardt to. 4. p. 208.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

retur, simulque a viris fide dignis accepisse se, quamdam hujus sectæ fœminam sibimetipsi sacram hostiam porrexisse, atque dixisse, quod probi Laici absolutio magis valida esset, quam absolutio mali Sacerdotis. Negabat tamen Episcopus, se unquam affirmasse, quod sutores confessiones excepissent, aut Sacramenta administrassent, timendum tamen, ne & hoc temerarie præsumerent, nisi Synodus de remedio provideat. Ad hæc Bohemis aliquam dilationem ad respondendum petentibus, annuere Patres.

§. XLVIII.

Joannes Papa ad Ratolfi Cellam ductus.

Niem. in vita Joan. XXIII.

Eodem tempore nunciatum est, Joannem, cum ad Synodum venire recusasset, Ratolfi Cellam, Sueviæ oppidum tertio, aut amplius lapide Constantia distans deductum fuisse. Hac de re Norimbergæ Burgravius Synodum certiorem fecit; unde postera die Astensis, Augustanus, & Tolonensis Episcopi, cum duobus cujuslibet Nationis Doctoribus eo ablegati sunt, ut illius custodiæ præessent, ac cum eo versarentur. Postquam in dicto castro custodiæ traditus fuisset, duodecim seu tredecim Cardinales eadem accusationum capita superius allata jure-

jurando

jurando firmarunt, & Cardinalis ab Ur- Sæcul. XV.
sinis, qui & ipse testis erat, a ceteris jura- A C. 1415.
mentum excepit; nomina horum sunt: Cardinales, Vivariensis, Venetus, Pisanus, Placentinus, S. Nicolai, de Salutiis, S. Adriani, Florentinus, S. Susannæ, Cameracensis, & Laudensis, omisso Cardinale S. Marci, qui ob adversam valetudinem audiri haud poterat.

§. XLIX.

Nationum Congregatio ad audiendos Bohemiæ Deputatos.

Altera die ad Bohemorum causam redire Patres. Bohemiæ Nobiles, ut responso nomine Concilii sibi dato satisfacerent, Nationum Deputatis in unum congregatis libellum porrigunt, in quo asserunt, Joannem Hussum Cæsareis securitatis literis jam a decima quinta Julii prioris anni munitum fuisse, eundemque non nisi ob prævisa vitæ suæ discrimina Romæ non comparuisse, proin omni culpa vacare, falsoque narrari, eum Constantiæ ad populum e suggestu dixisse, cum nec ad momentum hospitio suo, in quo moratus fuisset, excesserit. Postea schedam a Joanne Husso prima die Septembris anno Domini millesimo quadringentesimo undecimo scriptam producunt, in qua Hussus omnibus viribus con- *Vander Hardt to. 4. p. 211.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

conteſtatur, injuſte ſe accuſari, ac ſi docuiſſet, ſubſtantiam panis remanere in Euchariſtia; Corpus Chriſti, dum elevatur, in hoſtia adeſſe, abeſſe autem poſt elevationem; Sacerdotem in peccato mortali conſtitutum non conſecrare; poſſe Dominos bona temporalia Eccleſiis diripere, illisque decimas abnegare, indulgentias inanes eſſe; Clericos libere occidi poſſe, aliosque nonnullos errores. Cum vero Synodus ad libellum non reſpondiſſet, Bohemi ultima die Maji iteratas offerebant literas, quibus Huſſum pluries declaraſſe affirmabant, ſemper a mente ſua longe abfuiſſe, vel ullum errorem docere, aut quovis pacto a veritatis ſemita aberrare; afferebant pariter, propoſitiones ex Huſſi operibus decerptas ab ejusdem adverſariis perperam truncatas, ſoloque Virum opprimendi ſtudio adulteratas fuiſſe; denique rogabant, ut Synodus Huſſum ad ſui defenſionem e carcere liberum dimitteret, ſui loco cautionem offerentes. Adjectum quoque erat ſupplici huic libello Epiſcopi Nazareni teſtimonium; Nihilominus hi incaſſum laborabant.

§. L.

Suſpenſionis ſententia Joanni Papæ per Synodi Deputatos denunciata.

Niem. apud Vander Hard tom. 2. pag. 406.

Miſit Concilium ad Cellam quosdam Depu-

Deputatos, qui Joanni ſuſpenſionem a Pontificatu ſuo, necnon hujus ſententiæ cauſſas nunciarent. Acerbo valde animo hunc nuncium tulit Joannes; hinc ſua crimina deplorans, haud vulgaria pœnitentiæ ac ſubmiſſionis ſigna edidit. Mox vero Deputati ab eo poſtulant, unacum ſupplicationum tabulis ſigillum, & annulum Piſcatoris redderet; annuit Pontifex nihil hæſitans, ſeque eorum cuſtodiæ cum magna demiſſione tradidit. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. LI.

Hieronymus Pragenſis coram Concilio.

Triduo expoſt die vigeſima tertia Maji Hieronymus Pragenſis vinculis conſtrictus Conſtantiam venit, ſicque ligatus Electori Palatino ſiſtitur, qui ipſus eum ad ædem Franciſcanorum duxit, ubi ad illum examinandum habita eſt congregatio. Interrogatus, cur fugerit, ac comparere detrectaverit? reſpondit, ſe ad fugam compulſum fuiſſe, eoquod ſibi publica ſecuritatis fides denegaretur, & citationis edictum omnino ignoraſſet. Poſtea Gerſonius, cui Hieronymus de Praga jam aliunde notus erat, in memoriam revocat, eidemque magnos, quos olim in Univerſitate ſuis quæſtionibus ſcholaſticis excitaſſet, tumultus exprobrat. Alius vero quidam Colonienſis Doctor *Vander Hardt to. 4. p. 215.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Hieronymo objicit, ab ipso in hac Academia complures erroneas sententias fuisse edoctas. Itemque Heidelbergensis Doctor illum errores contra fidem SS. Trinitatis tradidisse testatur. Hieronymus ad omnia ista accusationum capita satis modeste respondit, aliisque exclamantibus: *Comburatur*, ipse reposuit, *si vobis placet mors mea, in nomine Domini*, ad quæ Salisburgensis Episcopus: *Non Hieronyme, quia scriptum est, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.*

§. LII.

Carceri inclusus.

Absolutis hisce quæstionibus Urbis Magistratui traditur, in Turrim Ecclesiæ D. Pauli deducendus. Ubi gravi morbo decumbens, usque ad obitus sui diem, scilicet, usque ad Mensem Majum anni sequentis captivus detinebatur.

§. LIII.

Nationum Conventus in caussa Joannis Papæ.

Ibid. p. 219. Convenerant die vigesima quarta Maji Nationum Deputati super materiis deliberaturi, quæ in undecima Sessione altera die celebranda agerentur. In hoc cœtu Commissarii testium, quos excepe-

rant,

rant, depositiones, & jurata accusatio- Sæcul. XV.
num capita proferunt; quosdam tamen A.C.1415.
articulos, eosque acerbiores supprimere, nullamque de illis mentionem facere constituebant, saltem illos nunquam in Synodo perlectos fuisse constat, unde conjectura est, ita a Nationum Deputatis communi consilio fuisse sancitum. Posthæc Henricus de Piro Synodi Promotor quatuor Joannis Bullas produxit, ut ex illis accusationem contra eum factam comprobaret, crimini enim dabatur, Joannem Cypri Regi commendam D. Joannis Hierosolymitani Equitum unacum spoliis Prædecessoris vendidisse in favorem quinque annorum pueri, qui altefati Regis filius spurius erat. Huic eidem parvulo nomine Aloysio, ut non obstante ejus infantia, spretisque contrariis hujus Religionis constitutionibus, Professionem emitteret, veniam dedisse, nec hanc datam licentiam revocasse, nisi sub hisce conditionibus, ut Religio Equestris Regi Cyprio nummos pro Commenda solutos restitueret, Pontifici vero sex millia florenorum in parata pecunia numeraret, atque præter quoddam Officium, ex quo hic bis mille florenos percipere-ret, insuper annuam duorum millium florenorum pensionem huic Notho assignaret, necnon præmissas hasce conditiones ad amussim executioni mandaret,

Sæcul. XV. A.C. 1415.

nequicquam obluctantibus hujus Ordinis Religiosis Equitibus. Cuncta ista accusationum acta sigillo muniebantur, ad undecimam Synodi sessionem deferenda.

§. LIV.

Sessio XI. Accusationum articuli contra Papam approbati.

Labbe Conc. tom. 12. p. 67.

Postera die vigesima quinta Maji habita est Sessio ordine undecima; in qua Synodi Procuratores accusationum capita adversus Joannem deposita, quæ potissimum manifesta, aut testibus comprobata continebant scelera, in scripturam redacta porrexerunt Concilio. Hos articulos jam antea recognitos, Posnaniensis Episcopus suo ordine prælegit omnes, exceptis iis, quos ob honestatem supprimendos censebant, & quolibet capite sigillatim recitato, alias testium depositiones, eorumque dignitates, aut status conditiones, suppressis tamen illorum nominibus, adjecit. Cunctos hosce articulos approbavit Synodus; quapropter postmodum quinque nominavit Cardinales, nimirum Ursinum, de Chalanto, de Salutiis, Cameracensem, & Florentinum, qui Ratolfi Cellam ituri, de actis hujus Sessionis, & de firmo exauctorationis proposito Joannem certiorem redderent. Cumque Synodus Papam ex eo tempore,

re,

re, quo illum exauctoraverat, haud ultra ut Pontificem veneraretur, ex qualibet Natione Protonotarium, & Notarium nominabat, qui *nomine Concilii* acta literis mandarent. Legit postea Benedictus Gentianus Universitatis Parisiensis epistolam, quibus peractis Sessio soluta est. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. LV.

Plena submissio a Joanne promissa.

Sequenti die Synodales Deputati Cellam ad Joannem proficiscuntur, nullatenus pedum osculo illum venerantes, eoquod dignitatis suæ insignia deposuisset; nihilominus proximius adeuntes, manum ejus ac genas osculati sunt. Expositis demum accusationum momentis adversus ipsum productis interrogabant, utrum judiciariæ actionis executioni contradicere, hasque accusationes elidere vellet? ipse autem, se decretis ac Concilii decisionibus ex asse obtemperaturum respondit. Cum vero tristitia animum ejus opprimens, vocem intercluderet, scriptam Deputatis tradidit schedam, quam secum Constantiam deferrent, sequentibus conceptam verbis: „Se a tem„ pore Concilii Pisani usque ad præsen„ tem diem pro unione Ecclesiæ redden„ da omnem impendisse operam; da„ mnare itidem ex intimo cordis sui

Sæcul. XV. A.C. 1415.

„ turpem ſuum a Synodo receſſum, nec „ ſe contra accuſationum capita ullam „ defenſionem oppoſiturum, ſed omnino „ fidem priori die datam, ſuaque manu „ ſignatam liberaturum, atque obtempe- „ raturum in omnibus Concilii judicio, „ nam venerari ſe Conſtantienſem Sy- „ nodum tanquam ſanctiſſimam, atque „ erroris neſciam, ſique ſacræ huic Sy- „ nodo videretur, paratum ſe eſſe, Pa- „ patui renunciare, id unicum tamen „ rogare, ut Concilium in hac ſua ſen- „ tentia, quanto honeſtius fieri poſſet, „ honori, Perſonæ, & ſtatui ſuo conſu- „ lere velit, ſalvis tamen Eccleſiæ juribus.

§. LVI.

Alii adhuc Deputati ad Joannem.

Ipſa die vigeſima ſexta Maji Cardinales Deputati Conſtantiam rediere, atque in Congregatione poſtridie habita Synodi Patres de vera Joannis ſubmiſſione certiores fecerunt. Hac relatione percepta, duo Epiſcopi, totidemque Abbates tanquam Commiſſarii unacum Pronotariis Cellam ablegantur, partim condemnationis momenta Pontifici, ut ab iis ſe purgaret, exhibituri, partim eidem nunciaturi, ut Conſtantiam exauctorationis ſuæ ſententiam ibidem perceptu- rus veniret. Excepit Joannes hos Commiſſa-

missarios eadem quoque animi demissione, decretum tamen damnationis suæ legere renuit, inquiens, se Concilium ut infallibile venerari, de cetero inhærere se scripto, quod nuper Cardinalium manibus consignasset. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. LVII.

Epistola Joannis ad Imperatorem.

Præterea Deputatos id tantum rogavit, ut ad Imperatorem suam deferrent epistolam, qua eandem ab illo, quam prius a Concilio postulaverat, gratiam petiit, scilicet, ut honori, ac status sui decori consulere vellet. Huic epistolæ, licet verbis admodum obsequiosis conscripta esset, nihilominus quædam inseruit, quibus Sigismundum jam redarguit, mox tamen demulcere studuit, inquiens: „ In „ extremis hisce calamitatibus constitu- „ tus ultimam in Cæsareæ Majestatis „ tuæ patrocinio spem repositam habeo, „ itaque impense obsecro, ut facta Papa- „ tus abdicatione honori ac saluti meæ „ providere digneris. „ Jam antea quidem decretum fuerat, sententiam die vigesima septima Maji contra Joannem pronunciare, quæ tamen, cum necdum omnia ad hunc actum fuissent expedita, ad vigesimam nonam ejusdem Mensis protrahebatur, missis interim Deputatis, qui *Vander Hardt to.4. p. 259.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

eidem significarent, dilatum fuisse judicium decretorium, ad duos adhuc dies, nec ita rigorosum, prout antea conceptum fuisset, prolatum iri.

§. LVIII.

Congregatio de itinere Cæsaris.

Ibid. p. 265.

Dein actum est de itinere Imperatoris, Niciam Mense Junio profecturi, qui datis ad Arragoniæ Regem literis eundem rogavit, ut colloquium ad Mensem Julium prorogaret, quandoquidem ob Joannis Papæ fugam diutius Constantiæ morari compelleretur. Ast Arragonii responsum, licet vigesima octava Aprilis datum, primum sequenti Mense ad Cæsarem pervenit. Interim in hac Congregatione propositum est, ipsius Synodi honorem exigere, ut nonnulli Cardinales Sacræ Cæsareæ Majestati tanquam itineris Socii adjungerentur; postea actum est de Concilii Protectore, in absentia Sigismundi, seligendo. Hoc honore afficiendum censebant Patres Electorem Palatinum, quia vero is Gregorio Papæ quondam adhæserat, Purpurati, instante Ursino Cardinale, potius Norimbergæ Burgravio hanc spartam esse deferendam existimabant. Quibus sancitis, Vivariensis, Cameracensis, de Salutiis, & Florentinus nominati sunt, qui Imperatorem comitaren-

mitarentur. Cum autem Arragonum Rex dilationi hujus itineris a Sigismundo petitæ assentiretur, horum Deputatorum electio in aliud tempus remissa est. Interim tamen pro Sessione sequenti præviæ dispositiones factæ fuere. Sæcul. XV. A C 1415.

§. LIX.

Sessio duodecima.

Die vigesima nona Maji celebrata est Sessio numero duodecima. Ubi sacrum solemne de Spiritu Sancto decantabat Patriarcha Antiochenus, præsentibus Imperatore, Vivariensi Cardinale, qui & Sessioni præfuit, omnibusque Principibus, ceteris Cardinalibus atque Legatis. Prælecto S. Evangelio ex cap. XII. S. Joannis: *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*, Episcopus Vaurensis, qui posterioris Deputationis ad Joannem socius fuit, ea, quæ altefatus Papa ipsi in responsis dederat, Synodo retulit. *Labbe Conc. tom. 12. p. 92.*

§. LX.

Sententia depositionis in Joannem promulgata.

Posthæc Atrebatensis Episcopus, requirente Synodi Promotore, depositionis decretum recitavit, his verbis conceptum. *Bzov. an. 1415. Conc. gener. to. 12. p. 95.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Sacroſancta Synodus . . . pronuntiat, decernit, & declarat, receſſum per Joannem XXIII. a Concilio clandeſtine & de nocte in habitu diſſimulato & indecenti factum, fuiſſe ſcandaloſum, pacis & unionis ipſius Eccleſiæ turbativum, & ſchiſmatis nutritivum, a voto, promiſſione & juramento dicti Papæ deviativum, ipſumque Joannem Simoniacum notorium, bonorumque nedum Romanæ, ſed aliarum Eccleſiarum dilapidatorem, malumque ſpiritualium & temporalium Eccleſiæ adminiſtratorem fuiſſe, ſuis deteſtabilibus & inhoneſtis vita & moribus Eccleſiam Dei, & populum Chriſtianum ſcandalizantem . . . . ſeque ex hoc notorie incorrigibilem reddidiſſe, ipſumque propter præmiſſa & alia crimina tanquam indignum S. Synodus amovet, privat, & deponit, univerſos & ſingulos Chriſticolas ab ejus obedientia & fidelitate & juramento abſolutos declarando. Inhibendo inſuper, ne eundem de cætero in Papam nominent, aut illi tanquam Papæ adhæreant, ſeu quoquo modo obediant. Porro idem Joannes nomine Concilii condemnatus eſt, *ad ſtandum & morandum in aliquo loco honeſto ſub cuſtodia Sigismundi, quamdiu S. Concilio pro bono unionis Eccleſiæ videbitur neceſſarium. Alias pœnas, quæ pro ſuis criminibus & exceſſibus inferri deberent juxta canonicas ſanctiones, dictum Concilium arbitrio ſuo reſervat infligendas, ſecundum quod rigor juſtitiæ,*

stitiæ, vel misericordiæ ratio suadebit. Hanc sententiam, nemine quicquam reclamante, Vivariensis Cardinalis approbavit, omnibus Synodi Patribus una voce conclamantibus: *Placet.* Confractum postea est Papale sigillum, gentilitium illius stema deletum, & quinque Cardinales deputati, qui Joanni depositionis suæ nuncium deferrent. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. LXI.

Concilii decretum de electione novi Pontificis.

Post hæc Synodus per aliud decretum in eadem Sessione conditum de electione novi Pontificis deliberationem habuit, sanxitque, inhibendum prorsus esse, ne Cardinales, si sedem quovis modo vacare contingeret, absque Synodi consultatione atque consensu ad novi Pontificis electionem ullo pacto procederent, & quidem *sub pœna maledictionis æternæ* tam eligentibus quam electo, eorumque sectatoribus ac tanquam schismatis fautoribus intentata, *non obstantibus quibuscunque juribus, consuetudinibus, & privilegiis quibuscunque, etiam in Conciliis Generalibus concessis, in quantum effectum hujus decreti impedire possent.* Item alio decreto præcepit Synodus, *quod nullo unquam tempore reeligatur in Papam Dominus Balthasar* *Ibid. p. 96.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

thasar Cossa nuper Joannes XXIII, nec Angelus de Corario Gregorius XII, nec Petrus de Luna Benedictus XIII. in suis obedientiis sic nominati. Nullusque cujuscunque dignitatis vel præeminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Cardinalatus aut Pontificali dignitate præfulgeat, huic decreto contraveniat sub iisdem pœnis, *etiam cum invocatione brachii sæcularis.* Denique tertium promulgatum est decretum, quo quatuor Nationum Judicibus datum est negotium, *ut vocarent Prælatos absentes ad Synodum, & punirent non venientes.* Altera die, occurrente festo Corporis Christi, solemnis instituta est supplicatio, ut Deo pro tam felici eventu publicæ redderentur gratiæ.

§. LXII.

Depositionis sententia a Joanne acceptata.

Nominati fuere Commissarii, qui Joanni exauctorationis sententiam perferrent. Hic legit eandem, nihil opponens, discessit tamen, ac quid factu opus, per duas circiter horas solus secum deliberavit; tandem vero eam ratam habuit, plenamque submissionem ostendit, juravitque manu pectori applicata, se absolute, libere ac sincero animo Papatui renunciare, nec unquam tanquam Papam ultra gessurum se, imo nec ipsum Pontificis

cis nomen amplius acceptaturum, si- Sæcul. XV.
mulque Crucem Papalem e cubili suo A. C. 1415.
amoveri jubet, inquiens, se nulla mora ipsis quoque præsentibus Pontificia vestimenta, ceteraque omnia Papatus insignia depositurum, dummodo alias vestes, quibus se indueret, in promptu haberet.

§. LXIII.

Joannes Gottlebiam, inde Heidelbergam delatus.

Absoluta hac deputatione Joannes Cella ad arcem Gottlebiensem deductus est, ubi captivus detinebatur Hussus. Dimissi sunt omnes ejus famuli, solo excepto coquo, & ne horum opera vel amicorum, quorum nonnullos Constantiæ numerabat, molitionibus evadere posset, Imperator negotium dedit Electori Palatino, ut illum Heidelbergam transferret, quovis tamen officiorum genere decenter eum haberet.

Niem apud Vander Hardt to. 4. p. 296.

§. LXIV.

Hæc Synodi gesta Gallis haud probata.

Joannis depositionem Synodus encyclicis suis universæ notam fecit Europæ. Verum quantumcunque gravibus rationum momentis suam agendi rationem vindi-

Monach. S Dionys. Hist. Car. VI

Sæcul. XV. A.C.1415.

vindicaſſet, nullatenus tamen ea probabatur Gallis; Cum enim Ebroicenſis, & Carcaſſonenſis Epiſcopi, Benedictus Gentianus Monachus S. Dionyſii, Guilielmus de Merla Sylvanectenſis Decanus, & Jacobus De Spais a Concilio ad Carolum VI. deputati, ad alloquium Regis admitti peterent, eo obtento, Carolus publice coram Senatu illis dixit: Equidem in Joannis Papæ ceſſionem conſenſimus, nec tamen ſatis mirari poſſumus, quod Papam pro legitimo habitum tam indigno modo deponere attentaveritis. Regi hoc factum diſplicuiſſe manifeſtius apparuit, dum Univerſitatis Rectorem, ejusque ſocios die XIII. Junii aulam adeuntes, acerbius exceperat. Hi enim Regem adibant, ſupplices, ut populum immodicis tributorum, & vectigalium oneribus gravatum ſublevaret; ubi Ludovicus Aquitanicus, Delphinus, pari cum Rege indignatione commotus, ex Joanne Caſtellonio Doctore, qui ceterorum nomine perorabat, quæſivit: cujus conſilio Univerſitas talia peteret? Doctor paulo vehementius reſpondit: ſecreta, atque Academiæ judicia prodere fas non eſſe. Hoc reſponſo Aquitaniæ Dux ira concitatus, Doctorem carceri tradi jubet, ex quo non niſi ægerrime dimiſſus eſt. Tandem eo in libertatem aſſerto, ad Univerſitatis Deputatos ajebat: „ Scitote, preces veſtras

„ exau-

„ exaudiri ex miseratione erga populum, Sæcul. XV.
„ atque ex amore Dei, neutiquam vero A.C.1415.
„ ob merita vestra; vobis enim ea, quæ
„ tamen conditionis vestræ limites exce-
„ dunt, exequendi auctoritatem arroga-
„ tis, unde non parva in Rempublicam *Maimburg l. 5. mag. schism.occid.*
„ mala redundant. Denique, unde vo-
„ bis tanta temeritas, ut in ipsum quo-
„ que Pontificem manus injicere, Papa-
„ lem ei thiaram eripere, illumque digni-
„ tate sua spoliare præsumeretis, prout
„ nuperrime Constantiæ feciſtis? „

§. LXV.

Sollicitudo Imperatoris circa administrationem bonorum Ecclesiasticorum in Germania.

Non obstantibus hisce querelis Joannes dignitate sua exutus permansit, atque Imperator vacante sacra Sede rerum Ecclesiasticarum curam in Germania suscepit, ad Beneficia nominavit, & gratias, quas exspectativas vocant, concessit, quod nonnulli tanquam quid insolitum interpretabantur. Ceterum die trigesima prima Maji statim post festum Corporis Christi Nationes congressum instituerunt, Joannis Hussi causſam prosecuturi. *Gob. Pers. Cosmod. æt. 6. c. 94.*

§. LXVI.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. LXVI.

Libellus ſupplex pro Joanne Huſſo a Bohemis oblatus.

Vander Hardt tom. 4 p. 306.

Cum Bohemi Proceres nullum reſponſum a Concilio retuliſſent, iterato ſupplices obtulerunt literas, exponentes, Joannem Huſſum pluribus declaraſſe, ſe a via veritatis nunquam receſſurum, nec ullum unquam errorem deinceps traditurum; addebant, propoſitiones ex ejus libris excerptas, ab ejus adverſariis mutilatas, atque adulteratas fuiſſe, eo duntaxat conſilio, ut Virum falſis criminationibus impune perderent: Ut vero Huſſi innocentiam, atque Orthodoxiam vindicarent, teſtimonium, quod Inquiſitor hæreticæ pravitatis Pragæ in Menſe Auguſto Anno ſupra milleſimum quadringenteſimo decimo quarto in ejus favorem dederat, produxerunt, tandemque ad calcem libelli eum e carcere dimitti rogarunt, ut recuperatis viribus, atque ſanitate ſuis Cenſoribus reſpondere poſſet, idcirco idoneam polliciti cautionem, eum, antequam ſua cauſſa penitus finiretur, e judicum manibus nunquam elapſurum.

§. LXVII.

Reſponſum Patriarchæ Antiocheni ad Bohemorum libellum.

His Patriarcha Antiochenus nomine Conci-

Concilii respondit, examinatum iri testimonium Orthodoxiæ, quod pro Joanne Husso exhibuissent, nec non Synodi Patres exacte discussuros, an excerpta ex Hussi libris fuerint adulterata: fidejussores vero ab eis oblatos minime a Synodo accipi posse, quia de Viro res ageretur, cujus fides quocunque demum vinculo firmaretur, semper suspecta foret. Synodum tamen statuisse, concedendum esse Husso tertia Junii sermonis aditum, in quo libere suam mentem aperire posset, eumque cum omni mansuetudine, ac charitate exceptum iri. Eadem rata habuit Imperator, qui primum congressu ad finem vergente advenerat, cumque lectioni literarum non interesset, Bohemi Proceres eas illi exhibebant, rogantes, ut pro libertate captivi apud Synodum deprecaretur. Joannes Clumæus cum ceteris læto animo e cætu abiit, fiducia plenus, fore, ut optatus responderet eventus, quæ tamen spes mox evanuit. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. LXVIII.

Deputati ad Joannem Hussum, palinodiam suasuri.

Cum vero Synodus pertimesceret, ne si Husso publicam loquendi copiam deneget, seditio suscitaretur, pro illa temporis ratione consultius fore censuit Gottlebiam, *Vander Hardt to. 4. p. 313.*

Sæcul.XV. A.C.1415.

biam, ubi captivus detinebatur, Deputatos mittere, qui illum ad retractandos errores inducerent. Plura particularia subiit examina, in quibus visus est, Synodali judicio se submittere. Paucis tamen ex post diebus, nempe quinta Junii Gottlebia Constantiam ducitur in cœnobium Fratrum Franciscanorum, ubi usque ad condemnationem suam in vinculis permansit. Eodem, quo advenerat, die Cardinales, Prælati, & nonnulli Doctores Articulos ex libris ejus decerptos ad examen vocarunt. Hussita quidam tunc temporis præsens Joannem Hussum indicta causa condemnatum iri suspicatus, rem ad Joannem Clumæum detulit, qui comitante Wenceslao de Duba Cæsarem accedens, de injuria conquestus est. Hinc Imperatoris jussu Synodi Prælatos Elector Palatinus, & Burgravius Norimbergensis adiere; qui Hussum, antequam benigne auditus esset, damnari, nomine suo prohiberent, ipsisque insinuarent, Cæsareæ id voluntatis esse, ut Articulos, quos erroneos judicaverint, ad eum mitterent, Virorum scientia ac probitate celebrium discussioni subjiciendos. Duo isti Principes injuncto functi sunt officio, proin articulorum examen, donec ipse Joannes Hussus præsens esset, suspensum fuit.

§. LXIX.

§. LXIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

Joannes Huſſus primo auditus.

Itaque Huſſus in conſeſſu die V. Junii celebrato adeſſe juſſus eſt. Simulac ingreſſus erat, libri ſui eidem exhibebantur, quos ut proprios partus agnoſcens omnes errores, ſi qui in eis reperirentur, ſe retractaturum promiſit. Poſtmodum Articuli ex iisdem deprompti legebantur, ſed ſtatim ad primum Articulum adeo inſolens excitabatur ſtrepitus, ut Patres non ſolum Joannis Huſſi reſponſa ſed nequidem propriæ vocis ſonum percipere potuerint. Quapropter cauſſa ad ſeptimam Junii diem, quæ in feriam ſextam inciderat, protracta fuit.

Vonder Hardt to. 4. p. 314. 315. & 316.

§. LXX.

Huſſus ſecundo auditus.

Joannes Huſſus in hoc conſeſſu ſecundo vocatus comparuit, præſente Imperatore, Bohemiæ Proceribus ſtipato. Ubi omnes conſedere, Michael de Cauſis ex quadam ſcheda legit, Joannem Huſſum accuſatum fuiſſe, quod ſubſtantiam panis materialis poſt conſecrationem in Euchariſtia manere docuiſſet. Sed Huſſus conſtanter hoc negavit.

Sæcul. XIV.
A. C. 1415.

§. LXXI.

Accusationum capita contra Joannem Hussum, & ejus responsiones.

Reichental p. 305. Cochlæus hist. Hussit. p. 108.

Præterea objecerunt Husso, quod errores Wiclefi adoptasset, respondit ille, se nullum errorem docuisse, an autem Wiclefus in Anglia tales disseminasset, sibi non constare, se autem ideo librorum suorum condemnationi ab Archiepiscopo Pragensi factæ non obtemperasse, eoquod nonnullos condemnasset Articulos, quos tamen defendi posse crederet, nempe quod Sylvester Papa, & Constantinus erraverint, dotando Ecclesiam; illum vero articulum, in quo dixisset, quod Sacerdos in mortali existens peccato, nec consecret nec baptizet, seipsum jam limitasse dicendo: quod indigne consecret, & Baptizet, quia in peccato mortali constitutus, Sacramentorum Christi indignus esset Minister.

Insuper asseruit, decimas esse meras Eleemosynas, quamvis eas dandi obligatio stringeret. Professus est, se nunquam ullam Wiclefi propositionem cum pertinacia tenuisse, ægre tamen tulisse, illas sine allatis rationum momentis ex S. Scriptura petitis fuisse damnatas. Postmodum retulit controversiam, quam cum suo Archiepiscopo habuit, dixitque, se

se quidem ab ipsius sententia Romam appellasse, cum tamen ibi jus sibi dici desperaret, se ad ipsum Christum Dominum provocasse. Fassus est, se ante aliquot annos tradidisse, Joannem Wiclefum æternam consecutum esse gloriam, seque exoptare, ut sua quoque anima eandem cum illo mansionem in cælis haberet; negavit tamen, se ad capessenda arma concitasse populum, aut tumultus in regno Bohemiæ exortos incendisse, multo minus sua ex culpa Nationem Germanam a Pragensi Universitate abscessisse. Ad hoc Stephanus Paletz reponebat, a Joanne Husso, ejusque Sectatoribus non modo alienigenas, sed ipsos quoque indigenas Bohemia exire coactos, eorumque quamplurimos in Moraviam relegatos fuisse. Regessit Hussus, non vera narrari, eoquod ipse tunc temporis, quando isti abierant, Pragam non incoluisset. Ita finem habuit confessus, & Joannes Hussus Archiepiscopo Rigensi iterum traditus fuit, qui utpote S. R. Ecclesiæ Sigillifer Hieronymum quoque Pragensem captivum tenebat. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. LXXII.

Hussus ab Imperatore ad retractandum monitus.

Præterea Cameracensis Cardinalis, pri-

Sæcul. XV. A.C.1415.

usquam discederet, Husso objecit, ipsum dixisse, quod nisi sua sponte ad Synodum venire statuisset, nec Regis Bohemi, imo nec ipsius quoque Imperatoris auctoritate compelli potuisset; Non abnuit dicta Joannes, ejusque confessionem Joannes Clumæus intrepide confirmavit. Itaque Cardinalis Cameracensis Husso auctor fuit, ut amore propriæ suæ salutis, atque honoris sese Concilii sententiæ submitteret, prout ipsus in carcere spopondisset. Cumque Imperator salutaribus hisce Cardinalis hortationibus sua quoque junxisset monita, Joannes Hussus jam in eo erat, ut Cæsari respondereret, ac pro ejus benevolentia gratias rependeret, sed Joannes Clumæus illum interrupit, monendo, ut ante omnia pertinaciæ crimen, quod Imperator in suo alloquio mox ei objecisset, dilueret; quapropter Hussus contestatus est, se quam maxime alienum esse, ut quicquam cum pertinacia tueretur, se enim libera voluntate Synodum accessisse, haud alio animo, quam ut meliora edoctus, quæ hucusque tradidisset, retractaret. Hisce congressibus finitis, a justitiæ Ministris in custodiam reductus fuit.

§. LXXIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. LXXIII.

Joannes Huſſus tertio auditus.

Altera die Joannes tertio coram iisdem Deputatis, eodemque in loco comparuit. Ante omnia viginti ſex prælegebantur articuli ex tractatu, quem *de Eccleſia* inſcripſit, extracti; hunc librum tanquam genuinum laboris ſui partum agnovit, & quandam illius declarationem produxit, quæ in hoc conſeſſu recitata eſt. Ubi Articulos, qui ſui erant, tanquam ſuos approbavit, alios explicavit, ceteros autem, qui ipſi ab Adverſariis ſuis, & præcipue a Stephano Paletz affingebantur, negavit. Summa doctrinæ in triginta novem Articulos diſtincta fuit, quorum primi viginti ſex ex libro de *Eccleſia*, prout diximus, excerpti fuere, ſeptem vero ſequentes ex reſponſo Joannis Huſſi ad Stephanum Paletz, & ſex ultimi ex libro, quem compoſuit contra Stanislaum de Znoima Profeſſorem Theologiæ Pragenſem, qui quondam ſuus erat Magiſter, longe tamen alienus a mente ſui Diſcipuli. En ipſos Articulos.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. LXXIV.

Articuli ex libris Joannis Huſſi deprompti.

Vander Hardt to. 4. p. 526.

I. *Unica eſt Sancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt Prædeſtinatorum univerſitas.*

II. *Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles. Similiter Petrus, qui in grave periurium incidit permittente Domino, ut fortius reſurgeret.*

III. *Nulla pars Eccleſiæ ab ea finaliter excidit, eoquod prædeſtinationis charitas, quæ eam ligat, non excidet.*

IV. *Prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet non ſit actu in gratia ſecundum præſentem juſtitiam.* *

V. *Nullus locus dignitatis, vel humana electio, vel aliquod ſignum ſenſibile facit membrum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ.*

VI. *Præſcitus nunquam eſt pars ſanctæ Matris Eccleſiæ.*

VII. *Ju-*

(*) *Hæc propoſitio in actis Concilii integra ſic refertur:* Præſcitus & ſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars S. Eccleſiæ, & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ licet aliquando excidat a gratia adventitia, ſed non a gratia prædeſtinationis, &c.

VII. *Judas nunquam fuit verus Christi Discipulus.* Sæcul. XV. A. C. 1415.

VIII. *Sumendo Ecclesiam pro convocatione Prædestinatorum, sive sint in gratia sive non, secundum præsentem justitiam isto modo est Ecclesia S. universalis. Et ideo est articulus fidei. Et illa est non habens maculam neque rugam, sed est sancta & immaculata, & quam Christus vocat suam.*

IX. *S. Petrus non fuit, nec est caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.*

X. *Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, si vivit moribus contrariis Petro, tunc est præcursor Anti-Christi, & vicarius Judæ Iscariotis.*

XI. *Simoniaci omnes, & Sacerdotes quomodolibet criminose viventes sacerdotii polluunt potestatem, & sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis, & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione reliquiarum, indulgentiis, & ordinibus.*

XII. Papalis dignitas a Cæsare inolevit.

XIII. *Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esset caput particularis sanctæ Ecclesiæ.*

XIV. *Non oportet credere, quod iste quicunque est particularis Romanus Pontifex sit caput cujuscunque particularis Ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

XV. *Potestas Papæ tanquam Vicarii Christi est nulla, nisi sit conformis Christo & S. Petro in moribus & vita.*

XVI. *Papa, non quia Petri vices tenet, sed quia magnas possidet divitias, ex eo est sanctissimus.*

Joannes Hussus hanc propositionem mutilatam fuisse conquestus est.

XVII. *Cardinales non sunt manifesti & veri successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum servantes consilia & mandata Christi.*

XVIII. *Nullus hæreticus ultra censuram Ecclesiasticam judicio sæculari est tradendus mortis pœna castigandus.*

XIX. *Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum præter expressam auctoritatem Scripturæ.*

XX. *Principes terræ Sacerdotes ad obediendum legi Christi obligare tenentur.*

XXI. *Excommunicatus a Papa, si sprета Papæ ac Concilii Generalis sententia, ad Christum appellat, hæc appellatio impedit, ne excommunicatio ei noceat.*

XXII. *Si homo est vitiosus, tunc agit vitiose, & si est virtuosus, tunc agit virtuose.*

XXIII. *Sacerdos Christi vivens secundum legem ejus & habens notitiam Scripturæ, & affectum ad ædificandum populum, debet prædicare non obstante prætensa excommunicatione. Quod si Papa vel alius*

Præ-

Prælatus mandat Sacerdoti sic dispositio non prædicare, non debet obedire subditus. Sæcul. XV. A. C. 1415.

XXIV. Hic articulus non nisi paulo fusior est prioris explicatio.

XXV. *Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis & interdicti ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, signum autem evidens est, quod ab Anti-Christo tales procedant censuræ, quas vocant fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Christi.*

XXVI. *Non debet poni interdictum in populo, quia JEsus Christus, summus Pontifex, nec propter Joannis Baptistæ carcerationem, nec propter sibi illatas injurias posuit interdictum.*

XXVII. *Si Papa, Episcopus vel Prælatus est in peccato mortali, tunc non est Papa, Episcopus vel Prælatus.*

XXVIII. *Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.*

XXIX. *Si Papa est malus & præscitus tunc, ut Judas Apostolus, est Diabolus, fur, & filius perditionis, & non est caput sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.*

XXX. Articulus iste a præcedenti non differt.

XXXI.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

XXXI. *Papa non debet dici ſanctiſſimus etiam ſecundum officium, quia alias Rex etiam deberet dici ſanctiſſimus, & tortores & præcones dicerentur ſancti, imo etiam diabolus.*

XXXII. *Si Papa vivat Chriſto contrarie, etiamſi aſcenderet per ritam & legitimam electionem ſecundum conſtitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde aſcenderet quam per Chriſtum.*

XXXIII. *Condemnatio quadraginta quinque Articulorum Joannis Wicleff per Doctores facta eſt irrationabilis, & iniqua, & ficta eſt cauſſa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum ſit Catholicus, ſed quilibet hæreticus.*

XXXIV. *Non eoipſo, quod electores vel major pars eorum conſenſerit viva voce ſecundum ritus hominum in perſonam aliquam, eoipſo eſt verus & manifeſtus Vicarius, aut ſucceſſor Petri, ſed eoipſo quo copioſius operatur meritorie, ad profectum Eccleſiæ, habet a Deo ad hoc copioſius poteſtatem.*

XXXV. *Papa præſcitus non eſt caput Sanctæ Eccleſiæ.*

XXXVI. *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante Eccleſia converſetur.*

XXXVII. *Chriſtus ſine talibus Capitibus monſtruoſis, per ſuos veraces Diſcipulos*

los, sparsos per orbem terrarum, melius suam Ecclesiam regularet. Sæcul. XV. A. C. 1415.

XXXVIII. *Petrus non fuit Pastor universalis ovium Christi, multo minus Romanus Pontifex.*

XXXIX. *Apostoli & fideles Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium fuerat introductum, sic facerent deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem judicii.*

§. LXXV.

Hussus ad retractandum a Cæsare incassum admonitus.

Examinatis omnibus istis propositionibus, quas singulas Joannes Hussus sua explicatione, quamdiu ei libuit, interpolavit, Cardinalis Cameracensis ipsi, quot, quantorumve errorum accusaretur, ante oculos posuit, fervide exhortatus, ut judicio ac Concilii decisioni sese submitteret, & illius placitis sine renisu morem gereret, si secus faceret, pertinaciæ suæ pœnas daturum. Ceteri quoque Prælati haud segnius Cardinalis adhortationes, ac preces suis auxerunt. Joannes autem iterato audiri petiit, promittens, se libenter Concilii instructionibus cessurum, si certis, ac validis rationibus suas sententias confirmare capax non esset. *Vander Hardt to. 4. p. 345.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

essет. Ast Cardinalis Cameracensis replicavit, dicens: obediendum esse, erroresque abiurandos; iisdem quoque instabat Imperator, suasque adhortationes ingeminabat, sed semper obstinatum comperiens, subjunxit: *Concilium & Doctores habent jura sua, quidnam tecum finaliter agere debeant.* Satis prolixa fuit hæc sermocinatio, quia Joannes ad omnia, quæ ipsi dicta fuere, semper aliqua reposuit, quædam facta omnino negando, aliqua explicando, semper tamen nullius culpæ reum se contestando.

§. LXXVI.

Hussus in carcerem reductus.

Idem to. 4. p. 348.

Post alios sermones prioribus similes, qui potissima ex parte objecta crimina concernebant, denuo Archiepiscopo Rigensi tradebatur ad carceres reducendus. Joannes Clumæus illum sequebatur, Imperator vero in confessu persistens, dixit, Inter omnes perlectos Articulos nullum, flamma non dignum reperiri, sique Joannes Hussus retractare renuerit, suo quidem judicio rogo imponendum, imo etsi Concilio obediret, nihilominus a docendi munere, atque a finibus Bohemiæ arcendum fore. Addebat, errorum suorum damnationem in Bohemiam, Poloniamque mittendam, cunctosque hujus Hæresiar-

siarchæ sectatores, præprimis autem Hie- Sæcul. XV.
ronymum Pragensem severe coercendos A. C. 1415.
esse. Cui nonnulli respondebant: exemplo Magistri sapere incipient Discipuli.

§. LXXVII.

Formula retractionis Husso transmissa.

Postera die Cardinalis Vivariensis Concilii Præses Joanni Husso retractationis formulam transmisit, sequentibus conceptam terminis: *Ego Joannes Huss &c. ultra protestationes a me factas, quas hic volo habere pro repetitis, protestor de novo, quod licet multa imponantur, quæ nunquam cogitavi, nihilominus de omnibus mihi impositis, seu contra me objectis, seu de libris meis extractis, sive etiam testium depositionibus, submitto me humiliter ordinationi, definitioni correctioni sacrosancti Concilii Generalis, ad abiurandum, revocandum, retractandum, ad pœnitentiam misericordem subeundam, & faciendum omnia, & singula, quæ dictum sacrosanctum Concilium pro salute mea duxerit misericorditer, & ad gratiam suam ordinandum, eidem me devotissime recommendans.*

Legit Formulam Hussus, sed sese illi subjicere recusavit, sive quia in ea plures damnarentur propositiones, quas ipse velut totidem veritates venditabat, sive quia,

Sæcul. XV. A.C. 1415.

quia, eas abjurare non posset, quin (ut inquiebat) eoipso mentiretur, quatenus se errores quondam docuisse fateretur, quod tamen falsum esset, sicque populo Dei offensioni foret.

§. LXXVIII.

Joannes Hussus obstinate retractare renuit.

Inde in suo proposito pertinax, retractare omnino recusavit. Aliorum quidem Scriptorum fide habemus, Joannem Hussum suos errores revocasse, aut saltem id promisisse, ipsumque Concilium futuræ hujus retractationis firmam adeo concepisse spem, ut jam prævie de modo cum Husso procedendi, si retractaret deliberasset; Nihilominus tamen nullum alium immotæ suæ pertinaciæ testem, quam propria illius verba advocamus; Percipiamus enim, quæ ipsus in quadam Epistola in pervigilio mortis suæ ad Universitatem Pragensem perscripserat: *Scitote, quod nullum Articulum revocavi, nec abjuravi: Volebat Concilium, ut omnes, & quemlibet Articulum extractum de libellis dicerem fore falsum. Nolui, nisi scriptura ostenderent falsitatem. Unde quicunque esset sensus falsus, in quocunque illorum articulo illum detestor, & remitto ipsum correctioni*

ctioni Domini noſtri JEſu Chriſti, qui meam ſinceram intentionem cognoſcit. Sæcul. XV. A. C. 1415.

Hinc certiſſimum eſſe judicamus, Joannem Huſſum nunquam recantaſſe, ſed ſolum ſub conditione retractationem ſpopondiſſe.

§. LXXIX.

Theologorum Concluſiones circa communionem ſub utraque ſpecie.

Joanne Huſſo in pertinacia perſeverante, judiciaria adverſum eum parabatur ſententia. Interea vero Theologorum ſtudia convertebantur ad examinandas Littomislienſis Epiſcopi querelas ad Synodum contra Jacobellum delatas, qui Pragæ Communionem ſub utraque ſpecie neceſſariam defenderat. Hoc doctrinæ caput ſex concluſionibus deciderunt. Prima probant Inſtitutionem Euchariſtiæ ſub duplici ſpecie. Secunda aſſerunt, Laudabilem & approbatam eſſe conſuetudinem, hoc Sacramentum nunquam poſt cænam adminiſtrandi, niſi in caſu infirmitatis. Tertia docent, licet in primitiva Eccleſia hujusmodi ſacramentum reciperetur ſub utraque ſpecie, nihilominus ad evitanda aliqua pericula, conſuetudinem ſub unica ſpecie panis fideles S. Dape paſcendi introduci potuiſſe. Quarta præcipiunt, hanc *Vonder Hardt to. 4. p. 331.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

consuetudinem habendam esse pro Lege, cum diutissime esset observata, quapropter non licere eam reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libitu mutare. Quinta affirmant, errare eum, qui hujus consuetudinis observantiam illicitam esse assereret. Sexta denique declarant, eos, qui doctrinam præmissis oppositam tenerent, hæreticos censeri, atque ut tales coercendos ac puniendos esse.

§. LXXX.

Caussa Joannis Parvi ventilata.

Monstrelet. vol. 1. c. 36.

Peractis hisce deliberationibus, caussa Joannis Parvi Franciscani proposita est, cujus apologia pro Burgundiæ Duce propter patratam Ducis Aurelianensis cædem, & ejusdem propositiones jam in comitiis Cleri Parisiis damnatæ fuerant. Quamvis Carolus VI. Rex Galliæ rebus suis non parum consultum fore perspiceret, si Parisiensis conventus sententia etiam a Constantiensibus Patribus approbaretur, nihilominus secundum lenitatis viam Burgundiæ Ducis caussam decidi peroptabat, utpote qui, licet absens, in Gallia plurimum metuebatur. Dux vero veritus, ne caussa sua in Synodo caderet, Regem Franciæ sollicitavit, ut legatis suis præciperet, ne suo nomine huic negotio accederent, nec illi patrocina-

cinarentur, pollicitus, eadem quoque sei- Sæcul. XV.
psum facturum, suisque Ministris Constan- A.C.1415.
tiæ morantibus haud alia daturum mandata. Annuente Rege, uterque suos Legatos juxta hæc conventa instruxerant, qui suorum Principum mandata effectui dare haud neglexerunt.

§. LXXXI.

Epistola Ducis Burgundiæ ad Nationis Gallicæ Deputatos.

Postquam vero circumacto quodam tempore Burgundiæ Duci nunciatum esset, Synodum vehementer urgere, ut propositiones Joannis Parvi damnarentur, Dux ipse ad Concilium, seu ad Nationis Gallicæ Deputatos literas dedit, quibus exposuit, circa damnationem Parisiis factam, censuisse quam plurimos, nequaquam Joannis Parvi apologiam proscriptam fuisse, sed alium quemdam suppositicium partum inimicorum fraude consutum, ipsam vero Joannis propositionem, sive demum vera esset, sive falsa, nonnisi leviter castigatam fuisse; postea rogavit Synodum, ne quicquam, vel suo vel Joannis Parvi nomine, proponi pateretur, absque prævia discussione, & quidem præsentibus Burgundiæ Legatis, nec aures præberent Synodi Patres nonnullis hypocritis, atque impostoribus, qui de Gal- *Gerson. tom. 5. p. 342.*

Sæcul. XV. A.C.1415.

lia actum fore jactitarent, nisi Joannis Parvi propositio sive vera, sive falsa, a Synodo damnaretur, quamvis aliunde certum esset, hanc propositionem æterna sepultum fuisse oblivione, nisi impellente æmulorum odio contra Joannem concepto resuscitata fuisset.

§. LXXXII.

Ejusdem literæ ad Imperatorem, & ad Concilium.

Gerson. ibid. & p. 347.

Hæc epistola die vigesima sexta Maji in quodam Nationis Gallicæ consessu a Martino Porræo Atrebatensi Episcopo, ad Synodum delata est. Qua recitata, Gersonius adversus eam excepit, justitiam fieri a Synodo postulans. Paucis ex post diebus binas adhuc alias literas, nimirum alteram ad Imperatorem, alteram vero ad Gallicæ Nationis Deputatos exarare compellebatur. In prima accusationem a Ludovico Bavaro contra se allatam diluit; hic enim Burgundiæ Ducem accusabat, quod cum Ludovico Galliæ Delphino, Aquitanniæ Duce, necnon cum Comite Sabaudo conspirasset, ut Imperatorem in itinere Niciam versus tendentem e medio tollerent. Hæc Fridericus Austriæ Dux Sigismundo referebat. Altera epistola amaro calamo scripta erat; in ea enim Ludovicum de Bavaria

Bavaria hominem imbellem, ingratum, discordiarum Architectum, Fridericum vero tanquam calumniatorem convitiatur. Aſt Ludovicus Bavarus in quadam Congregatione, ubi hæc epiſtola perlecta fuit, ſolemniter conteſtatus eſt, ſe nunquam ex alterius, quam ipſius Friderici ore, ſibi id manifeſtantis, de ejusmodi conjuratione notitiam habuiſſe. Quare Dux Auſtriæ veritus, ne Synodi ſententia ſibi moleſta futura eſſet, culpam in Joannem XXIII. rejecit, dixitque, hunc ipſum Pontificem cum Duce Burgundo, & Comite Sabaudo ſanguinarium hoc conſilium iniiſſe. Sed parum valuere ejusmodi ſubterfugia; Ludovicus enim Bavarus ſatis aperte ſe purgavit, ſuæque innocentiæ publicum inſtrumentum confici poſtulavit. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. LXXXIII.

Joannis Parvi cauſſa in Congregatione a Gerſonio propoſita.

Septima die Junii habita eſt Congregatio, in qua Cardinalis Cameracenſis docuit, omnia fidei negotia ante Imperatoris diſceſſum examinanda, quin imo etiam decidenda eſſe, ideoque cuilibet integrum fore, quævis dogmata ad fidem ſpectantia plena ſecuritate proponere. Quibus motus Gerſonius Joannis Parvi

Sæcul. XV. A.C. 1415.

cauſſam produxit, atque libellum obtulit, in quo novem illæ Pariſiis condemnatæ continebantur propoſitiones. Legerunt ſcriptum, quo abſoluto Epiſcopus Attrebatenſis repoſuit, ea, quæ mox prælegiſſent, prætenſam quamdam reſpicere ſententiam, quæ honori, famæ, & Ducis Burgundiæ dignitati injurioſa Pariſiis ab Epiſcopo dictæ urbis pronuntiata fuiſſet, quapropter Ducem ab hac ſententia ad Sedem Apoſtolicam atque Synodum appellaſſe. Gerſonius autem, hanc ſententiam eſſe oppido Canonicam, reſpondit, ejusque Confirmationem a Concilio petiit. Epiſcopus Attrebatenſis excepit, provocaſſe Burgundum ad Curiam Romanam, tresque nominatos fuiſſe Cardinales hujus cauſſæ judices, necnon litigantes partes jamjam in judicium vocatas; item Concilium, quamvis deſuper congregatum, hujus tamen cauſſæ cognitione ſuperſediſſe, ne unionis negotium tardius procederet; Ducis autem Procuratores appellationem ſuam non fuiſſe proſecutos, nec cauſſam dixiſſe; idem Galliæ Regem legatis quoque ſuis demandaſſe. Hinc Epiſcopus prælegit mandata tam Caroli VI, quam Ducis Burgundi Legatis data, quibus hanc cauſſam ſuſpendere juſſi fuerant. Nihilominus tamen illam in ſequenti Seſſione rurſus aſſumptam fuiſſe legimus.

§. LXXXIV.

Sæcul. XV.
A.C.1415.

§. LXXXIV.

Sessio decima tertia. Decretum contra Communionem sub duplici specie.

Sessio hæc decima tertia celebrata fuit die XV. Junii. Peractis de more solemnibus, Archiepiscopus Mediolanensis jussu Concilii, & requirentibus Promotoribus Decretum contra communionem sub utraque specie prælegit, cujus tenor erat sequens: *Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant, populum Christianum debere sacrum Eucharistiæ Sacramentum sub utraque panis & vini specie suscipere, & non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent, etiam post cænam vel alias non jejunum, & communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur, hinc est, quod præsens S. Concilium adversus hunc errorem saluti fidelium providere satagens, matura plurium Doctorum deliberatione præhabita, declarat, decernit, & definit, quod licet Christus post cænam instituerit & suis Discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc Venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum* *Lab. Conc. tom. 8. p. 98.*

Sæcul. XV
A. C. 1415

Canonum auctoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post cænam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso. Et sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur sub utraque specie, postea a conficientibus sub utraque & a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur. Cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare, sit sacrilegum, aut illicitum, censeri debet erroneum & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi per Diœcesanos locorum seu Officiales eorum, aut Inquisitores hæreticæ pravitatis in Regnis, seu Provinciis, in quibus contra hoc Decretum aliquid fuerit forsan attentatum, atque præsumptum, juxta ca-

nonicas

nonicas & legitimas Sanctiones in favorem Catholicæ fidei contra hæreticos, & eorum fautores, salubriter adinventas. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. LXXXV.

Commissarii ad causas fidei nominati.

Perlecto hoc juxta ac approbato Decreto, aliud adhuc recitabatur, quo omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, eorumque Vicariis ubilibet constitutis sub pœna excommunicationis præcipiebatur, punirent eos, qui hoc Decretum pertinaciter transgrederentur, invocato etiam (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, qui vero ad pœnitentiam redierint, ad gremium Ecclesiæ susciperentur, injuncta eis pœnitentia. Cum vero indies novæ prodirent hæreses, Promotores Concilii Commissarios nominari postulabant, qui materias fidei examinarent, & de illis usque ad sententiam definitivam exclusive judicarent. Annuente Synodo, Cardinales Ursinus, Aquilejensis, Cameracensis, & Florentinus cum quatuor aliis cujusvis Nationis Commissariis tam Episcopis, quam Doctoribus ad audiendas, & examinandas fidei causas, nominati sunt, ut observata legum norma judicarent, & quascunque hæreses, atque errores tam in fide, quam in moribus undecunque *Labbe Conc. to. 12. p. 102. Vander Hardt to. 4. p. 335.*

Sæcul. XV. A.C.1415. cunque habuerint, vel habeant originem, nulla omnino habita Perſonarum acceptione, extirparent, excluſive usque ad ſententiam definitivam pronuntiaturi. Subjunxit quoque Decretum, quod *in cauſſa hæreſis contra Joannem Huſſum, quæ circa concluſionem exiſtit, per judices deputatos hucusque in ea ulterius cognoſcatur, & procedatur per eosdem.* Placuit omnibus hoc Decretum excepto Epiſcopo Attrebatenſi, qui aperte declaravit, Cardinalem Cameracenſem Burgundiæ Duci, ſaltem in cauſſa Joannis Parvi, ſuſpectum eſſe, proin a ſe illum tanquam Commiſſarium recuſari, uſquedum a Duce Domino ſuo nova mandata accepiſſet.

§. LXXXVI.

Epiſcopus Attrebatenſis ſeſe condemnationi Joannis Parvi opponit.

Gerſon. to. 5. p. 362. Credunt nonnulli, Cameracenſis excluſionem ab Attrebatenſi factam ortum habuiſſe ex intima amicitia, inter Cardinalem & Joannem Gerſonium, qui damnationem Joannis Parvi præ ceteris vehementius urgebat. Præterea dictus Epiſcopus, Pariſienſis Epiſcopi, necnon Inquiſitoris hæreticæ pravitatis ſententiam irritari, nullamque a Synodo declarari petiit, partim quia modo minime legitimo, utpote in cauſſa Sedi Apoſtolicæ reſervata ambo

ambo pronuntiassent, partim quia propo- Sæcul. XV.
sitiones condemnatæ adhuc probabiles A.C. 1415.
essent, pluriumque Doctorum auctoritate firmatæ. Idem quoque Parisiensi Episcopo, Joanni Gersonio, & Concilii Promotori silentium imponi postulabat, eoquod in hoc negotio juris ordinem violassent, de cetero calumniosæ denunciationis contra Burgundiæ Ducem a Gersonio factæ pœnam, judicum arbitrio, ac prudentiæ relinquens. Tandem professus est, se hujus propositionis: *Licitum, imo & laudabile est occidere Tyrannum*, damnationi antehac petitæ nullatenus obluctaturum, dummodo per Synodi decretum explicata, magis illustraretur. Pariter Abbatiæ Cluniacensis Procurator, qui Attrebatensi Episcopo Legationis comes adjungebatur, hanc in rem, sed majori longe modestia differebat, atque in libello, quem porrexit, novum examen institui commendabat, quo præmisso sententia Parisiensis Episcopi, si vitiis, aut quibusdam nævis obnoxia esset, nulla declararetur. Pariter novem illas propositiones jam alibi relatas examini subjiciendas, itemque de mediis prospiciendum postulabat, quibus læsus Burgundiæ Ducis honor repararetur, simulque Joannis Parvi, utpote qui triennio, antequam liber ejus Parisiis damnatus fuisset, jamjam e vivis excesserat, memoria resarciretur.

Sæcul. XV. A.C.1415.

ciretur. Ceteroquin in opportuna consensit remedia, quibus adhibitis honori eorum, qui hanc caussam denunciabant, consuleretur.

Bzov. hoc an. n. 416.

Posthæc prælegebantur opiniones Cluniacensis & Cisterciensis Abbatum, qui pro Duce Burgundo Legatione fungebantur. Ambo censebant Parisiensis Episcopi sententiam, salva tamen hujus Judicis persona, ejusque honore, irritandam, atque altefatam propositionem ibi generatim enunciatam omnino esse damnandam; addita nihilominus limitatione, qua hæc damnatio nec vivis, nec mortuis præjudicio esset, nec liceret eandem alicui, saltem nisi illius Auctor fuisse, legitime convinceretur, adscribere, nec illi, qui quondam Joannis Parvi propositiones tenuerint, hæreses accusarentur, sed imposterum in sua probabilitate relinquerentur. Attamen pro tunc res indecisa permansit.

§. LXXXVII.

Carolus de Malatestis Constantiam venit.

Vander Hardt to. 4. p. 341.

Postridie hujus Sessionis nimirum decima sexta Junii Carolus de Malatestis Arimini Dynasta, Gregorii XII. Procurator ad nunciandam illius cessionem designatus, Constantiam venit, a Patribus ingenti

ingenti gaudio, ac pompa exceptus. Sequenti die ad Sigismundi alloquium admissus, Gregorii literas exhibuit, declarans, se ad Imperatorem, non autem ad Synodum, utpote quam Gregorius necdum ut legitimam agnosceret, missum esse. Nationum quoque Deputatos duntaxat juxta privatos dignitatum suarum gradus venerabatur, iisque significabat, se a Gregorio ad Papatum ejus nomine abdicandum, plena auctoritate munitum esse. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. LXXXVIII.

Congregatio in causſa Joannis Parvi.

Quamvis Imperator, vel ut vires suas repararet, vel ut liberius publicis invigilaret negotiis, exinde Uberlingam secessisset, nihilo secius tamen in ejus etiam absentia particulares instituebantur conventus. Tunc enim potissimum Patrum cura intenta erat discutiendæ Joannis Parvi causſæ. Ante omnia Episcopus Attrebatensis adversus Gersonium Commissariis libellum obtulit, exposuitque, Parisiensi Episcopo, necnon Inquisitori hæreticæ pravitatis diem vigesimam quartam Octobris ad allegandas sententiæ suæ rationes a Synodo dictam fuisse; Gersonium in ædibus Cardinalis Came- *Ibid. p. 345. Gerſon. to. 5. p. 302.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Cameracensis frequentius cum eo contulisse, quo pacto propositionum Joannis Parvi condemnatio impetrari posset. Insuper conquerebatur, Joannem Gersonium, quamvis se Galliæ Legatum jactitaret, aperto tamen odio Burgundiæ Duci adversari, ac propositionum Joannis Parvi denunciatorem agere; idque diversis factis comprobavit. Ex his facile Attrebatensis Episcopi consilium dispicitur, cum enim is ægre ferret, caussam hanc a Synodo discuti, iniquius adhuc tulit, a Gersonio illius sententiam tanto ardore urgeri. Ceterum nihil desuper sancitum fuit.

§. LXXXIX.

Joannes Hussus ad palinodiam sollicitatus.

Vander Hardt tom. 4 p. 345.

Ad caussam Joannis Hussi rediere Patres, cujus retractationem, ne extrema adhibere cogerentur, ardenter exoptabant; postquam autem sæpius, semper tamen incassum, illius mentem exploraſſent, præprimis libros ejus ad rogum damnandos esse sanciebant, rati, se hac sententia Husso timorem incussuros. Nec tamen ejus pertinacia frangi poterat. Petebat nihilominus Confessarium, & Monachum obtinuit, qui omni mansuetudine, atque obsequio eidem inserviebat.

viebat. Postera die prima Julii per solemnem Deputationem, cui duo Cardinales, aliique Prælati interfuerant, ad retractandum invitabatur; quibus tamen responsi loco nonnisi schedam manu sua exaratam tradidit, in qua ferme eadem, quæ in prioribus suis effugiis adduxerat, expressa legebantur, negans, se articulos sibi objectos docuisse, aut prædicasse, dixitque, se nullum eorum abjuraturum, eoquod timeret, ne Deum offenderet, contra veritatem, & sanctorum Doctorum sententiam loquendo. Verum priusquam hæc causa dirimeretur, ad celebrandam Sessionem decimam quartam convocatum fuit Concilium. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XC.

Sessio XIV.

Sessio hæc habita est decimo quarto Julii. Quia vero Gregorius XII. Synodi, utpote a Joanne æmulo suo convocatæ auctoritatem non agnoscebat, atque, si Cardinalium quisquam præsideret, Papatum dimittere recusabat, Patres Cæsarem pro hac duntaxat vice, sine præjudicio in futurum Sessioni præficiendum esse censuerunt. Quapropter neque Missa cantata, nec reliqua officii divini solemnia alias consueta peragebantur, sed nonnullis tantum decantatis Hymnis, *Labbe Conc. to.12. p.103.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Hymnis, sacrum solemne tum demum celebrabatur, postquam Cardinalis Ragusinus nomine Gregorii convocaverat Synodum, non enim Pontifex iste conventus hucusque institutos pro Generali Synodo habebat. Visum fuit Synodi Patribus, amore pacis in hoc puncto aliquid indulgendum esse Gregorii fastui; non enim exiguam hancce submissionem Synodo præjudicium afferre posse, tum temporis credebatur, quamvis exinde Concilii auctoritati plurimum derogatum fuisse, tempus docuerit. Hinc complures tenent Doctores cuncta, quæ tunc agebantur, potius simplicem confirmationem, quam Synodi convocationem continere; ita sane Richerus Doctor, Maimburgus aliique nonnulli sentiunt.

§. XCI.

Cæsar hujus Sessionis Præses.

Verum ut ut res se habet; id exploratum habemus, quod Imperator in hac Sessione Præsidis vices suppleverit, in sede ad Altaris frontem posita locatus, cujus latera stipabant, atque humiliores occupabant sedes Cardinalis Ragusinus, & Carolus de Malatestis Ariminensis Toparcha; Qui, perlectis Gregorii Papæ Bullis Arimini die decima tertia Martii datis, auctoritate per easdem concessa, partes

partes sibi demandatas Ragusino Cardinali detulit; hic nomine Gregorii Pontificis scripto declaravit, quod denuo ad procurandam Ecclesiæ pacem Synodum convocaret, seu ut alii loquuntur, approbaret, in quantum per Imperatorem, non vero per Joannem XXIII. convocata esset, illamque ratam haberet. Nam, prout jam insinuavimus, circa hoc punctum diversa est Theologorum sententia, quamvis ex diplomate abdicationis a Gregorio factæ, atque a Cardinale Ragusino perlectæ manifeste appareat, potius de convocatione quam confirmatione actum fuisse. En illius tenorem: Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. XCII.

Diploma cessionis a Gregorio factæ.

Quia sanctissimus Dominus noster Gregorius XII. Papa, audivit & intellexit, atque multipliciter est informatus de celebri fama hujus sacræ Congregationis pro Generali Concilio Constantiæ congregatæ, idcirco avidus Ecclesiasticæ unionis & reformationis ac extirpationis hæreticæ pravitatis, commissionem fecit, prout in ejusdem literis nunc lectis dignoscitur contineri. Cujus quidem mandati vigore ego Joannes Cardinalis Ragusinus auctoritate ipsius Domini nostri, quantum ad eum spectat, ut prædicta sancta unio & reformatio, ac hæreticæ Labb. Conc. to. 12. p. 106. & seq.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

pravitatis extirpatio effectum sortiantur; istud sacrum Concilium Generale convoco, & omnia per ipsum agenda auctorizo & confirmo. Ex quibus satis aperte convocatio insinuatur.

§. XCIII.

Diploma a Synodo approbatum.

Absoluta illius lectione Archiepiscopus Mediolanensis auctoritate Concilii dictum mandatum approbavit, & *convocationem, auctoritatem, approbationem & confirmationem nomine illius, qui in sua obedientia Gregorius XII. dicebatur, quantum ad ipsum spectat, admisit.* Utimur propriis Synodalium actorum verbis, ex quibus satis clare patet, hanc convocationem a Synodi Patribus haud alio consilio fuisse concessam, quam ut Gregorio condescenderent, proin illam convocationi jam antea Anno millesimo quadringentesimo decimo quarto factæ nihil omnino obfuisse, nec eandem tolerando, ullatenus Oecumenici Concilii prærogativæ derogatum fuisse, quin potius, dum Gregorii convocationem confirmabat, eandem sibi denuo asseruisse. Excepit superius Diploma aliud decretum, quo abrogatæ fuere omnes sententiæ antea ab utraque obedientia occasione schismatis latæ, sicut etiam cunctæ excommunicationes mutuæ

mutuæ Joannis XXIII. & Gregorii XII. sancitum quoque est, ut Notarii in Instrumentis publicis hujus Sessionis nullam de Romano Pontifice, aut Sede Apostolica mentionem facerent, sed duntaxat Annum Regni, qui erat quintus, Imperatoris adscriberent. Omnibus ita dispositis Ragusinus Cardinalis surgens, ad scamnum Purpuratorum recessit, quem omnes dato pacis osculo medium inter ipsos collocarunt, atque in Collegium receperunt. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. XCIV.

Initium Sessionis decimæ quartæ.

Imperator nonnisi absolutis omnibus istis solemnibus recessit a loco Præsidis, ordinariam iterum sedem occupans. Cardinalis vero Vivarienſis denuo Præsidem egit, & re divina per Cardinalem Pisanum peracta, quidam Doctor, nomine Theodoricus de Mouſtier, seu de Monasterio sermonem habuit, sumpto themate ex illis D. Joannis cap. 8. v. 12. verbis: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* In eo Electorem Palatinum, & Carolum de Malatestis tum præsentes magnificis celebrabat encomiis; Finito sermone, atque absolutis quibusdam precibus, quilibet suum repetebat locum, atque alia Gregorii perlegebatur Bulla, qua Carolo *Ibid. p. 109.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

de Malateſtis plena, ejusdem nomine, Pontificatum dimittendi poteſtas concedebatur. Demum Carolus poſtulabat, utrum non magis expediret hancce abdicationem differre, donec de Nicienſi colloquio notitia haberetur, compertaque fierent noviſſima Petri de Luna conſilia; Cui Synodus omnis moræ impatiens per Archiepiſcopum Mediolanenſem reſpondit, ceſſionem Papatus Conſtantiæ, & quidem in hac Seſſione omni dilatione remota eſſe faciendam; huic Patrum ſententiæ & ipſe Carolus Ariminenſis Dynaſta acquievit.

§. XCV.

Plura Decreta in Concilio lecta.

Idem p. 111. Dum interea Carolus de Malateſtis ad futuram Gregorii ceſſionem animum adjecerat, plura legebantur decreta, quorum priore cautum erat, ne Concilium diſſolveretur, donec electio Pontificis fuiſſet celebrata. Eodem quoque ſancitum, ab Imperatore petendum eſſe, ut auctoritate ſua electionem efficaci modo urgere, & Synodum, donec novus ſufficeretur Pontifex, in tota ſua libertate tueri vellet, idque Sigismundus per Cæſareum edictum executus eſt, ab Epiſcopo Quinqueeccleſienſi ejus Vice-Cancellario

lario promulgatum. Idem hoc decretum prohibuit, ne quiscunque demum esset, ad electionem futuri Pontificis absque deliberatione & consensu Concilii procederet. Alio statuto Synodus *omnia, quæ Gregorius XII. in sua reali obedientia alias canonice hucusque gessit, aut* ordinavit, approbat, rataque habet. Tertium decretum explicat *illam ordinationem, in qua cavebatur, ne Gregorius ullo unquam tempore reeligeretur in Papam,* declaratque, *eandem non fuisse factam ad ipsius Gregorii inhabilitatem, tanquam non esset capax Papatus, sed pro bono pacis Ecclesiæ, & futuris scandalis, atque suspicionibus evitandis.* Aliud adhuc legebatur decretum, quo Synodus sibi reservat jus *in casu, ubi duo vel plures Cardinales in eodem titulo ex diversis obedientiis concurrerent,* secundum bonum & æquum providendi. Item aliud, vi cujus Concilium Cardinales obedientiæ Gregorii, ut tali dignitate ornatos admittit, ac recipit, conceditque, ut Ministri hujus Papæ suis gauderent officiis. Declaratum quoque fuit, Gregorium pro Cardinale habendum, cautumque, ne ullus, qui Concilio interesset, inde recederet absque Synodi licentia. Sæcul. XV. A.C.1415.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. XCVI.

Cessio Papatus nomine Gregorii XII. a Carolo de Malatestis facta.

Labbe Conc. to. 12. p. 118. Cunctis hisce perlectis Carolus Malatesta Arimini Toparcha solio satis elevato, perinde ac si pro ipso summo Pontifice fuisset erectum, considens, orationem declamavit, proposito themate ex verbis S. Lucæ cap. 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis*, forte ad nomen Angeli, quod Gregorio erat, alludens. Finito sermone non admodum prolixo, alta voce abdicationis diploma recitavit sequentibus verbis: *Ego Carolus de Malatestis Arimini necnon Romandiolæ rector pro nostro sanctissimo Patre Domino Gregorio XII. & S. Romanæ Ecclesiæ, atque ejusdem Papæ Procurator Generalis, habens plenum ac speciale mandatum, quemadmodum constat per Bullam authenticam S. D. N. prædicti proxime lectam, nulla oppressus aut coactus violentia, aut nullo ductus errore, sed ut omnibus aperte pateat per effectum, quanta sinceritate, quantave cordis affectione sacram unionem, & redintegrationem Christianorum prosecutus fuit, prosequaturve per viam etiam renuntiationis inclusive, pure & libere & sincere procuratoris nomine ipsius Gregorii XII. Papæ*

Secul. XV. A.C. 1415.

pæ Domini noſtri renuntio, & cedo, expreſſe in his ſcriptis realiter & cum effectu, juri, titulo, & poſſeſſioni, quod, quem, & quam ipſe habet in Papatu, & reſigno coram Domino noſtro JEſu Chriſto in hac ſacroſancta Synodo & univerſali Concilio, ſanctam Romanam & univerſalem Eccleſiam repræſentante.

§. XCVII.

Gregorii ceſſio a Synodo acceptata & approbata.

Carolus facta renuntiatione locum ſuum mutavit, & alio ſe contulit, ut oſtenderet, ceſſionem a ſe oretenus factam ipſo opere confirmari. Tunc Archiepiſcopus Mediolanenſis ſuggeſtum aſcendens, juſſu Cardinalis Præſidis ſchedulam perlegit in hanc ſententiam: *Sacroſancta Generalis Synodus Conſtantienſis in Spiritu Sancto legitime congregata univerſalem Eccleſiam Catholicam repræſentans, ceſſionem, renuntiationem & reſignationem pro parte illius Domini, qui in ſua obedientia dicebatur Gregorius XII. juri, titulo, & poſſeſſioni, quod, quem & quam habuit in Papatu, vel nunc habet, nunc per magnificum & potentem Dominum Carolum de Malateſtis hic præſentem, ejusque ad hoc procuratorem irrevocabilem, pro eodem Domino, qui dicebatur Gregorius XII. factas admittit,*

Sæcul. XV. A.C. 1415

mittit, approbat, & collaudat, Post hæc Hymnus *Te Deum:* solemniter cantabatur.

§. XCVIII.

Gregorius Arimini Papatum exuit.

Niem. apud Vander Hard tom. 2. pag. 440.

Naucler. gener. 48. p. 414.

Quamprimum Gregorio Arimini in Constantiensi Synodo gesta innotuere, Cardinales suos, omnesque Prælatos, & Curiæ suæ Aulicos sibi adhucdum adhærentes in Consistorium vocat, eisque Pontificali habitu ultima vice indutus declarat, approbare se, & laudare omnia, quæ a Carolo de Malatestis Procuratore suo in Constantiensi Concilio nomine suo acta fuissent. Tum vero tiaram, ceteraque Pontificalis dignitatis insignia deposuit, contestatus, se illis nullo unquam tempore usurum, sed contentum fore, ut primus fieret Cardinalis, ac perpetuus Marchiæ Anconitanæ Legatus, qualis etiam creatus fuerat per Decretum Concilii, in qua dignitate permansit usque ad mortem, quæ biennio post Recineti in Marchia Anconitana evenit.

§. XCIX.

Petrus de Luna a Synodo ad cedendum sollicitatus.

Labbe Conc. to. 12. p. 119.

Synodus generosam hujus Papæ abdicationem magnis celebrat laudibus, &

& Petrum de Luna ad hujus exempli i- Sæcul. XV.
mitationem, ac parem Papatus ceſſionem A.C.1415.
ſtimulat, adjecto decem dierum termino a præſenti monitione computando, ſimulque comminatur omnes pœnas jamjam incurſas, atque in ſententia contra ipſum in Piſano Concilio lata expreſſas; ſi vero recuſaverit, *Synodus illum ex nunc prout ex tunc declarat eſſe notorium ſchiſmaticum, antiqui ſchiſmatis nutritorem, incorrigibilem, pertinacem hæreticum, promiſſionum, votorum & juramentorum ſuorum transgreſſorem, & Eccleſiam Dei notorie ſcandalizantem, ac propterea omni honore & dignitate etiam Papali ſe reddidiſſe indignum, ipſumque per ſacros Canones fore abjectum, & privatum . . . . inhibendo eidem, ne ſe amplius pro Romano Pontifice gerere præſumat, & omnibus Chriſti fidelibus etiamſi Imperiali, Regali, Cardinalatus, Pontificali, aut quavis Eccleſiaſtica vel ſæculari dignitate præfulgeant, ne eidem Petro aut ejus ſucceſſoribus obediant.* Lecta hac ſanctione omnes reſponderunt: *Placet*, & ſic abſoluta fuit Seſſio, ad quam biduo poſt ſucceſſit decima quinta, in qua celebris illa Joannis Huſſi cauſſa finita fuit.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. C.

Imperatoris ad Joannem Huſſum Oratores.

Vander Hardt to. 4. p. 386.

Die V. Julii Imperator ad Huſſum miſit quatuor Epiſcopos unacum Wenceslao de Duba, & Joanne Clumæo, qui ex illo ſciſcitarentur, utrum Articulos pro ſuis agnitos retractare, eosque, quos ſuos eſſe negaret, ſe non tenere, jurato aſſeverare velit? Quibus reſpondit, ſe ſuæ declarationi jam prima die Julii exhibitæ inhæſurum. Ergo e carcere trahitur Commiſſariis ſiſtendus; in via cum Joanne Clumæo collocutus eſt, qui eundem monebat, ne, ſi cujusdam erroris conſcius eſſet, retractare erubeſceret, ſin vero, potius omnia tormentorum genera ſuſtineret, quam quicquam contra propriam ſuam conſcientiam aſſereret, aut aliquid contra agnitam veritatem negaret. Ad quem Joannes Huſſus dixit, ſe ex animo ac cum juramento retractare paratum eſſe, quamprimum ex ſacris literis alicujus erroris convinci poſſet. Fere idem paulo poſt reſpondit, Prælatis ipſum adhortantibus, ne privatas ſuas opiniones totius alicujus Concilii judicio anteferret. Verum cum ejus pertinacia frangi non poſſet, usque ad perendinum diem ad carceres reductus fuit.

§. CI.

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. CI.

Polonorum ſcriptum contra Equites Teutonicos.

In eadem ſeſſione quidam ex Legatis Regis Poloniæ, nomine Paulus Voladimirus, ex mandato Domini ſui Regis tractatum exhibuit, cui titulum inſcripſit: *Demonſtratio.* In eo adverſus Equites Teutonicos probare moliebatur, quod ad convertendos infideles arma adhibere, aut ſub hoc prætextu eorum bona invadere, Chriſtianis licitum non ſit. Hoc ſcripto Pontifices, & Imperatores fugillari videbantur, utpote qui Ordinis Teutonici Equitibus ſub prætextu Infideles ad fidem Catholicam convertendi, quicquid ab infidelibus occupare poterant, adjudicabant, quibus privilegiis Equites ad congerendas divitias, & Imperii ſui fines dilatandos abuſi ſunt. Paulus Voladimirus in ſuo tractatu monſtrat, hoc æquitati naturali ac legi divinæ adverſari, nec Cæſarum indultu, nec Pontificum Bullis honeſtari poſſe. Hæc ſcriptura in hoc Nationum conſeſſu perlecta fuit, cauſſaque hinc inde agitata, ſed indeciſa permanſit. Cum vero Imperator, & Galli condemnationem propoſitionum Joannis Parvi acrius urgerent, Nationes deſu-

Idem to. 3. p. 9. 10.

per

Sæcul. XV. A.C.1415.

per deliberabant, hocque negotium in seſſione ſequenti terminandum, & ſaltem primam propoſitionem, preſſo cujusvis nomine, damnandam eſſe decernebant.

§. CII.

Seſſio decima quinta.

Labbe Conc. to.12. p.121.

Die decima ſexta Julii hæc ſeſſio, ordine decima quinta, habita eſt; Cardinalis Vivarienſis more ſolito ei præfuit, præſente quoque Imperatore. Archiepiscopus Gneſnenſis ſacrum fecit, Epiſcopo Laudenſi orationem dicente in hæc verba D. Pauli ad Rom. 6. v. 6. *Ut deſtruatur corpus peccati.* Qua finita Archiepiscopus Rigenſis Joannem Huſſum e ſuo carcere traxit, Concilio præſentandum, coram quo per quatuor Epiſcopos Nationum deputatos, & unum Auditorem Rotæ ſiſtebatur, ut ad decretoriam condemnationis ſententiam procederetur.

§. CIII.

Decretum Synodi ſilentium imperantis.

Ibid. p.122.

Antequam Judicii acta perlegerentur, & ſententia pronunciaretur, Epiſcopus Concordienſis legit decretum, quod præcepit *ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam contravenientes incurrerent ipſo*

ipso facto, & sub pœna carceris duorum mensium, ne aliquis cujuscunque status, authoritatis &c. etiamsi Imperiali, Regali, Cardinalatus, Archiepiscopali, aut Episcopali præfulgeat dignitate, ipsam sessionem seu pronuntiantes aut loquentes in ea perturbet, aut quemvis strepitum faciat. Eodem quoque decreto prohibitum fuit, *ne quis clamare, contradicere, aut etiam surgere, defensare præsumat, nec impediat, aut quemvis strepitum voce vel manibus vel pedibus faciat*, uno verbo nihil agat, quod sessionem impedire valeat, imo *nec alta voce loqui audeat, nisi ad hoc sit per ipsam sanctam Synodum deputatus.* Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CIV.

Joannes Hussus coram toto cœtu.

Lecto hoc Decreto Henricus de Piro Concilii Promotor, atque Procurator surrexit proponens, *qualiter Articuli prædicati atque edocti per Joannem Hussum in Bohemiæ Regno & alibi, essent hæretici, seditiosi, captiosi, aurium piarum offensivi proin a tota Synodo Constantiensi condemnandi, librique, ex quibus essent extracti, igne comburendi.* Qua propositione facta quinquaginta octo Articuli ex Wiclefi libris decerpti legebantur, quorum nonnulli erant diversi ab iis, quos supra indicavimus. His ergo articulis denuo damnatis *Ibid. p. 122.* *Vid. sup. §. XXVIII.*

Sæcul. XV. A.C. 1415

natis ad Joannis Huſſi propoſitiones deventum eſt, quarum nonniſi aliquæ legebantur, quia reliquæ jam ſæpius publice prælectæ fuerant. Primus lectus eſt Articulus de Eccleſia, quem Joannes iterum, uti in primo examine, defendit, ceteros quoque tueri pergebat, quocirca Patres ad accuſationum capita teſtibus comprobata deſcenderunt. Accuſatus eſt, quod docuiſſet, panem materialem in Sacramento Euchariſtiæ manere poſt conſecrationem; verum ſe ejusmodi errorem unquam credidiſſe, aut docuiſſe, non diſſimulanter negavit. Item ſe unquam quartam in Trinitate Perſonam admiſiſſe inficiatus eſt. Attamen ſuam damnationem eſſe decretam comperiens, ab hac ſententia ad Chriſtum Dominum, ceu Innocentiæ ſuæ, ac judicum injuſtitiæ teſtem, ejusque tribunal appellavit. Conſtanter enim ſe reum eſſe negavit; unde hæc ipſa appellatio tanquam novum ſcelus ipſi crimini dabatur, ipſe vero ab omni retractatione, aut ſubmiſſione alieniſſimus hanc provocationem juſtiſſimam, & maxime legitimam eſſe propugnavit. Hiſce peractis Epiſcopus Concordienſis requirente Promotore duas legit ſententias, quarum una ad ignem condemnabantur ejus libri, altera ipſe degradandus pronuntiabatur.

§. CV.

Sæcul. XV.
A.C.1415.

§. CV.

Sententia Joannis Huſſi condemnatoria.

Cum binæ hæ legerentur ſententiæ, Joannes Huſſus in genua provolutus & quandoque interloquens, objectum contumaciæ crimen ſibi falſo imponi querebatur, ac pro ſuis judicibus, atque accuſatoribus veniam a Deo precatus eſt. Primam condemnationis ſuæ ſententiam exhibemus: *Habita prius plenaria informatione, & diligenti deliberatione Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & cæterorum Prælatorum, & Doctorum ſacra Synodus declarat articulos infra ſcriptos, qui habita collatione reperti fuerunt contineri in ejus libris, & quos confeſſus fuit in ſuis libris contineri, non eſſe catholicos &c. ideo libros prædictos & doctrinam, & ſingulos alios tractatus in latino ſive vulgari Bohemico per ipſum editos aut in quocunque alio idiomate translatos reprobat, atque condemnat, ipſos comburendos publice, & ſolemniter in Civitate Conſtantienſi.* Altera ſententia hæc habet: *Chriſti nomine invocato, hæc ſacroſancta Synodus ſolum Deum præ oculis habens, pronunciat & declarat, Joannem Huſſ fuiſſe & eſſe verum & manifeſtum hæreticum, ipſumque* *Ibid. p. 127.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

que errores, & hæreſes ab Eccleſia Dei dudum damnatas, & plurima ſcandaloſa, piarum aurium offenſiva, temeraria, & ſeditioſa dogmatizaſſe, & publice prædicaſſe, populum Chriſtianum in Regno Bohemiæ ſeduxiſſe. Idcirco hæc S. Synodus eundem Joannem Huſſ ab ordine ſacerdotali & aliis ordinibus deponendum, & degradandum fore declarat, & decernit, committens Archiepiſcopo Mediolanenſi & ſex aliis Epiſcopis, ut dictam degradationem, ſecundum quod ordo juris requirit, debite exequantur: Hæc S. Synodus Joannem Huſſ, attento quod Eccleſia Dei non habeat ultra quid gerere valeat, judicio ſæculari relinquere, & ipſum Curiæ ſæculari relinquendum fore decernit.

§. CVI.

Huſſus degradatus.

Ibid. p. 143. Epiſcopi, quibus degradationis ſententiæ executio commiſſa fuerat, Joannem Huſſum veſtes ſacerdotales induere, calicemque in manibus geſtare juſſerunt. Quo facto, Prælati iterum iterumque eum hortati ſunt, ut amore ſuæ ſalutis, ac proprii honoris errores ſuos retractaret. Aſt negat id ſe facturum, ne per ejusmodi abjurationem hypocriſi, atque impietate plenam, populo offenſionem præberet, ſimulque innocentem ſe eſſe

esse, publice testatus est. Tunc ergo Episcopi eum a pedaneo scabello descendere præcipiunt, ac præprimis illi calicem e manibus eripiunt, ex libro Pontificali hæc pronunciantes verba: *O Juda maledicte &c.* Postmodum successivo ordine illum omnibus exuunt sacris vestibus, ejusque capillos ad speciem crucis abscindunt, ut nullum amplius coronæ signum appareret. Porro sic degradato papyraceam unius cubiti & piramidalis figuræ mitram imponunt, in qua tres diaboli depicti, hæcque verba inscripta legebantur: *Hic est Hæresiarcha.* Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CVII.

Brachio sæculari traditus.

Post hæc ab Ecclesia ejicitur, & ut laicus publice declaratus, brachio sæculari traditur, post Sessionem ad extremum supplicium deducendus.

§. CVIII.

Joannis Parvi propositio damnata.

Dehinc Patres Joannis Parvi caussam denuo tractandam susceperunt; Cum autem silentio suppressis Auctoribus, eorumque sociis duntaxat propositionem Generalem, vi cujus quilibet privatus tyrannum quocunque modo, non obstante jurejurando occidere posset, damnari *Labbe Conc. to.12.p.144.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

statuissent, istud eorum consilium in hac Sessione executioni dederunt, sequenti tenore: *Præcipua sollicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum & hæresum in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est, nuper accepit, quod nonnullæ assertiones erroneæ in fide & bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ, totiusque Reipublicæ statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizatæ sunt, inter quas hæc delata est: Quilibet tyrannus potest, & debet licite, & meritorie occidi per quemcunque vasallum suum, vel subditum, etiamsi per clanculares insidias & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocunque præstito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non exspectata sententia vel mandato cujuscunque. Adversus hunc errorem satagens hæc sacrosancta Synodus insurgere, præhabita deliberatione matura declarat, decernit, & definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & moribus, ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem reprobat, & condemnat. Declarat insuper, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sint hæretici, & tanquam tales juxta canonicas sanctiones puniendi.*

§. CIX.

Sæcul. XV.
A.C.1415.

§. CIX.

Bulla contra membrorum Synodalium aggressores.

Cum vix fieri posset, ut non subinde tumultus aliqui, atque excessus in civitate Constantiensi orirentur, in qua tam copiosa hominum multitudo diversæ conditionis, atque diversis ex negotiis confluxerat, hinc Synodus sub finem hujus Sessionis severam edidit Constitutionem, *contra omnes & singulos cujuscunque dignitatis vel gradus fuerint, etiamsi Pontificali, imperiali, regali vel alia quacunque Ecclesiastica vel sæculari præfulgeant dignitate, qui ad Synodum venientes, aut Constantiæ morantes, vel inde recedentes occidere aut bonis suis spoliare, vel injuriis afficere præsumpserint.* Eademque severitate perstrinxit illos, *qui ejusmodi delinquentes reciperent, vel eis auxilium, consilium, favoremque præstarent.* Soluta Sessione libri Joannis Hussi fuerunt flammis traditi in platea Palatii Episcopalis, præsentibus Vaurensi & Olorensi Episcopis, duobus Legum Licentiatis, aliisque compluribus. *Ibid. p. 145. & seq.*

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. CX.

Huſſus ad rogum deductus, & combuſtus.

Reichental p. 206.

Peracta degradatione, Imperator Electori Palatino negotium dedit, comprehenderet Huſſum, eumque judicum manibus conſignaret. Ergo Conſtantienſi Magiſtratui traditur, a quo unacum veſtibus, cunctisque, quæ ſecum ferebat, ad rogum damnatur; Lictores urbis lata ſententia illico eum prehendunt, atque ad locum ſupplicii per plateam Epiſcopalis palatii deducunt, eo conſilio, ut ipſus ſuos libros comburi conſpiceret. Tranſiens populum alloquitur, affirmans, ſe non propter hæreſin, ſed per inimicorum fraudes ad ſupplicium rapi. In egreſſu identidem Pſalmos recitare, & nomen JESU invocare audiebatur, ſemper invictum animum, atque ementitæ pietatis ſpeciem præſeferens: cumque ſacræ pœnitentiæ adminiſtrum poſtularet, accurrit quidam Sacerdos, nomine Udalricus Schorand, ſcientiæ ac probitatis fama clarus; quoniam vero hic Huſſo declarabat, illum a ſe criminum vinculis exſolvi haud poſſe, niſi prius errores, ob quos damnatus eſſet, revocaret, reſpondit Huſſus: non opus eſt mihi confeſſione, nullius enim peccati gravis me reum

reum agnosco. Postea, ubi ad populum verba facere parabat, Palatinus Elector carnificem monuit, sententiam exequeretur. Sæcul. XV. A.C.1415.

Ergo ad palum hunc in finem terræ infixum alligatur, vultu ad occasum verso, circumcirca disponuntur ligna ad comburendum; antequam vero subderetur ignis, Elector Palatinus necnon Comes de Oppenheim Imperii Marescallus Hussum adeunt, illumque denuo hortantur, ut errores suos revocaret, vitæ suæ consulturus. Ast cum ille a sua hæresi nullius persuasu, atque precibus dimoveri posset, quin imo se sanguine suo doctrinam, & scripta confirmaturum declararet, Elector ab eo discessit. Tunc lictores accendunt ligna, & densus flammarum turbo, venti impetu in faciem Hussi impulsus, os obduravit, animamque extrusit. Cineres ejus sollicite collecti, in Rhenum projecti sunt, ne discipuli, ejusque sectatores, velut reliquias illos in Bohemiam transferrent. Atque Æneas Sylvius ait: Hussitas *ex eo solo terram abstuliſſe, in quo ignis fuit, eamque velut rem sacram secum attuliſſe in Patriam.* Idem Auctor subjungit: *Nemo Philosophorum tam forti animo mortem pertuliſſe traditur, quam iste Hæresiarcha incendium.* *Æn. Sylv. hist. Boh. c.36. p.75.*

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. CXI.

Scripta Joannis Huſſi.

Duvin. Bibl. Auctor. tom. 12.

Compoſuit Huſſus in ſuo carcere tractatus de præceptis Dei, de oratione Dominica, de peccato mortali, de matrimonio, de cognitione, & amore Dei, de tribus inimicis hominis, & de ſeptem peccatis capitalibus, de pœnitentia, & Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, & paucis diebus poſt ſuum Conſtantiæ adventum valde ſuccinctum conſcripſit tractatum de Communione ſub utraque ſpecie. In vinculis quoque conſarcinavit reſponſum ad propoſitiones ex libris ſuis excerptas, & ipſi objectas, necnon & tres ſermones incæpit, unum de ſufficientia legis Chriſti, alterum, quo fidem ſuam circa ultimos ſymboli Articulos explicavit, & tertium denique de pace, exſtant inſuper aliquæ Epiſtolæ ad ſuos Diſcipulos Bohemos. Omnes iſti tractatus, & cetera ſcripta, de quibus in decurſu hujus hiſtoriæ mentionem fecimus, in primo Joannis Huſſi operum tomo reperiuntur, Norimbergæ MDLVIII. typis impreſſa. Secundus tomus complectitur Concordantiam quatuor Evangeliſtarum, cum notis moralibus, plures ſermones, Commentarium in ſeptem prima capita primæ Epiſtolæ ad Corinthios,

Com-

Commentarios in septem Epistolas Canonicas, & in psalmos, a centesimo nono usque ad centesimum decimum nonum, item scriptum adversus hanc propositionem: *Sacerdos est Creator Creatoris*, in eo tamen, sicut in reliquis suis operibus transsubstantiationem admittit; in eodem tomo habetur tractatus de adoratione imaginum, in quo Humanitatem Christi non latriæ, sed solum hyperduliæ cultu adorandam, & imagines Christi nec latriæ, nec quovis alio interiori cultu venerandas esse tenet, quamvis coram eis genua flectere, orare, cereos apponere, & externa adorationis signa ad rem repræsentatam respectiva exhibere liceret. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CXII.

Judicium Hæreticorum de gestis Concilii in caussa Hussi.

Non eadem est scriptorum sententia de gestis Synodi in caussa Joannis Hussi, quem ab Imperatore publicæ fidei literis munitum fuisse affirmant. Sed hæc ipsa judiciorum diversitas ortum trahit a varietate Religionis, quam quisque profitetur Historicus. Protestantes cum eorum vel maxime interest, hunc hæresiarcham vindicari, utpote quem inter sectæ suæ antesignanos haud infimo loco habent, Synodi acta omnino condemnant,

Secul. XV. A.C. 1415.

nant, Patresque fidem publicam, honestatem, & gentium jura turpissimo modo violasse criminantur, eoquod Virum hunc carceri mancipatum morti tradidissent.

§. CXIII.

Synodi causſa ab Orthodoxis vindicata.

Maimburg hist. schism. occid. to. 2. p. 330.

Ex adverso Catholici tenent, datas quidem fuisse Husso securitatis literas, ea tamen lege, ut in Concilio compareret, suæque doctrinæ rationem redderet, si vero minimi erroris convinceretur, omnibus in hæreticos latis subjaceret pœnis; cum ergo Joannes Hussus hanc conditionem, quæ unicum publicæ fidei fundamentum erat, non adimpleverit, haud mirum, quod ejusmodi literis pertinaciæ suæ impunitatem consecutus non fuerit, quippe quam nec Joannes petere, nec Concilium concedere valuisset, alio ex fine, quam ut suam doctrinam contra adversarios tueretur, seque Concilio subjiceret, quod ipsus tanquam œcumenicum, suumque judicem agnovit, prout in suis libellis publice affixis fassus est. Igitur hisce literis securitati suæ duntaxat cautum erat sub conditione, si doctrinam suam ab errore liberaret, prout se facturum spopondit, cum vero promissis haud stetisset, jure condemnatus fuit.

Præ-

Præterea Joannes Huſſus nullas a Synodo impetravit publicæ fidei literas, quamvis Varilleſius absque omni ratione affirmet, illum duplici impunitatis ſyngrapha diverſis temporibus data inſtructum fuiſſe, quarum alteram accepiſſet ab Imperatore, alteram ad preces Synodi a Magiſtratu Conſtantienſi a priori diverſam, in quibus expreſſum legeretur, quod ejus ſecuritati tantum eo fine proviſum eſſet, ut ſe a criminibus imputatis purgaret, ſuosque accuſatores calumniæ poſtularet. Verum quia nec ipſe Joannes Huſſus in ſuis epiſtolis, nec Joannes Clumæus in diverſis ſupplicibus libellis, quos pro amico ſuo porrexerat, vel minimam poſterioris mentionem fecerant, conſtat, nec Concilium ejusmodi literas dediſſe, ſed duntaxat Cæſareas extitiſſe. Et hac ratione uſi ſunt Scriptorum nonnulli, ut demonſtrarent, Patres non fuiſſe obſtrictos, revereri publicam fidem a Sigismundo datam Viro hæreſis accuſato. Iidem perſuaſerunt Imperatori, quod nequaquam violatæ fidei accuſari poſſet, quippe Concilium, quod eſt ſupra Imperatorem, Joanni Huſſo nullam pœnæ immunitatem promiſiſſet, nec ipſe Cæſar illam absque Synodi conſenſu, & præcipue, ubi agitur de cauſſa fidei, Huſſo ſpondere potuiſſet: hanc fuiſſe Synodi mentem ex ipſa allocutione Sigismundi

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Sæcul. XV. A.C.1415.

ad Huſſum facta probatur. Nam eidem dixerat: plurimorum opinionem eſſe, Cæſarem Viro hæretico vel de hæreſi ſuſpecto ullum auxilium præbendi, aut protegendi facultatem non habuiſſe; & ſane hoc idem majus robur accipit ex duplici decreto, quo Synodus Imperatorem a fractæ fidei ſuſpicione liberare, & ſiniſtros rumores contra ipſum ſparſos ob haſce literas ab eo avertere conata fuit.(*)

§. CXIV.

Seſſio decima ſexta.

Labbe Conc. to.12. p.148.

Abſoluta Joannis Huſſi cauſſa, ſumptoque de eo ſupplicio Synodus ſuas proſecuta

(*) *Nec Synodus nec Imperator in hac fuere ſententia, quaſi hæretico data fides non eſſet ſervanda, ſed potius Imperatorem nunquam fidem ſuam obſtrinxiſſe aliter, quam quod in acceſſu ad Concilium Huſſus comprehendi non poſſet, in Concilio libere fidei ſuæ rationem redderet, ſi vero erroris convinceretur, Synodi decreto ſubjaceret. Nulla autem ſalvi conductus formula exprimit, ut ſpretis Concilii decretis, & pertinaci errorum defenſione protervius continuata impunis in Bohemiam reverteretur. Videatur ipſius Sigismundi ſupplex libellus ad Præſules Synodi datus, & Imperatoris mens patebit. De mente Synodi conſtat ex declaratione adducenda in §. CXLVII.*

secuta est Sessiones. Undecima Julii die, quæ erat feria quinta, celebrata est Sessio ordine decima sexta, in qua fere nihil speciali nota dignum agitabatur. Verum appropinquante tempore, quo Imperator Niciam petiturus erat, quatuordecim nominantur Commissarii, tres Episcopi, & undecim Doctores; inter quos etiam erat Benedictus Gentianus, qui omnes Imperatorem comitarentur, suisque consiliis juvarent. Ex istis autem præcipuus erat Archiepiscopus Turonensis; cunctis tamen dabatur plena potestas, juncto Imperatoris consilio, omnia tentandi, quæ ad persuadendam Benedicto XIII. abdicationem, & restituendam Ecclesiæ pacem magis expedire judicassent. Porro nullus ex Cardinalibus Sigismundi comes designabatur; cum enim plerique ex diversis essent obedientiis, minus idonei ad tale propositum feliciter exequendum, atque unionis negotium promovendum videbantur. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CXV.

Statuta particularia hujus Sessionis.

Expedita hac deputatione Synodus quatuor nominabat Episcopos, quibus datum est negotium, Constantiam revocarent Prælatos, & Curiæ Romanæ Officiales clandestine, ac absque licentia inde *Ibid. p. 151.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

inde recedentes. Quatuor etiam Nationum Præsides constituebantur, qui discedere petentium causas discuterent. Edicta quoque in Curia Romana expediri solita, deinceps Cardinalis Vivariensis nomine Concilii subscribere, ac signare jubebatur; item Prælatis pauperibus Constantiæ degentibus, sumptus ex ærario Pontificio suppeditari, decretum fuit. Tandem statutum, Gregorii XII. cessionis, & Joannis XXIII. depositionis acta Cæsari descripta traderentur, ut iisdem Niciæ exhibitis, Benedictum ad æmulorum suorum imitationem inducere posset.

§. CXVI.

Bulla contra Carolum de Dueil & Henricum de Turre.

Post hæc Bertholdus de Wildungen legit Bullam Concilii ad Parisiensem, Metensem, Tullensem, & Leonensem Episcopos directam, quæ data fuit ob atrox facinus contra Carcassonensem, & Ebroicensem Antistites commissum, item contra tres Doctores, nempe Guilielmum de Merla Sylvanectensem Decanum, Benedictum Gentianum, & Jacobum de Spais Medicinæ Doctorem. Hos jussu Concilii ad Gallorum aulam ex negotio profectos, duo Nobiles Carolus de Dueil, & Henricus de Turre in Ducatu Barensi adorti

Ibid. p. 152.

adorti sunt, ac quibusdam vulneratis, a- Sæcul. XV.
liis interemptis ceteros bonis suis spo- A. C. 1415.
liatos tandem in castrum, quod ipsis parebat, ligatos incluserunt; unde non nisi Barensis & Lotharingi Ducum auxilio evaserant. Detulit crimen Henricus de Piro Procurator, quo factum, ut Synodus Constitutionem ad laudatos quatuor Præsules daret, juberetque, exposcerent a reis hujus attentati pœnas, etiam invocato, si opus fuerit, brachio sæculari. In hac Constitutione Barensis & Lotharingus Duces encomiis celebrantur, eisdemque pro ardore, quo Synodi Socios defenderunt, grates rependuntur. Hæc tota est in hac Sessione gestorum series.

§. CXVII.

Sessio decima septima.

Die decima quinta Julii celebrata est *Ibid. p. 155.*
sessio decima septima, cui Imperator adstitit cum plurimis Principibus, Ducibus, Comitibus, aliisque Proceribus; valedixit quoque Concilio iter suum aggressurus, quod sequentibus ceremoniis factum legimus.

§. CXVIII.

Ceremoniæ in discessu Imperatoris observatæ.

Igitur Imperator, habitu Imperiali non *Spond. an.*
vestitus *1415. n. 54.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

vestitus, capite nudus, Cardinalibus Laudensi & Ursino ejus latera stipantibus, coram Altari in genua procumbit. Postmodum decantabantur litaniæ, & dum illa recitabantur verba, *ut Ecclesiam &c.* Cardinalis Vivarienſis Præses ternis vicibus Deum precatus est, ut Cæsarem in itinere suo, quod tanquam defensor, & Advocatus Ecclesiæ susciperet, protegere & conservare, ipsum ab omnibus inimicis suis visibilibus, & invisibilibus defendere, salvum & incolumem reducere dignetur, & ad quamlibet supplicationem chorus respondit: *Te rogamus audi nos.* Alias adhuc subjunxit preces pro incolumitate Imperatoris, cui benedictionem solemnem impertivit decantatis hisce verbis: *Salvum fac servum tuum Domine, nihil proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponat nocere ei. Esto ei Domine Turris fortitudinis.* Peractis his solemnibus Imperator locum suum repetiit, atque Episcopus Concordiensis quædam legit Decreta, quæ mox indicabimus.

§. CXIX.

Decretum Synodi in favorem Angeli Corarii.

Labbe Conc. to. 12. p. 157.

Primo decreto Gregorius XII. declaratur Cardinalis Decanus, & perpetuus Legatus a latere in Marchia Anconitana,

na, & in Fabatienſi, alias Farſenſi diſtri- Sæcul. XV.
ctu cum omnibus facultatibus, & juribus A. C. 1415.
huic dignitati annexis. Inſuper Synodus Gregorium plene in tantum abſolvit, ut *ratione ſpiritualis, & temporalis adminiſtrationis, tempore Papatus ſui veri aut putativi, nec poſſit, nec debeat de actis, geſtis, & ordinatis aut aliis quibuscunque ad cujuscunque perſonæ inſtantiam etiamſi Papalis, Imperialis, vel Regalis exiſtat, qualitercunque conveniri vel inquietari, non obſtantibus, quoad omnia & ſingula ſupradicta tam Canonicis quam Apoſtolicis generalium quoque Conciliorum Conſtitutionibus contrariis quibuscunque.* Eadem quoque Synodus ſtatuit, quod *quilibet futurus Romanus Pontifex omnia & ſingula ſupradicta approbet & ratificet*, & declarat, nullum in Pontificem eligi poſſe, niſi ea omnia ſervare juramenti vinculo ſe obſtringat.

§. CXX.

Aliud decretum pro ſecuritate Imperatoris.

Alterum decretum ſecuritati Imperato- *Ibid. p. 160.*
ris conſulit, atque ſtatuit pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & privationis omnium dignitatum tam ſæcularium quam Eccleſiaſticarum, contra eos, qui quocunque modo Imperatorem cum ſuo comitatn in itinere impedire,

Sæcul. XV. A.C. 1415.

dire, aut moleſtiam afferre præſumerent. Nec ſupervacanea fuit provida hæc Synodi cautio; quippe plures jam in mortem Sigismundi conſpirabant, & nonnulli tradunt Hiſtorici, Ducem Auſtriæ emiſiſſe ſicarios, qui eum Perpiniani degentem interficerent, id & factum fuiſſe, niſi Elector Palatinus Sigismundo hoc periculum manifeſtaſſet.

§. CXXI.

Miſſa & ſupplicatio pro felici itinere Cæſaris indicta.

Windeck hiſt. Sigism. cap. 18.

Denique tertio decretum fuit, ut ſingulis Dominicis, quamdiu Imperator abſens eſſet, ſupplicatio generalis fieret, & Miſſa ſolemnis ad impetrandum fauſtum itineris ſui ſucceſſum, & *Proceſſioni unacum Miſſæ ſacrificio omnes Prælati in hoc Concilio exiſtentes intereſſe teneantur veſtimentis Pontificalibus (ut eſt moris) induti*, conceſſitque dicta Synodus *cuilibet præmiſſorum intereſſenti centum dies Indulgentiarum, & totidem cuilibet Presbytero, eo fine unam Miſſam celebranti & aliis, qui devote ſemel in die PATER NOSTER ET AVE MARIA pro dicta incolumitate orando dixerint, quadraginta dierum indulgentias.* Quibus omnibus decretis unanimi voto approbatis Seſſio ſoluta eſt.

§. CXXII.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. CXXII.

Hieronymus Pragenſis ſecundo examinatus.

Seſſione ſequenti ultra feſtum B. V. Mariæ Aſſumptæ menſis Auguſti dilata, totum hoc temporis intervallum diverſis aliis negotiis diſcutiendis ſacrabatur. Præprimis Patrum ſtudia occupabat Hieronymi Pragenſis cauſſa, quam die undeviceſima Julii denuo ad examen vocabant, ſperantes, eum Joannis Huſſi ſupplicio ad ſaniora reductum pertinaciam in primo examine XXIII. Maji exhibitam depoſiturum. De cujus interrogatoriis hoc unicum conſtat, quod Hieronymus de articulis ſibi objectis examinatus, ad articulum de Euchariſtia reſponderit, ſubſtantiam ſingularem præſentis fruſtuli panis transſubſtantiari in corpus Chriſti, ſubſtantiam vero univerſalem panis manere; ex hac ratione, inquit Infantius, quia Joannem Huſſum ſecutus dari univerſale a parte rei tenuit.

§. CXXIII.

Oratio Gerſonii pro diſceſſu Cæſaris.

Illuxit dies diſceſſui Imperatoris præfixus, quidam vigeſimum primum Julii, Theodoricus Niemus decimum octavum, *Gerſon. tom. 2. p. 273.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

alii decimum nonum assignant. Gersonius, biduo vel triduo elapso, occasione hujus itineris, & supplicationum institutarum sermonem habuit, assumpto Themate ex Psalmi LXVII. versu 20. *Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.* In eo exposuit in pacis negotio navatam hucusque feliciter Concilii operam & submota tandem obstacula, quæ extinctionem schismatis, extirpationem hæresum, ac morum reformationem retardabant. Adstruit quoque auctoritatem Synodi Pontificia superiorem in materia fidei, & reformationis, quam sententiam pluribus firmat argumentis. Ceterum Oratio hæc effectu non caruit, nam postera die generalis indicta est Congregatio, in qua de conclusionibus seu regulis a Gersonio stabilitis, necnon de modo eas in usum deducendi deliberatum fuit. Diversa etiam media proposuit Cardinalis Florentinus, quorum ope reformatio Ecclesiæ in Capite & membris non sine prospero eventu suscipi posset.

§. CXXIV.

Synodi epistola ad Bohemos de Hussi supplicio.

Niem. apud Vander Hardt to. 2. p. 445.

In alia quadam Congregatione sancivit Synodus, ut datis literis Bohemi de suppli-

supplicio Joannis Huſſi edocerentur, si- Sæcul. XV.
mulque Conrado Pragenſi Archiepiſcopo A.C.1415.
præciperetur, coerceret Huſſi ſequaces. Has literas Littomislienſis Epiſcopus ex mandato Synodi ſcripſit in hanc ſententiam: „ Etſi Joannes Huſſus plures arti-„ culos erroneos, & fidei contrarios tan-„ quam ſuos agnoviſſet, nihilominus con-„ tra eum juxta juris rigorem nihil de-„ cretum, niſi poſtquam ad extrema „ prolapſus, atque præſentibus Impera-„ tore, totoque Synodi conſeſſu pluries „ ac ſpecialiter auditus fuiſſet.„ Poſtmodum adhortatur Bohemos, ut pari ſtudio animati hæreſis extirpationi incumberent, ipſumque Boheniæ regnum ad eundem religionis fervorem excitarent. Cum vero hæc epiſtola Archiepiscopo, Capitulo, & Pragenſi Clero inſcripta eſſet, his ipſis Synodus omnino præcepit, omnibus viribus ſectæ hujus eliminationem procurarent, adjecta pœna excommunicationis, privationis beneficiorum, ac ipſius etiam degradationis.

§. CXXV.

Literæ ſupplices Regis Sueciæ pro Canonizatione trium Beatorum.

Rex Sueciæ, ejusque conjux, poſtquam jam antea a Joanne XXIII. S. Birgittam in Cœlitum numero reponi ſupplices *Vander Hardt tom.4* p. 490.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

petiissent, iteratas ad Synodum dederunt literas, quibus pares, publicosque honores aliis adhuc tribus popularibus suis decerni efflagitabant. Hi erant Nicolaus Episcopus Lincopiensis Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo fatis functus, Brumulphus Scarrensis Episcopus mortuus Anno supra millesimum trecentesimum decimo septimo, & Nigridis e S. Augustini familia. Has preces Suecorum Legati absente ac Papa deposito ad Synodum deferebant; idcirco hanc in rem habita est Congregatio. Nonnullorum fert opinio, Gersonium vel tum vel occasione Canonizationis S. Birgittæ, de qua jam superius, suum elucubrasse tractatum *de Probatione Spirituum*, in quo ad discernendas revelationes, quasdam statuit regulas, & ad calcem sui opusculi recenset exemplum puellæ Burgensis in Brescia, quæ pluribus persuadebat, a se animas ex inferno liberari; mentis excessus frequentes fingebat, & mirabilia divinitus didicisse jactitabat, *miræ quoque erat abstinentiæ, sed capta veritatem confessa est, cuncta ista cupiditatis occasione finxisse, ut hoc modo suæ paupertati subveniret.* Gersonius in eodem tractatu utilissimas tradit regulas, quarum usu seductionis atque illusionis periculum evitari possit. Præcipue commendat, *sacrarum Scripturarum eruditionem diligenti pioque studio acqui-*

acquisitam, simul tamen fatetur, *quod non possit aut vix possit humanitus fieri* in ejusmodi rebus certum judicium, *sed requiratur donum Spiritus Sancti*. Dicit insuper summa cautela credendum visionibus, quas vel quis se habuisse putat, vel alii expertos se esse jactitant, & propriæ experientiæ testimonio plurimas illusiones, & impostoras in ejusmodi rebus intervenire testatur. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CXXVI.

Repulsa Sueciæ Regi a Synodo data.

Ignoramus utrum oratio Gersonii causa fuerit, quod Synodus precibus Regis Sueciæ non annuerit, id certum tamen est, quod hæc Canonizatio tunc locum non invenerit, sed Oratoribus Suecis injunctum fuerit, futuro Pontifici luculentam magis causæ expositionem perferrent. Postea agebatur de celebranda sessione decima octava, quæ fuit prima, ex quo Imperator peregre profectus est.

§. CXXVII.

Sessio decima octava.

Hæc igitur Sessio celebrata est Sabbato die decima septima Augusti, præside Cardinale Vivariensi, & Electore Palatino, absentis Imperatoris vices gerente, tan- *Labbe Conc. to. 12. p. 161.*

Sæcul. XV. A.C. 1415. quam Concilii protectore. Post Missam de festo Assumptionis B. V. Mariæ ab Episcopo Olotrensi decantatam, & absolutis precibus consuetis Sessioni initium dabatur a lectione Decreti jam antea conditi, quo quatuor Episcoporum nominatio videlicet Pistorienſis, Vaurensis, Placentini, & Sarisberiensis confirmabatur, hi cum aliis quatuor nationum Deputatis seligebantur, ut causas, & querelas ad Synodum delatas exciperent, desuper usque ad sententiam definitivam exclusive judicaturi. Alio decreto statuebatur, quod Concilii Bullis in omnibus causis, atque negotiis, eadem fides, ac submissio habeatur, perinde ac Sedis Apostolicæ diplomatibus, & contravenientes, vel hasce Bullas adulterantes, aut in abusum trahentes, secundum rigorem Legis puniantur.

§. CXXVIII.

Plura alia decreta leguntur.

Ibid p. 162. Insuper ordinavit Synodus, quod *omnes literæ super omnibus & singulis gratiis per Joannem XXIII. a suo Pontificatu usque ad ipsius suspensionem concessæ, debeant per Cardinalem Ostiensem Ecclesiæ Vicecancellarium, & quatuor sibi adjunctos de quatuor Nationibus videlicet Episcopos Concordiensem pro Italica, Ariminensem*

minensem pro Gallica, & Theodoricum de Niem pro Germanica, Episcopum vero Sarisberiensem pro Anglica, sub nomine & sigillo Synodi expediri, expectationibus, seu gratiis expectativis, ut vocant, *aliisque exorbitantiis duntaxat exceptis.* Tandem sex nominabantur Oratores, in Italiam mittendi, ut cum Gregorio ejusque Cardinalibus unionis Ecclesiæ negotium perficerent, in qua Legatione Principales Archiepiscopus Mediolanensis, & Ragusinus erant. Postea Sessio sequens ad vigesimam tertiam Septembris diem indicta est. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CXXIX.

Consultatio Synodi adversus Turcarum progressus.

Toto intermedio tempore in diversis negotiis pertractandis occupabantur Patres. Postero die Bertrandus Vacherius Carmelita & Theologiæ Professor Montispessulanus Orationem habuit de necessitate reformandi Ecclesiam. Interim cum Turcæ Sigismundi absentiam in rem suam verterent, atque Hungariam atrociter devastarent, demum etiam Dalmatiam & Sclavoniam invadentes, omnia ferro, flammaque delerent, immo eodem crudelitatis impetu ad ipsas etiam Comitis Cilleiensis, qui Sigismundi socer erat, ditiones, necnon ad Aquilejensium, & *Niem apud Vander Hardt to.2. p. 416.*

Sæcul. XV. A.C. 1415. Salisburgenſium confinia infeſtis armis penetrarent, ubi plusquam triginta millia Chriſtianorum in ſervitutem abſtracta, omnesque Eccleſiæ ſpoliatæ fuerunt, Synodus Provinciarum, quæ Cæſari parebant, ſaluti conſulere ſtuduit. Quare datis ad Regem Poloniæ literis pro ſublevanda Hungarorum calamitate ejus opem implorabat, miſſo etiam Epiſcopo Aſtenſi, ut Hungariæ Proceres ad ſervandam Regi ſuo abſenti fidelitatem adhortaretur.

§. CXXX.

Libellus Gerſonii in cauſſa Joannis Parvi Synodo oblatus.

Gerſon. to. 5. p. 380. Poſtea examen propoſitionum Joannis Parvi denuo ſuſceptum eſt. Equidem Gerſonius vigeſima die menſis Auguſti libellum porrexit, in quo nomine Imperatoris, Regis Galliæ, & Univerſitatis Pariſienſis, novem illarum propoſitionum damnationem vehementer urgebat. Eodem die alii quatuor Doctores in eandem rem alterum exhibuerunt Libellum. Nihilominus cauſſam hanc amicabili compoſitione terminandam eſſe ſperabatur, partim quia ipſa Academia hoc negotium ſegnius urgebat, imo rumor erat, eam diſertis verbis declaraſſe, quod Joannem Parvum Propoſitionum delatarum auctorem fuiſſe haud crederet, nec etiam Gerſonianas

nianas criminationes unquam ratas habuisset, partim vero, quia Rex Galliæ cum Burgundiæ Duce in gratiam redibat, hacque reconciliatione per literas trigesima prima Augusti datas publicata, suis subditis inhibebat, ne verbis vel factis Ducem hunc appetere præsumerent. Hæc eadem epistola missa fuit Episcopo Atrebatensi. At nihilo secius causa hæc utriusque magna contentione agitata est, quia præfatæ Literæ Regis Galliæ, & Academiæ declaratio necdum Constantiam pervenerant. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CXXXI.

Scripta contra Gersonium, Petrum de Alliaco, & Imperatorem.

Tanta fervebat animorum aversio, ut contra Gersonium, Cardinalem Cameracensem, & Imperatorem Libelli amaro stylo concepti in vulgus spargerentur. In aliquo ejusmodi scripto Gersonius tanquam perturbator traducitur, qui propria auctoritate, spreta superiorum prohibitione, hanc causam resuscitasset. Nec benignius Petrum de Alliaco habuerunt, quem ingentes cum Joanne Parvo altercationes habuisse, & ad ejus instantiam illum Universitate expulsum fuisse insimulabant. Tandem ipsum Imperatorem odio, & partium studio stimulatum,

Sæcul. XV. A. C. 1415.

hanc cauſſam moviſſe, atque inſtigante Ludovico Bavaro, a cujus ore Sigismundus penderet, (ut quidam Anonymus loquitur) contra Ducem Burgundiæ enormia depoſuiſſe facinora cirminabantur. Nihilominus utrinque incaſſum laborabant contrariæ partes, & negotium nunquam aliam induit faciem, licet ad illud decidendum, aut ſaltem diſcutiendum plusquam triginta congregationes celebratæ fuiſſent.

§. CXXXII.

Alius Gerſonii Libellus.

Idem p. 387. Cum Anonymus Scriptor, de quo mox diximus, Gerſonium tanquam calumniatorem traduxiſſet, & ex altera parte enixe petitum fuiſſet, ut ab hac cauſſa removeretur, Gerſonius paulo poſt libellum obtulit, in quo adſtruebat, Synodum lege divina teneri, novem Joannis Parvi propoſitiones judicio fidei damnare, eosque, qui illas pertinaciter defenderent, tanquam hæreticos punire, item, a Synodo tot Doctorum & Academiarum aſſerta non minoris ponderis habenda, quam ſententias eorum, qui Wicleſum, & Huſſum damnarunt, frivolam quoque eſſe exceptionem dicentium, quod harum propoſitionum proſcriptio concordiam inter Regem Galliæ & Burgundum reſtitutam

tam turbatura foret, ac si tamdiu firma pax sperari non posset, quamdiu ejusmodi perversa principia impune permitterentur. Non defuere, qui contra hunc libellum calamos suos acuerent. Inter ceteros alius quidam prodiit Anonymus; hic contra omnes, qui hanc damnationem urgerent, effrænem suam evomuit rabiem, eosque seditiosos, filios Belial, omnibus inferni furiis agitatos, & rabiosis canibus haud absimiles criminatus est. Re tamen ipsa hoc scriptum nil continet, quod ab Atrebatensi Episcopo non jam fuisset propositum, nempe, hasce propositiones esse probabiles, nec eas ad fidem pertinere, antequam Ecclesia desuper judicium tulisset, & Episcopum Parisiensem absque omni jure eas proscripsisse. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CXXXIII.

Episcopi Atrebatensis altercatio cum quodam Galliæ Legato.

Die duodecima Septembris fervida disputatio Atrebatensem Episcopum inter, & Petrum de Versallia, Galliæ legatum oriebatur circa novem illas propositiones. Ille eas omnino tolerandas esse nec ad fidem pertinere pertinacius tuebatur. Hic vero Episcopi sententiam in publicas tabulas referri petiit. Tum Atre- *Gerson. ut supra p.* 391.

Sæcul. XV. A C 1415.

Atrebatensis primum Articulum defendens, secundum limitavit dicendo, eas *explicite* fidem non tangere, quamvis *implicite, tacite ac indirecte.* Die vigesima tertia Septembris advenerat Epistola regis Galliæ, in qua significabat pacem inter se & Burgundiæ Ducem initam, ast hoc nuntio dissidiorum flammæ nequaquam extinctæ fuerunt.

§. CVXXIV.

Libellus Atrebatensis Episcopi pro Assertionibus Joannis Parvi.

Quinimo Episcopus Atrebatensis libellum porrexit Synodo, petiitque, ut trium Cardinalium, qui Parisiensis Episcopi damnationem irritam declarabant, sententiam confirmaret. Præterea aliud scriptum vulgavit, in quo propositiones, seu *veritates* a Joanne Parvo in sua Apologia pro Burgundo dictas distinguit a novem illis propositionibus, quas Gersonius ex Apologia decerptas, & a Parisiensi Episcopo proscriptas fuisse perhibebat. In hoc libello ambas Assertiones ex integro exhibuit, nempe Joannis Parvi veritates unacum suis probationibus, & Assertiones a Gersonio extractas cum earum damnatione. Dein examinandum assumit, utrum novem Gersonii propositiones concordent Joannis Parvi veritatibus,

tibus, idque ex pluribus rationibus negat, inde vero concludit, Gerſonium injuſtum ac temerarium, atque ad palinodiam cogendum eſſe. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CXXXV.

Apologia Joannis de Rocha pro Joanne Parvo.

Joannes de Rocha Minorita, Doctor Toloſanus, & Joanni Parvo confratri ſuo amiciſſimus, Gerſonium quoque laceſſere aggreſſus eſt. Hic enim in quadam Diſſertatione docuit, haſce propoſitiones, utpote Philoſophicas, aut Morales ad Concilii forum, cujus tantummodo de fide judicare eſſet, non pertinere, nec inferioribus judicibus, imo nequidem generali Concilio auctoritatem competere damnandi doctrinam aliquam, niſi prius ab Eccleſia damnata fuiſſet, eoquod hæ cenſeantur eſſe cauſſæ majores, quæ Sedi Apoſtolicæ reſerventur. Huic Gerſonius reſpondit, falſum, imo hæreticum eſſe, aſſerere, quod doctrina moralis ad fidem non pertineat, oſtendit quoque, omnem propoſitionem in Sacris literis, vel expreſſe contentam, vel per legitimam conſecutionem deductam eſſe de fide, propoſitionem vero contrariam errorem ſapere, denique judices ordinarios, ut errores etſi necdum ab Eccleſia *Gerſon. l. cit. p. 406.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

cleſia damnatos proſcriberent, auctoritate pollere; Hæc aſſerta, quæ pluribus comprobat exemplis, Epiſcoporum & Ordinariorum jus hæreſes in locis ſibi ſubjectis exortas damnandi ſtabiliunt. Huic Articulo Joannes de Rocha prolixum oppoſuit reſponſum, & ſe Virum præſtantem, atque arte dialectica valde inſtructum monſtravit.

§. CXXXVI.

Gerſonius errorum in fide accuſatus.

Gerſon. p. 439.

Cum Gerſonius in hac cauſſa primas egiſſet partes, etiam contra ipſum Ducis Burgundi fautores acrius inſurgebant. Novas igitur Viro parant artes, & ut eum in fide ſuſpectum redderent, plures errores fidei contrarios in ſuis libris docuiſſe inſimulant. Epiſcopus Atrebatenſis hos errores contra Gerſonium in viginti quinque articulis expoſuit, quos tamen ipſe Gerſonius vindicavit, ſed hæ ipſæ illius vindiciæ novos procreabant adverſarios, quos inter præcipuus fuit Joannes de Rocha. Nos impræſentiarum ſolum Articulos exhibemus. I. *Quilibet homo cum diſcrimine vitæ ſuæ occaſionem poteſt nanciſci tyrannum occidendi.* II. *Fieri poteſt, ut homo in cauſſa religionis ad judicem ſuum citatus, jusjurandum præſtare recuſet, licet in fide maneat.*

neat. III. *Si aliquis vel ob motum animi,* Sæcul. XV.
vel ob metum mortis, ore ſuo quamdam fi- A C. 1415.
dei veritatem negat, ab eaque culpa neque vult, neque poteſt ſe liberare, tamen manet fidelis. IV. *Papa notorie hæreticus, Papa eſt, donec ſententia adverſus eum lata fuerit, ipſeque Papatu abierit.* V. *Nec Papa, nec alius quicquam debet exigere, ut Canones poſitivi juris, vel aliæ traditiones canonicæ ab omnibus, & ab univerſa Eccleſia obſerventur.* VI. *Tali modo Pontifex cauſſa fuit ſchiſmatis Græcorum.* VII. *Chriſtus JEſus, qui eſt ſponſus Eccleſiæ, ſponſæ ſuæ ſuisque liberis nequit aufferri, ita ut Eccleſia uni, ſolique Fœminæ, vel omnibus fœminis, omnibusque Laicis ſit relicta, dum Lex ſubſiſtit neque nova Dei inſtitutio adeſt.* VIII. *Chriſtus homo, & Sponſus Eccleſiæ militantis illi ita detrahi non poteſt, quin ſemper in eam influat per diverſa ſua membra, perque gradus hierarchicos, officia, adminiſtrationes, dignitates, & ſtatus, quos in plantatione Eccleſiæ introduxit.* IX. *Remotio unius Eccleſiæ membri eam valde deformat, & imperfectam reddit.* X. *Quando certus & indubius Papa non exiſtit, Eccleſia omnia membra ſua, cum primis autem principale membrum, non habet integre.* XI. *Nulla pax debet concedi illis, qui hæreſes docent, ſi notorie ſint obſtinati, vel gravi pervicaciæ ſuſpicione laborent, donec per confeſſionem veritatum, quas impugnarunt, veniam promeruerint.*

Sæcul. XV. A C. 1415.

ruerint. XII. *Si cum Deo pax non est, nulla cum proximo pax subsistit.* XIII. *Hæresin spirat propositio ista: Cædes alicujus Principis pro salute Regis & Regni fuit perpetrata.* XIV. *Tyrannus, qui citra jus fasque regnat, vel vult regnare, non immunis est a Lege: Non occides.* XV. *Protestatio conditionalis in materia, quæ ad fidem spectare dicitur, quamque nec Apostolica Sedes, nec qualecunque Generale Concilium definivit, suspectum aliquem facit, tantum abest, ut eundem culpa eximat.* XVI. *Si Papa, vel Cardinales doctrinam Joannis Parvi, licet neque ab Apostolica Sede, nec a Concilio damnatam, fovere aperte viderentur, ratio magis legitima eum deponendi adesset, quam concurrentia Paparum, quos creaverunt, & notam hæreseos incurrerent.* XVII. *Sanctio, ne homines malæ notæ, vel suspecti ad Concilium deputentur, valde est æqua.* XVIII. *Vero non est absimile, quod Judices & Conventus Parisiensis errare non potuerunt, neque alios fallere voluerunt in materia fidei, quæ ab Ecclesia nondum fuit decisa.* XIX. *Sententia, quam Episcopus particularis fert in materia, quæ juxta alios ab Ecclesia nondum fuit decisa, Catholica est.* XX. *Omnis propositio, quæ plures habet sensus, quos inter non nisi unus falsus est, tanquam erronea damnari debet.* XXI. *Episcopus particularis certas propositiones, de quarum veritate inter celebres Doctores non constat,*

tan-

tanquam erroneas in fide & in moribus condemnare valet, neque neceſſe eſt, ut earum propugnatores audiantur, imprimis in caſu, ſi Eccleſia vel ſancta Sedes, mentem ſuam deſuper expreſſe non declaravit. XXII. *Si Angelus Dei e cælo deſcenderet, & Auctori harum Aſſertionum, ſuæ opinioni quocunque modo contradiceret, talis ei non crederet, quinimo nec ipſi Deo.* XXIII. *Fidei elementa principiis naturalis legis ſunt ſuperſtructa.* XXIV. *Quod ſi Joannes Huſſus, quem Concilium condemnavit, & hæreticum pronuntiavit, Advocatum habuiſſet, nunquam fuiſſet convictus.* XXV. *Malo in cauſſis fidei Judæos vel Gentiles judices habere, quam Deputatos Concilii.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CXXXVII.

Gerſonii Vindiciæ contra errores ſibi objectos.

Gerſonius haud difficulter de objectis hiſce propoſitionibus ſeſe purgavit, quarum potior pars ſumme orthodoxa eſt, ceteræ vero benignam interpretationem admittunt. Exempli gratia, ad primam reſpondit, illam ex malitia fuiſſe transpoſitam, nec ſe de eo locutum fuiſſe, quod fieri deberet. Ad ſecundam vero, quod aliquis fidelis permaneat, quamdiu fidem conſervat in intellectu, etſi errorem circa fidem committeret, quodque

Sæcul. XV. A. C. 1415.

fides sine charitate subsistere valeat. Ad quartam, quod impugnari nequeat, nisi quis hoc ipso Wiclefi & Joannis Hussi erroribus faveret, qui dixerunt, quod *Prælatus non sit Sacerdos; aut Dominus non sit Prælatus, nec Sacerdos, nec Dominus, si in peccato mortali essent.* Ad quintam & sextam, quod hæ duæ propositiones Catholicæ sint, sed ex illis malitiosæ deducantur illationes. Ad quatuor subsequentes, quod itidem veræ atque Catholicæ sint, prout in textu leguntur, malitiose vero detortæ fuissent. Ad undecimam & duodecimam, quod veræ sint, prout conceptæ leguntur. Item quod propositio decimæ quartæ contraria, hæretica sit, & a Concilio damnata in propositione: *Quilibet Tyrannus &c.* etsi affirmet, licere Tyrannum occidere auctoritate publica, non autem in seditione. Ad XV. dicit, textum fuisse adulteratum, suam vero propositionem orthodoxam, & veram esse. Idem respondet ad XVI. In decima septima Gersonius explicat verbum *mittere*, & inquit, quod equidem ad Concilium Viri suspecti mitti valeant, non vero deputari tanquam Commissarii. Ad decimam octavam respondit, quod Verbum: *posuerunt* non intellexerit in sensu Metaphorico, & absoluto, sed solummodo in sensu morali. Ad decimam nonam, nil se docuisse, quod ipsum non appro-

approbaverit Concilium, & ab ipsis Episcopis, & Academiis adoptandum non esset. Vigesimam & vigesimam primam omnino negat, eoquod Jacobelli sententia a Concilio damnata fuisset, licet Jacobellus non comparuerit. Ad vigesimam secundam, quæ valde dure sonat, calumniam sibi impingi conqueritur, & inquit, se non locutum esse de eo, quod opinioni opponitur, sed quod fidei orthodoxæ adversatur. Ad XXIII. dicit, quod textui consona non sit, admittit tamen veram esse quoad principia fidei decalogo consentanea. Ad vigesimam quartam respondet, non esse accipiendam secundum rigorem literæ, sed esse tantummodo certum loquendi modum, veluti si quis diceret de homine plumbeo ac segni: *hic nunquam veniet*, etsi eum tandem venturum sciam. Quoad ultimam minus feliciter se purgavit, dicens, quod transeunter, & forte ex tædio eam asseruerit, eoquod per quinque jam menses in materia tanti momenti quoad bonos mores judicium ferre morosius distulerit Concilium, de cetero propositionem non adeo esse absurdam, prout existimaretur, cum sermo esset de materia morali, & ad Jus naturæ pertinente, in qua & Judæi, & Ethnici judices esse possent. Tandem concludit postulando, ut suarum propositionum denuntiatio declararetur nulla,

Sæcul. XV. A. C. 1415.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

& denuntiatores a Synodo coercerentur.

§. CXXXVIII.

Epistola Episcopi Atrebatensis ad Collegium Cardinalium.

Gerson. p. 472.

Cum ergo Episcopus Atrebatensis contra Cardinalem Cameracensem excepisset, illumque pariter hæresis accusasset, reliqui Cardinales sui Collegæ honorem defendere decreverunt, quocirca Episcopus eis libellum exhibuit, in quo gravia, si huic causæ se immiscerent, secutura ostendit mala, eoquod causæ Joannis Parvi plures faverent Principes, in quorum ditionibus Cardinales possiderent beneficia, quæ perdere possent; dari quoque Academias, quæ contra eorum sententiam abs dubio insurgerent; nullam vero Cardinalitiæ dignitatis rationem habendam, eoipso quod de propositionibus materiam fidei tangentibus ageretur, Episcoporum enim & Doctorum esse ejusmodi controversias decidere. Tandem manifestam fore Tyrannidem, si ad salvandum unius Cardinalis honorem, & utilitatem, totum Collegium Cardinalitium causæ alias a Concilio decidendæ auctoritatem sibi arrogare vellet. Certe non obmutuit Cameracensis Cardinalis, sed pariter Synodo obtulit libellum, in quo

quo Assertiones Joannis Parvi damnari, earumque pertinaces defensores tanquam hæreticos declarari postulavit. Sæcul.XV. A.C.1415.

§. CXXXIX.

Alia scripta pro Joanne Parvo.

Refutavit hoc scriptum Episcopus Atrebatensis, concludens, damnandas non esse hasce propositiones, easque sigillatim vindicavit, & nonnisi per fraudem Joanni Parvo imputatas fuisse asseruit. Aliud adhuc composuit opusculum, in quo has propositiones ad fidem non pertinere ostendit, Ducis Burgundiæ famam injuste in Synodo denigratam fuisse, literas quoque Regis Galliæ in hanc rem scriptas subreptitie extortas, imo accepto Regem inter & Burgundum pacis initæ nuntio omnino revocatas fuisse. Denique plura alia prodierunt scripta, exstatque sententia a Cardinale Aquileiensi concepta, quam a Synodo hac in caussa pronunciandam proponebat. Reliquum anni tempus mediis, quibus hoc negotium absolveretur, investigandis dabatur; sed cassо omnino labore.

§. CXL.

Imperator Perpiniani.

Cæsar nonnisi decima octava Septembris *Spond. hoc an. n. 57.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

bris die Perpiniani advenerat, diutius enim Narbonnæ morabatur, nuncium præstolaturus de recuperata Arragoniæ Regis salute. Interea tamen Petrus de Luna jam mense Junio Perpinianum accessit, sed exeunte dicto mense inde abiit, Valentiam profectus; quippe Cæsaris adventum expectare haud libuit. Ex eadem urbe Sigismundus de suo adventu Petrum certiorem reddidit, rogavitque, ut rediret; ast ille, priusquam Cæsaris precibus acquiesceret, securitati suæ data fide cautum esse postulavit, dixitque, se Perpinianum non reversurum, nisi Pontificali habitu ornatus comparere posset. Respondit Imperator ejusdem Legatis, suum non esse in alieno regno publicæ fidei literas dare, nec se illum ut Pontificem, sed tantum ut Cardinalem recepturum. Nihilominus accedente Arragonum Regis auctoritate Petro petitam securitatis syngrapham concessit; Petrus autem de Luna, ubi intellexit, sibi in ea duntaxat Cardinalis dignitatem attribui, Perpinianum venire renuit, missis duntaxat quibusdam articulis, quibus plura rationi minus consona postulavit, nimirum, ut vel Lugduni, vel Avenione, Montispessulani, aut alibi convocaretur Concilium, in quo, prævia Pontificatus sui confirmatione, cedere paratus esset, ea tantum lege, ut Cardinalis Legatus a Latere habere-

beretur cum pleno jure disponendi tam in spiritualibus, quam in temporalibus per omnem suam obedientiam, necnon ut cuncti, quos ad qualecunque officium vel dignitatem promovisset, confirmarentur, atque in Synodo a se ipso convocanda quæcunque adversus eum in Pisano Concilio decreta fuissent, ante omnia velut irrita, ac omnino nulla declararentur. Imperator hisce conditionibus rejectis, denuo Petrum ad Perpinianense colloquium sollicitabat; hic vero non nisi post frequentes impulsus tandem comparuit. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CXLI.

Seditio in Bohemia ob Hussi supplicium.

Vix Joannis Hussi supplicium Pragæ innotuit, cum ingens ibi oritur seditio. Ejusdem discipuli in arcis capella congregati memoriam defuncti velut Martyris celebrandam decernunt. Postea Archiepiscopi Palatium atque Ecclesiasticorum ædes diripiunt, pluresque trucidant. *Æn. Sylv. c. 36. Cochl. l. 4.*

§. CXLII.

Epistola Nobilium Bohemiæ ad Synodum.

Non multo post tempore Bohemiæ Proceres *Æn. Sylv. l. 5. p. 214.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

ceres literas ad Synodum perscribunt, quæ paucis diebus, antequam Benedictus Perpiniani advenerat, Constantiam delatæ sunt. His circiter sexaginta tam Bohemiæ quam Moraviæ nobiles subscripserant, in graves effusi querelas contra Synodi gesta. Criminabantur Concilium, quod morti tradidisset Joannem Hussum tanquam hæreticum, nullius tamen erroris convictum. Hunc multis deprædicant, velut fidelem Evangelii Ministrum, tam in moribus quam in doctrina ab omni errore immunem. Postmodum caussam dicunt pro Regno Bohemiæ, & Moraviæ Marchionatu, jactantes, se a prima sui ad fidem Christianam conversione semper Ecclesiæ Romanæ fideliter adhæsisse, meram igitur calumniam esse rumorem malitiose ab inimicis & proditoribus disseminatum, & adinventum, acsi in istis ditionibus hæretica spargerentur dogmata; Tandem a sententia Concilii appellant ad futurum Pontificem, injuriæ acceptæ reparationem postulaturi. Hæc Epistola data est die secunda Septembris.

§. CXLIII.

Historia Zischæ Hussitarum Ducis.

Supplicium Joannis Hussi nemini atrocius inflixit vulnus, quam Joanni de Troczonovia Regis Wenceslai Cubiculario

rio, qui postea accepto Zischæ nomine, quod Bohemorum idiomate monoculum significat (in quodam enim prœlio oculum amiserat) valde celebrem, atque formidandum se reddidit. Hic natione Bohemus erat natus in oppido Trosnovia tenuis adeo fortunæ, ut sæpius a ditioribus, qui in vicinia erant, Nobilibus victum emendicare coactus fuerit. Imperatoris Caroli IV. Ephebus erat, ab ejusque Filio Wenceslao post præclara fortitudinis ac magnanimitatis specimina in variis occasionibus exhibita inter suos Cubicularios adlectus fuit. Stipendia meruit cum insigni gloria apud Poloniæ Regem, & in prœlio An. MCCCCX contra Equites Teutonicos a Rege prospero Marte commisso hæroica edidit facinora. Hussitæ illum Ducem suum creant, nec invitum, flagrabat enim mortem Joannis Hussi, cui amicissimus erat, vindicandi ardore. Ergo ad exequendum suum consilium rusticorum exercitum instruxit, quos militari arte adeo feliciter imbuit, ut lectissimi milites ubique audirent. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CXLIV.

Subjectio ab Hieronymo Pragensi promissa.

Moverat Concilii Patres Epistola Bohemorum Procerum, necnon arreptum *Th. Urie apud Vonder Hardt to. 1. p. 170.* ab

Sæcul. XV. A. C. 1415.

ab eis animi propositum, ut omni studio Hieronymum Pragensem ad retractandum inducere allaborarent, ne pari in eum supplicio ac in Joannem Hussum animadvertere cogerentur. Quapropter undecima Septembris die productum gravibus adeo atque efficacibus rationibus adoriuntur, ut sese Synodo subjicere promiserit, & errorum Wiclefi, ac Joannis Hussi damnationem approbaverit, caussatus, quod antehac non crediderit, articulos Husso imputatos illius fuisse, additque, se quidem Personæ, non autem errorum ejus amicum esse velle, nec eorum damnationem a se factam pro retractatione esse reputandam, licet enim frequenter condemnatas hasce propositiones audiisset, atque legisset, se tamen nunquam eas tanquam Articulos fidei adoptasse, neque privatum suum judicium auctoritati Ecclesiæ prætulisse. Ast hæc Hieronymi declaratio nimium vagis, ac ambiguis concepta erat verbis, hinc totum tempus usque ad proximam sessionem excurrens in eo impendebatur, ut eum ad clariorem, magisque definitam retractationem inducerent; quam & obtinuerunt.

§. CXLV.

§. CXLV.

Sæcul. XV. A.C.1415.

Sessio decima nona.

Die XXIII. Septembris hæc Sessio, ordine decima nona celebrata est, cui pro more Cardinalis Vivarienſis præfuit, Episcopo Assiſſinatenſi rem divinam peragente. Absolutis solemnibus alias consuetis, ante omnia Hieronymus Pragenſis coram Patrum cœtu sistitur, publice Wiclefi ac Joannis Huſſi articulis anathema dicturus. Cardinalis Cameracenſis illius formulam his terminis conceptam legit. *Labbe Conc. tom. 12. p. 164.*

§. CXLVI.

Hieronymi Pragenſis recantatio.

Ego Hieronymus de Praga, liberalium artium Magiſter, cognoſcens veram, Catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſin, præcipue eam, de qua hactenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt & tenuerunt Joannes Wicleſ, & Joannes Huſs in ſuis opuſculis ſeu libellis, aut ſermonibus ad Clerum & ad populum. Propter quam cauſſam prædicti cum ſuis dogmatibus & erroribus damnati ſunt ab hac ſacroſancta Conſtantienſi Synodo tanquam hæretici, & eorum doctrina ſimiliter damnata, maxime in nonnullis articulis expreſſis in ſententiis per hoc ſacrum Concilium contra ipſos latis. Con- *Ibidem.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi & huic sacro Concilio, & ore, & corde profiteor in omnibus & per omnia, præsertim de clavibus, de sacramentis, ordinibus, officiis, censuris ecclesiasticis, de indulgentiis & reliquiis Sanctorum, & Ecclesiastica libertate, ac etiam de ceremoniis & aliis omnibus ad Religionem Christianam pertinentibus, prout ipsa Romana Ecclesia & Apostolica sedes, & hoc sacrum Concilium profitentur, & specialiter, quod prædictorum articulorum plures sint notorie hæretici, & dudum a sanctis Patribus reprobati, quidam vero blasphemi, alii erronei, alii scandalosi, quidam etiam piarum aurium offensivi, & ipsorum nonnulli temerarii & seditiosi, & pro talibus fuerunt prædicti articuli per hoc sacrum Concilium condemnati, & inhibiti omnibus & singulis Catholicis, sub anathematis intimatione, ne de cætero dictos articulos aut ipsorum aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, aut tenere præsumeret.

Hæc retractatio adhuc fusior legitur in actis Concilii, nam postquam Hieronymus Pragensis Wiclefi ac Joannis Hussi errores abjuraverat, insuper cogebatur ad revocandas certas quasdam privatas sententias logicas *de universali* quas docuit, v. g., quod *una communis generis essentia esset homo, leo, bos &c. quodque una essentia specificasset plura ejusdem speciei supposita & quodlibet eorum*, & ad hoc inducen-

ducendum velut exemplo usus, descripsit triangularem figuram, quam scutum fidei appellavit, igitur declaravit, quod ejusmodi doctrinis non intenderit obstinate inhærere, nec eas tanquam doctrinam ad salutem necessariam, sed duntaxat ad ingenii sui exercitationem defendisse, minus vero se hanc sententiam extollere super omnes alias Doctorum opiniones. Cum vero accusatus etiam fuisset, ipsum docuisse, quod fides adhuc locum haberet in Ecclesia triumphante, respondit, nunquam suæ opinionis fuisse, quod ibi esset fides sub ratione propria fidei, sed duntaxat cognitio quædam fidem excedens, & a visione Beatifica proveniens. Testabatur etiam, se prima fronte non credidisse, quod Joannes Hussus articulos, qui ipsi adscribebantur, reipsa docuisset. Cum vero eos in libris suis manu propria scriptis legisset, agnovisse se, merito ejus doctrinam, tanquam hæreticam & insanam, fuisse damnatam. Tandem juravit per sanctissimam Trinitatem, & per sacrosancta Evangelia, se in veritate Ecclesiæ Catholicæ semper permansurum, omnesque, qui hanc fidem impugnaverint, anathemate dignos pronuntiavit. *Et si & ego*, addit, *aliquando aliquid contra sentire præsumpsero, canonum severitati subjaceam, & æternæ pœnæ.* Hanc recantationem ipsus alta voce legit, & præmissa de

Sæcul. XV. A. C. 1415.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

de ſinceritate mentis ſuæ teſtificatione ſubſcripſit. Quo facto nihilominus in carcerem reductus fuit, nec Commiſſarii, prout optabant, illum libertati aſſerere poterant.

§. CXLVII.

Decretum ad Fratres Minores, & de ſecuritatis publicæ literis.

Ibid. p. 166. Deinde plura legebantur Decreta, quorum primum concernebat Fratres Minores ſtrictioris obſervantiæ. Examinandæ proponebantur nonnullorum dicti ordinis querelæ contra quosdam, qui cum Sacræ Regulæ ſpiritum, ac obſervantiæ ſtudium tueri deberent, laxiorem introducebant diſciplinam; deputabantur igitur hanc in rem Commiſſarii, Cardinales Urſinus, & Cameracenſis. In ſecundo Decreto Concilium declarat, in quantum validæ cenſeantur impunitatis literæ, quas Principes ſæculares hæreticis concederent, dicitque, *quod nullum fidei Catholicæ vel jurisdictioni Eccleſiaſticæ præjudicium generare vel impedimentum præſtare poſſint aut debeant, quominus contra eos tali ſalvo conductu munitos liceat judici competenti de hujusmodi erroribus inquirere, procedere, & punire, quantum juſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores revocare pertinaciter recuſaverint, etiamſi de ſalvo conductu conſiſi,*

fisi, ad locum venerint judicii, alias non venturi, nec sic promittentem, cum fecerit, quod in ipso est, hoc in aliquo remansisse obligatum. Aliud adhuc lectum fuit Decretum, in quo Synodo latam a se contra Hussum sententiam vindicat, hoc tenore: *Cum Joannes Huss fidem orthodoxam pertinaciter impugnans, se ab omni salvo conductu & privilegio reddiderit alienum, nec aliqua sibi fides aut promissio de jure naturali, divino, vel humano fuerit in præjudicium Catholicæ fidei observanda, Synodus declarat, Imperatorem circa Joannem Hussum, non obstante memorato salvo conductu, ex juris debito fecisse, quod licuit & debuit,* omnibus cujuscunque status & dignitatis præcipiens, ut nullus deinceps Concilio, vel Cæsari de gestis circa Joannem Hussum, detrahat, sive quomodolibet obloquatur. Qui vero contrarium fecerit, tanquam fautor hæreticæ pravitatis, & reus criminis læsæ Majestatis sine spe veniæ puniatur. Exhibet hoc Decretum Vonder-Hardtus tom. 4. p. 522. sed in Concilii actis impressum non habetur.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CXLVIII.

Confirmatio Bullæ Carolinæ.

Alia præterea lecta fuere Decreta, quorum altero confirmata fuit Constitutio, seu Bulla Carolina immunitatem Ecclesia-

Vonder Hardt to. 4. p. 523.

Sæcul. XIV. A. C. 1415.

cleſiaſticorum concernens, & mandat Synodus Vicecancellario Romanæ Eccleſiæ, ut executorias hujus Bullæ literas in forma ſolita expediat. Vocatur Carolina, quia innovatio & confirmatio eſt Conſtitutionis in favorem libertatis Eccleſiaſticæ contra Laicorum inſultus a Friderico conditæ, quæ ab Honorio III. approbata, demum ab ipſo Imperatore Carolo IV. Tangermundæ anno MCCCLXXVII. innovata fuit. Vi hujus confirmationis Synodus omnes invaſiones, vexationes, aliaque molimina adverſus jura, libertates & immunitates Eccleſiaſticas attentata a tempore Urbani VI. annullat, atque irritat.

§. CXLIX.

Alia Decreta.

Labbe Conc. tom. 12. p. 170.

Sequens, quod legebatur Decretum delegavit Patriarchæ Conſtantinopolitano, & Epiſcopo Sylvanectenſi facultatem audiendi & cognoſcendi de hæreſibus in Bohemia ac Moravia invaleſcentibus, eisque plenam omnes ſuſpectos in fide citandi & judicandi poteſtatem dedit, usque ad definitivam ſententiam excluſive. Alio decreto ſancitum, ut Beneficiati in Concilio præſentes Beneficiorum ſuorum fructus perciperent; ultimo vero ordinatum fuit, quod nomine Concilii literæ

ſuper

super omnes provisiones ac promotiones a Joanne XXIII. usque ad suspensionem ejus concessæ ratihaberentur, nisi aliud canonicum obstaret impedimentum. Ast huic dispositioni contradixit Episcopus Aniciensis, suo & Archiepiscopi Spalatensis nomine, & ejus oppositio ad acta relata est. Quibus peractis Sessio absoluta fuit. Sæcul. XV. A. C. 1415.

Die secunda Octobris nuntiatum est Constantiensibus, Benedictum XIII. Perpinianum venisse, & cum Imperatore, atque Arragoniæ Rege conventum egisse. Qua de re tanta erat cunctorum lætitia, ut pulsatis omnibus urbis campanis solemniter Hymnus: *Te Deum &c.* decantaretur.

§. CL.

Cardinalis Barrensis obitus.

Paucis ex post diebus Cardinalis Barrensis, nominatus Landulphus de Maramauris, e vita excessit. Ejus exequiæ ingenti pompa celebratæ sunt, & Episcopus Laudensis funebrem habuit concionem, in qua tamen ne verbo quidem defuncti Cardinalis meminit, sed duntaxat de vitiis Clericorum, & de urgenti Ecclesiam reformandi necessitate disseruit. Proxima die Dominica, vigesima nona Octobris Ottoricus Abindon Doctor, & *Vonder Hardt to. 4. p. 533. & tom. 5. p. 115.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

& Theologiæ Professor Oxonienſis ejusdem funeris occaſione verba fecit, & ad finem orationis Patres Concilii adhortatus eſt, ut Pontificem, doctum, pium, & gravem eligant, qui reformationem Eccleſiæ perficere, & ingentes abuſus illo tempore graſſantes corrigere valeat.

§. CLI.

Hieronymus Pragenſis, etiam poſt retractationem Synodo ſuſpectus.

Theobald. hiſt. de bello Huſſit. c. 23.

Hieronymus Pragenſis poſt errorum ſuorum abjurationem in pleno confeſſu factam ad carceres reductus fuit, inſuperhabitis ſuorum Commiſſariorum, ſeu potius Judicum, nempe Cardinalium, Cameracenſis, Urſini, Aquilejenſis & Florentini precibus, qui eum liberari impenſe petierunt, eoquod ſeſe Concilio obedientem præſtitiſſet. Verum hac ipſa ſua deprecatione ſuſpectos ſe reddiderunt, quinimo nonnulli eos Huſſitarum ac Regis Bohemiæ auro corruptos, Hieronymo patrocinari criminabantur. Quocirca hi Cardinales alios Commiſſarios conſtitui poſtularunt, & annuente Synodo Patriarcha Conſtantinopolitanus, aliique eis ſuffecti ſunt, Gerſonius autem tractatum conſcripſit, cui titulus: *De Proteſtatione* ſeu revocatione *circa materiam fidei ab hæreticis facienda pro hæreſum abjura-*

juratione, in qua revocationem Hieronymi, licet illum non nominaverit, suspectam reddere allaboravit; nec a vero aberravit. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CLII.

Tractatus Gersonii de Protestationibus hæreticorum.

Gersonius in allegato tractatu discutit Protestationes tam Generales quam particulares, seu revocationes aut recantationes, quas circa materias fidei contra hæreses fieri oportet; inquit ergo, *Protestatio Generalis de fide non sufficit ad purgationem illius, qui tenet errores particulares. Protestatio specialis, ac conditionalis, v. g. si dicitur: Si hæc veritas mihi nota esset, scit Deus, quod libenter eam crederem, non excusat pertinaciter errantes apud Deum vel apud homines. Protestatio specialis de fide sicut & absoluta revocatio de errore contrario requiruntur ad justificationem illius, qui particularem errorem absolute tenuit, hæc tamen non absolvit, quin pertinax aut hæreticus antea extiterit. Talis tamen Protestatio non debet fieri necessario, dum quis errat nescienter in fide,* & sine contumacia. Tandem *Protestatio generalis aut conditionalis revocatio non obstat, quin talis dici possit suspectus de hæresi, si ex signis exterioribus cognoscitur,*

Sæcul. XV. A.C.1415.

suam revocationem non esse sinceram. In eodem tractatu ponit definitionem pertinaciæ dicens, quod *consistat in depravatione voluntatis per superbiam, vel aliud vitium, dum non vult errans cauta sollicitudine quærere veritatem, aut dum perspectæ, monstratæque renuit assentire, vel errorem dimittere,* Totum Gersonius absolvit indicatis pertinaciæ signis, quorum duodecim ennumerat. (*)

II. *Cum errans sustinet excommunicationem ultro, nec se excusare potest.*

III. *Quando citatus renuit comparere.*

IV. *Dum quis defendit errorem, cujus oppositum tenetur explicita fide credere.*

V. *Dum quis declarationem & definitionem fidei impedit.*

VI. *Dum veritatem docentes seu determinantes odisse se monstrat.*

VII. *Quando quis negat veritatem, quam prius docuit.*

VIII. *Dum quis petit declarationem veritatis a Doctoribus seu judicibus, quam, cum facta est, nihilominus repudiat.*

IX. *Quando commovet seditiones & bella, ideo, quia facta est alicujus veritatis declaratio.*

X. *Dum jurat se malle mori, quam errorem revocare.*

XI. *Dum*

(*) *Ipsa definitio a Gersonio pro primo assignatur signo adhuc interno.*

XI. *Dum fovet errantem & defendit, ſciens hunc errare.* Sæcul. XV. A.C.1415.

XII. *Quando non reſiſtit erroribus, dum poteſt & debet.*

§. CLIII.

Seſſio vigeſima.

Controverſia inter Epiſcopum Tridentinum, & Fridericum Auſtriæ Ducem in Seſſione XX. die Jovis vigeſimo primo Novembris celebrata examini ſubjecta eſt. Querebatur Præſul, ſe non modo jam per novem annos ab Auſtriaco ſede ſua pulſum, omnibus oppidis, caſtris, aliisque ad eum pertinentibus Dominiis exutum, ſed inſuper crudeliter ab eo carceri incluſum fuiſſe, præterea ſe vi coactum, plura promiſſa, imo & juramenta in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis depoſuiſſe. Mandavit equidem Imperator Duci, ablata Epiſcopo ſpolia atque Epiſcopatum redderet, quod ille facturum ſeſe ſancte promiſit. Aſt Epiſcopo neque libertas corporis, nec poſſeſſio bonorum reſtituta fuit. Quocirca Synodus abſente quidem Imperatore, ſed certo certius eo conſentiente, hanc cauſſam dijudicandam aſſumpſit. Auditis utriusque partis Advocatis, pro Epiſcopo ſententia pronuntiata eſt, & Patres conceſſerunt decretum ut vocant monitorium, *Labbe Conc. to.12.p.172.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

torium, quo sub pœna excommunicationis, suspensionis, & interdicti retinentes bona, aut loca ad Episcopum pertinentia ad restitutionem compelluntur.

§. CLIV.

Samogitarum Oratores Constantiæ.

Vid. supr. Lib. CII. §. 100. Vander Hardt to. 4. p. 546. Dlugoss. l. 11 p. 343.

Die XXVIII. ejusdem mensis Samogitiæ, quæ est quædam Lithuaniæ Provincia, Legati numero circiter sexaginta Constantiam veniunt. Gens ista fere ante biennium Christi fidem suscepe-rat, opera Ladislai Jagellonis Poloniæ Regis. Subdita erat per aliquot annos Teutonicorum Equitum imperio vere Tyrannico, a quo eam nequidem tutam Polonorum præsidium fecit. Hinc Poloniæ Rex, conspirante magno Lithuaniæ Duce, Samogitas cum suis Legatis ad Synodum misit, ut illius auxilium contra Equites implorarent, simulque sibi quosdam Viros Ecclesiasticos concedi peterent, qui Pastorali cura residuos Samogitas infidelitatis tenebris adhuc involutos Ecclesiæ aggregarent. Decrevit Synodus in quadam particulari Congregatione, aliquem Cardinalem unacum duobus suffraganeis, & tribus Doctoribus ablegare, ut illos Christianæ fidei doctrinis plene imbuerent; Ad quod pium sanctumque opus ultro sese obtulit Cardinalis Ragusinus.

Polo-

Poloniæ Legati nomine ſuæ gentis conqueſti ſunt contra Equites Teutonicos. Unde ſequenti anno Synodus declaravit, quod Samogitæ deinceps in temporalibus Imperatori, in ſpiritualibus ſuis Epiſcopis ſubjacerent, Equitibus vero præcepit, ne ultra eos vexarent, nec converſioni illorum obſiſterent. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CLV.

Tractatus Gerſonii de Simonia.

Anni currentis reliquias Synodus variis dicavit Congregationibus, ad exequendum reformationis Eccleſiæ conſilium deſtinatis. Scripſit in hunc finem Gerſonius tractatum de Simonia, in quo pluribus caſibus circa hoc peccatum adductis, media pertractat, quæ Synodus ad extirpandam hanc labem opportune adhibere poſſet. Annatas damnat tanquam ſimoniacas, quia Papa exigit pecuniam propter beneficiorum collationes, & quamvis exiſtimat, a ſimoniaca labe abſolute excuſari poſſe receptionem vel dationem pecuniarum pro iis rebus, quæ pretio æſtimabiles ſunt, v. g. pro literarum teſtimonialium expeditione, pro ſollicitudine, labore &c. nihilominus nec ſub hoc prætextu aliquid dari, vel exigi poſſe, affirmat, Ab iis tamen, quibus adminiſtrantur Sacramenta, aliquid exi- *Vander Hardt to. 1. part. 4. p. 1.*

Sæcul. XV. A C 1415.

gere, non damnat, dummodo intentio recipiendi temporale non fit finis principalis, & aliunde abſit ſcandalum & avaritiæ nota. Nam, inquit, ſi ſub prætextu debiti ſalarii *non exercerentur ſpiritualia, niſi primo dentur temporalia, aut ſi turpiter & cum ſcandalo atque avaritiæ nota exigerentur, poſſent haberi ſuſpecti de ſimoniaca pravitate ſic facientes.*

§. CLVI.

Epiſtola Angeli Corarii ad Synodum.

Vander Hardt to. 4. p. 551.

Die ſeptima Decembris convenerant Nationum Deputati, Epiſtolam lecturi, quam Angelus Corarius quondam Gregorius XII. ad Concilium, & quidem propria manu ſcripſit, quod a tempore ſuæ abdicationis hucusque nunquam fecerat. Epiſtolæ inſcriptio hæc erat: *Sacroſanctæ Univerſali Synodo Conſtantienſi devotionem, & ſubmiſſionem cum humili ſui recommendatione*, ad calcem vero ſubſcriptus legebatur, *humilis & devotus veſter Angelus Corario, Epiſcopus, & S. R. E. Cardinalis.* In ea confirmat ceſſionem ſuam, quam *Sacrificium juris ſui pro bono pacis Eccleſiæ factum* appellat. Synodo gratias agit pro habita ratione dignitatis, ac ſtatus ſui, eam ad proſequendum unionis negotium adhortatur, & ſcribendi moram excuſat, eoquod Oratores exſpectaret,

ctaret, quos Synodus ad se mittere debuisset, qui tamen non comparuerunt. Hæc epistola data est Recineti die septima Octobris. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CLVII.

Argentinensis Episcopi caussa in Synodo ventilata.

Argentinensis Episcopi caussa aliquamdiu Patrum sollicitudinem fatigavit. *Ibid. p.551.* Præsul iste, cui nomen Guilielmus de Diest, jussu suorum Canonicorum, & Argentinensis Magistratus Molshemii comprehensus fuit, eoquod bona quædam Ecclesiæ alienare meditaretur. Elector Palatinus, ad querelas Episcopi Synodo oblatas, Nationum cœtum coegit, ut de mediis hanc causſam absolvendi deliberarent. Ultro citroque ad Concilium missi fuere Advocati; Canonicorum ac Magistratus Causidici exposuerunt, Episcopum ideo detentum, quia periculum esset in mora, ne castrum Bernense, & oppidum *Zabern* seu Tabernæ Alsaticæ dictum alienaret, & pro certa pecuniæ summa, ad ducendam uxorem impendenda, quibusdam sæcularibus venderet. Subjungunt, eundem Episcopum jam ultra viginti castra Argentinensis Ecclesiæ alienasse, & hoc ære emisse terras, quas jure proprio possideret, Verbo, octodecim

Sæcul. XV. A.C. 1415. illis annis, quibus hanc Ecclesiam ut Episcopus, quamvis necdum Presbyter esset, rexerat, omnia dictæ Ecclesiæ bona dilapidasse. In fine petierunt, ut Concilium Ecclesiæ hujus libertates ac immunitates conservare, & illatorum damnorum reparationem urgere velit.

Advocati ex parte Episcopi minus feliciter caussam dixerunt, & finaliter petierunt, ut Concilium monitorias expediret literas adversus eos, qui Episcopum detinere ausi sunt. Cognita caussa, Antiochenus Patriarcha declaravit, decretum fuisse, quod sexdecim Commissarii, quos inter quatuor Cardinales essent, nominarentur, interea vero Præsul ex carcere dimitteretur. Capituli Advocatus acceptos habuit Commissarios, sed Episcopi liberationem acceptare noluit, nisi saltem Capitulo cautum esset, de castro, & urbe dicta non alienanda. Hinc caussa ad aliam congregationem remissa est.

§. CLVIII.

Congregatio Nationum in caussa Reformationis Ecclesiæ.

Ibid. p. 556. Die 19. Decembris, Joannes Nason Germanæ Nationis Præses vehementer urgebat, ut Concilium Simoniam reprimeret, & Hieronymi Pragensis caussam, cujus

cujus retractatio semper suspecta videbatur, continuo prosequeretur. Die vigesima sexta ejusdem Mensis quidam ex ordine Eremitarum S. Augustini, Moguntinæ Diœcesis, sermonem habuit de reformatione Ecclesiæ, in quo eleganter recensitis Clericorum obligationibus, acriter insectatus est abusus in Ecclesia invalescentes, atque ardens studium prodidit hæresis extirpandæ, & reformandæ Ecclesiæ in fide & moribus. Die autem vigesima nona Decembris iterato congregabantur Nationes, ut Imperatoris, & Deputatorum Synodalium in Arragoniam missorum Epistolas legerent. Trigesima Decembris die, altera Bohemorum Procerum Epistola ad Synodum delata est, in qua de supplicio Joannis Hussi conquesti sunt, cujus nuntio accepto fere omnes Nobiles Viri & populus ad seditionem incitati fuissent, adeo, ut jam Episcopus Litomislienſis, qui ad eos Legatus missus fuerat, motus animorum sedando impar esset. Concilii Promotores postularunt, Hussitas & Proceres, qui huic epistolæ subscripsere, Constantiam vocandos esse, ut ibidem de fide, gestisque rationem rederent.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CLIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. CLIX.

Belli apparatus in Anglia adversus Gallos.

Juven. Urs. Hist. Car. VI Monstrelet. vol. I. p. 141. & seq.

In Galliis pacis negotium cum Anglia indefesso tractabatur studio, atque tres solemnes ultro citroque legationes missæ fuere, ut conventa pacis perficerentur, quibus absolutis Henricus V. Angliæ Rex Catharinam Franciæ Principissam in uxorem ducturus esset. Oblata fuere Anglo in dotem futuræ conjugis octingenta aureorum florenorum millia, simulque quindecim Aquitanniæ urbes, ac totus Lemovicensis districtus. Hæ conditiones Henrico arridere videbantur, sed promissorum facilitati operis constantia defuit. Anglus enim Galliam bello opprimere parabat, eoquod illud ejus subditi tanto ardore expeterent, ut universum regnum, si eorum votis non acquieviſſet, contra Regem ad seditionem commoviſſent. Præterea suspicioni locus erat, quosdam Franciæ Proceres Gallici imperii pertæsos clandestina cum Henrico foviſſe consilia: saltem ipse Angliæ Rex persuasus erat, mediam duntaxat Nationis gallicæ partem sibi adversam fore, eoquod adhucdum Aurelianensis, & Burgundica Domus implacabili odio inter se dividerentur.

Ubi

Ubi ergo exercitum suum contraxit, haud ultra animi sui consilia occultavit, sed aperto Marte se adversus Gallos jura sua tuiturum declaravit; deditque ad Regem literas querelis, atque minis plenas, eumque in sua subscriptione simpliciter *Carolum Galliæ cognatum suum* nominavit, postmodum vero *Portum gratiæ* ad ostia sequanæ situm ingressus est, & cum sex millibus cataphractorum, triginta sagittariorum millibus, aliisque pluribus copiis justo exercitus numero convenientibus exscensionem fecit. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CLX.

Huneflotum obsidione cinctum, ac vi captum.

Hoc exercitu instructus Huneflotum, aliis *Arefluctum*, gravi obsidione premit. Urbs ista fortiter Anglorum impetus sustinuit, munita præsidio ac virtute quadringentorum militum, & septingentorum vel octingentorum Provinciæ Nobilium, qui ad hostem ab urbe repellendum accurrerant. Nihilominus vi occupatum est castrum, atque direptum, cum Gallici exercitus Duces, ut fama fert, vel ignavia, vel proditione, laboranti urbi succurrere negligerent, cujus rei culpa potissimum in Albretum Connestabilem rejiciebatur. Honfleur.

Ubi

Sæcul. XV. A C. 1415.

Ubi vero Carolus VI. nulla mora ſuas collegerat copias, anglorum quamplurimi ſtrenue pugnantes ceciderunt, nec pauciores graſſante lue e medio ſublati ſunt, cumque ad apertos campos excurrere non auderent, magna annonæ penuria premebantur, quam ob rem, poſtquam tribus ſeptimanis ad oram maritimam ſubſtitiſſent, caſtra movere, & Caleſium repetere cogebantur. Tranſibant Caletenſem agrum, Augii Comitatum, & Vinnemacenſem diſtrictum, ut trajecto amne Somona apud Blancetaciam reditum ſuum maturare poſſent. Gallorum exercitus nonniſi ex provinciali militia collectus, hoſtem in itinere propius laceſcere non equidem eſt auſus; Verum Rex Rothomagum veniens, juncto quatuordecim millium armatorum ſubſidio unacum omnibus Principibus (exceptis Aquitanniæ, Bituricenſi, Britanniæ, & Burgundiæ Ducibus) Anglos aggredi conſtituit. Aſt, cum Somonæ fluminis tranſitum valido milite obfirmare, ſicque facili negotio Anglos delere potuiſſet, ipſe neglecto hoc conſilio citra flumen apud Azincurtium in Comitatu S. Pauli Picardiæ oppidum a Blangio non longe diſſitum, tranſeuntibus Anglis commeatum intercludere decrevit. Angli perſpecto Gallorum conſilio, cum laboribus fracti eſſent, & commiſſo prælio non abs

re

re extremam internecionem vererentur, (hostium enim copiæ quadruplo eorum reliquiis superiores erant) omnia damna a tempore, quo in Gallias excurrerunt, data se reparaturos promisere. Nihilominus adeo amplæ conditiones a Gallis rejiciebantur. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CLXI.

Galli in prælio ad Azincurtium devicti.

Ergo postera die vigesima quinta Octobris Galli hostem ad pugnam provocant, infausto tamen successu, nam Anglorum ad duram, aut vincendi, aut moriendi necessitatem redactorum desperatio, tumultuaria Gallici exercitus instructio, & arrogantior inter Duces exorta summi imperii æmulatio Gallis admodum funesta fuit, accessit etiam importuna primi agminis dispositio, ita enim instructum erat, ut præ anguſtia loci primi duntaxat ordines pugnandi copiam haberent, denique ipse campus maxime iniquus erat ob humum uliginosam, & adeo imbribus madefactam, ut milites depressum ad suram usque pedem ægerrime promoverent. Hæc omnia causſæ erant extremæ Gallorum cladis, quorum sex millia ceciderunt, mille duntaxat, ac sexcentis Anglorum desideratis. Præcipui occisos *Naucler. gen. 48. p. 444.*

Sæcul. XV. A.C. 1415

occiſos inter lugebantur. Comes Nivernenſis, & Antonius Brabantiæ Dux, ambo Burgundiæ Ducis fratres; Dux Alenſonius, Albretus Conneſtabilis, Dux Barenſis, Bucicaldus Mareſcallus, Dampierrius ſummus claſſis Præfectus, Archiepiſcopus Senonenſis, frater Joannis de Monteacuto, qui Pariſiis capite truncatus eſt, necnon Vice-Comes Laudonenſis ejusdem Joannis filius. Capti Aurelianenſis, & Borbonius Duces, Vindocinenſis, & Richemundius Comites, cum aliis mille quadringentis Nobilibus. Victores ob attritas vires victis copiis haud abſimiles, caletum ægre admodum regreſſi ſunt; inde Henricus V. in Angliam remeavit, ſecum ducens Aurelianenſem, & Borbonium captivos.

Adeo funeſta clades inteſtina Gallorum diſſidia plurimum auxerat; nam Burgundus ſupremum Franciæ imperium aſſiduo ſtudio, ac ſumma contentione ambiebat, ac fatales temporis rationes ſuo conſilio admodum propitias fore ratus, confeſtim Divione cum Lotharingiæ Duce, & decem millibus equitum profectus, Pariſios petebat; quare Rex quam celerrime eo tendere, & aditus urbis ex omni parte valido milite munire coactus eſt. Ubi Dux Lagnium pervenerat, petiit a Rege, ut ſibi liceret illum convenire, ſed repulſam tulit. Quinimo expreſſo

Sæcul. XV. A.C.1415.

preſſo mandato prohibitum, ne Lutetiam accederet, niſi ſolito duntaxat ſuo comitatu, & neceſſariis impedimentis ſtipatus; quocirca retulit pedem, ſecuritati ſuæ non ſatis conſultum iri judicans, eo fortiori ratione, quod nunciatum eſſet ei, omnes ipſius Amicos in vincula conjectos, milites, quotquot intercipi poſſent, laqueo ſuſpenſum iri, Comitem quoque Armeniacum, quo infenſiorem hoſtem Burgundus non habuit, ad ſubeunda Conneſtabilis munia accitum fuiſſe. Præterea Rex Galliæ exeunte hoc anno Filium ſuum Ludovicum Delphinum, Aquitaniæ Ducem, & proximum regni ſui hæredem ſummo cum dolore amiſit, qui die 25. Decembris alvi profluvio laborans obiit, non ſine magna propinati veneni ſuſpicione. Cujus poſt obitum ſucceſſionis jura in Regnum Joanni Turoniæ Duci Fratri ejus ſecundo genito obvenere, qui Filiam Hannoniæ Comitis in uxorem duxerat, & tum in Flandria agebat.

§. CLXII.

Epiſcopi Tolonienſis ſermo.

Redeamus ad geſta Synodi, in quam tunc omnium Chriſtianorum oculi defixi erant. Igitur congregationes non intermittebantur usque ad proximam

Sæcul. XV. A.C.1416.

Sessionem, quæ diutius protracta fuit, utpote primum mense Majo ad finem vergente anni sequentis habita. In die Epiphaniæ sexta Januarii MCCCCXVI. Episcopus Tolonienſis sermonem habuit, & libertate Evangelica depravatos Clericorum mores insectatus est, concluſitque dicens: exauctorandum esse Benedictum XIII, condendas salutares leges adversus laxiorem disciplinam, & Clericos ad vitam Professioni eorum conformem tandem reducendos.

§. CLXIII.

Congregatio in cauſſa Archiepiſcopi Argentinenſis.

sup.§.CLIV Ineunte mense Januario habita est Congregatio in cauſſa Episcopi Argentinenſis, cujus supra meminimus, inunctumque fuit Patriarchæ Constantinopolitano, aliisque Commiſſariis, ut hunc Antistitem liberari peterent. Sed re infecta reversi sunt, Procuratore ac Capituli Advocatis dicentibus, quod Episcopum libertati restituere parati essent, dummodo Concilium castrum Bern, & oppidum Zabern in clientelam reciperet, & Episcopus jurato caveret, se Synodi sententiæ acquieturum, ac vel Constantiam iturum, vel saltem eo missurum deputatos, qui accusationum capitibus contra eum

eum delatis reſponderent. Verum cauſa hæc necdum finem ſortita eſt. Sæcul. XV. A.C.1416.

§. CLXIV.

Plurium Principum Oratores auditi.

Congreſſi ſunt Nationum Deputati, ut advenientes Jacobi Borbonii Neapolitani Regis, & Joannæ II. ſeu Joannettæ, uxoris ejus Legatos audirent. Hæc regina, cum fratrem ſuum, ejusque Anteceſſores imitata, pluries Romam invaſiſſet, ac propterea terris ſuis exui pertimeſceret, ſuis Legatis negotium dedit, ut Concilio obſequium præſtarent, omnemque ſubmiſſionis, ac fidei ſuæ teſtificationem erga futurum Pontificem ſuo nomine ſponderent, ſimulque hujus electionem urgerent. Oratores perbenigne excepit Synodus, eisque ſuam protectionem promiſit. Inſuper Caroli de Malateſtis, aliorumque Italiæ Principum Legati ad alloquium admiſſi ſunt. Sub idem etiam tempus contra eos, qui Angeli Corarii partibus adhærebant, querelæ deponebantur, ac ſi diverſis modis ſtatus Eccleſiaſticos divexare attentarent: quam ob rem Concilium reſpondit, ſe de opportunis tollendi diſſidii mediis proſpecturum, & in hac cauſſa Commiſſarios deputaturum. *Vander Hard tom. 4. pag. 559.*

Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CLXV.

Cauſſa Joannis Parvi reſuſcitata.

Gerſon. to. 5. p. 491.

Primis Januarii diebus cauſſa Joannis Parvi denuo examini ſubjecta eſt. Univerſitatis Pariſienſis deputati Cardinalem de Urſinis rogarunt, ut judices quosdam conſtitueret, qui diſcuterent, utrum novem iſtæ aſſertiones ad fidem pertinerent vel non, & an ſalva conſcientia approbari valeant? Cardinalis Cameracenſis eas fidem tangere judicabat, quia ſacræ Scripturæ adverſarentur, aut ſaltem morum diſciplinam violarent, ideoque ad Synodi forum pertinere, atque ab ea eſſe damnandas, velut conſecutiones ex generali Joannis Parvi propoſitione deductas, & jamjam proſcriptas. Joannes de Rocha ad eandem Congregationem vocatus, illas nec fidei, nec moribus contrarias, ſed S. Literis conformes, adeoque non eſſe rejiciendas tenuit. Cui Cardinalis Cameracenſis ſeſe oppoſuit, & paucis ex poſt diebus Gerſonius Gallorum nomine, Stephanus Paletz pro Germanis, & Epiſcopus Atrebatenſis pro Duce Burgundiæ Commiſſarios impenſe rogabant, ut harum novem propoſitionum vel condemnatoriam, vel approbatoriam pronuntiarent ſententiam. Vix non eodem tempore ad urgendum idem negotium allata

allata est Regis Galliæ Epistola. Interim die 15. Januarii Cardinales Ursinus, Aquilejensis, & Florentinus, antehac a Joanne XXIII. causſæ hujus Commissarii nominati, sententiam tulerunt, per quam ob non servatam formam juris Parisiensis conventus judicium, nullum ac irritum esse pronuntiatum fuit. Sæcul. XV. A.C.1416.

§. CLXVI.

Benedicti XIII. conditiones propositæ.

Benedictus XIII. ad cedendum jam pluries provocatus, tandem Mense Octobri Anno salutis millesimo quadringentesimo decimo quinto Perpinianum reversus est, ibidemque pari constantia propositionibus, quas olim Valentiæ exhibuit, denuo inhæsit. Cum ergo Imperator septuaginta octo annorum senis pertinacia fessus, perspicue cognovisset, eum ejusmodi conditionibus, quæ omnino adimpleri non possent, cessionem suam studiose adstringere, unacum Synodi Legatis Narbonnam rediit, inde in Germaniam reversurus; sed Arragonum Rex unacum Castellæ, Navarræ, & Scotiæ Legatis, aliisque Viris illustribus, qui ex Benedicti obedientia Perpiniani adhuc morabantur, Narbonnam Legationem decreverunt, Sigismundum rogaturi, ut *Th. Urie l. cit.*

Sæcul. XV. A. C. 1416.

profectionem suam differret, vel enim cessurum Papatu Benedictum, vel se obsequio ejus nuncium missuros, quibus permotus Imperator Perpinianum suos ablegavit Oratores, qui denuo negotium istud promoverent.

§. CLXVII.

Benedicti pertinacia, & Caucoliberim recessus.

Niem. in vit. Joan. XXIII.

Verum spes prosperi eventus succisa est ambitiosi hujus Pontificis culpa, qui artibus suis, ac studiose quæsitis tergiversationibus unice moras nectere satagebat. Ubi vero cunctos a sua obedientia defecturos animadvertit, clanculum Colibriam, seu Caucoliberim trajecit, quæ mari adjacet, & aliquot milliaribus Perpiniano distat. Illico rumor increbuit, id factum esse clandestinis Arragoniæ Regis consiliis, ut Benedicto Papatum assereret, huncque perspecta rei difficultate Pontifici auctorem fuisse, ut clam in securitatis locum secederet, eoque fine Benedictum Colibriam contendisse. Fugientem insecuti sunt Barcinonenses, Cæsaraugustani, Valentini, & Perpiniani, aliarumque urbium deputati, sed eum attingere desperantes, civitatem obsidione cingunt, ejusque triremes cum toto bellico apparatu, ne ultra eidem usui essent, destruunt.

destruunt. Dum igitur Benedictus obsi- Sæcul. XV.
detur, adeunt eum duodecim ab Arra- A. C. 1416.
gonum Rege missi Oratores, qui illum rogant, ut sine mora Perpinianum suos ablegaret Procuratores, plena cedendi, & Concilium agnoscendi potestate instructos, iidem, si secus in pertinacia sua persisteret, se ad tollendum schisma magis congrua adhibituros media, comminantur.

§. CLXVIII.

Benedictus semper pertinax Colibria Paniscolam profugus.

Quibus Benedictus respondit, inhære- *Vonder Hardt to.2.*
re se propositionibus Perpiniani ex- *p.* 515.
positis, addens, se inde discessisse, quod ibi minus tutus esset, nec minori periculo vitam suam Colibriæ exponi, hinc daturum se magis amplum responsum, simulac sedem invenisset plene liberam. Postea Cardinales ejus Perpinianum redire jussi sunt, qui tamen primo mandato non paruere, secundo autem vocati redierunt omnes, exceptis Cardinalibus suæ familiæ; Ipse vero relicta Colibria Paniscolam se recepit, oppidum ad oram maris situm, idque munitissimum haud longe Dertosa distans. Ibi nunciatum est ei tertio, ni cederet Papatu, statutum esse omnia exequi, quæcunque ad

Sæcul. XV. A. C. 1416.

extinguendum ſchiſma judicata fuerint magis opportuna, ſtatimque hoc negotio perfuncturos eſſe Imperatorem, & Synodi Deputatos; Verum Benedictus nec hiſce vinci potuit, ut Concilium Conſtantienſe agnoſceret, aut Papatum dimitteret.

§. CLXIX.

Reges & Proceres ab ejus obedientia deficiunt.

Igitur Reges & Proceres pervicacia Pontificis fatigati, eidem obedientiam penitus ſubtrahere decernunt. Ergo Legatos ſuos Narbonnam mittunt, qui cum Cæſare de duodecim Articulis ſub nomine Narbonnenſis Capitulationis valde notis conferrent; decima tertia Decembris MCCCCXV. conditi ſunt hi Articuli, quos tanquam huic hiſtoriæ neceſſarios impræſentiarum referimus.

§. CLXX.

Articuli Capitulationis Narbonnenſis.

Vonder Hardt to. 2. p. 543. Labbe Conc. tom. 12. p. 178.

Articulus I. *Convocatio fiat per Prælatos, ceterosque Viros Eccleſiaſticos, in dicto Concilio Conſtantienſi exiſtentes, & congregatos, ad omnes Reges, Principes, Dominos, Cardinales, Epiſcopos, & alios Prælatos de obedientia Benedicti XIII, & in literis præſi-*

gatur

gatur terminus ad intereſſendum in Civitate Conſtantienſi trium menſium pro faciendo Concilio Generali. Et vice verſa, præfati Reges, Principes, Domini, Cardinales, Episcopi, & Prælati dictæ obedientiæ faciant litteras convocatorias ad Prælatos, cæterosque Dominos de Concilio Conſtantienſi ſimiles literis convocatoriis ab illis de dicto Concilio emanandis, ut præfertur. Sæcul. XV. A. C. 1416.

Hic nota, quod Imperator ad captandam Hiſpanorum benevolentiam Conſtantienſi conventui nomen Synodi ante hujus capitulationis executionem non tribuerit, ipſique Conſtantienſes Prælati dum ad Hiſpanos ſcriberent, hoc titulo abſtinuerint, & duntaxat Cœtum appellaverint.

Articulus II. *Dictæ Convocationes fiendæ, fiant generaliter, ut deferatur honori Concilii jam dicti, ſcilicet pro extirpatione ſchiſmatis & hæreſum, pro ſancta unione Eccleſiæ, pro reformatione univerſalis Eccleſiæ in Capite & in membris, & pro unico eligendo Paſtore, & pro aliis cauſſis rationabilibus, quæ ad Generale Concilium de jure pertinent, & ſpectant. Sed ad partem promittatur & firmetur per Sereniſſimum Imperatorem, & per Prælatos & cæteros hic miſſos ex parte Concilii dicti, quod in Concilio Conſtantienſi uniendo & conſtituendo, non tractabuntur aliqua concernentia dictos Reges, Principes, Prælatos & alios obedientiæ Be-*

Sæcul. XV. A. C. 1416.

nedicti XIII, vel aliquem ex eis, nisi duntaxat causa ejectionis Domini Benedicti, & electionis futuri summi Pontificis, & reformationis Ecclesiæ in capite & in membris, & caussæ hæresum, cum dependentibus emergentibus &c. Sensus hujus Articuli est, quod deinceps in literis & pactionibus suis usuri sint talibus verbis, quibus omnia dispositioni Synodali relicta censeantur. Quæ cautela valde necessaria erat, si enim ista Papæ aut Cardinalium arbitrio commisissent, uti quidem de jure id fieri debere existimabant, totam rei summam in discrimen adduxissent.

Articulus III. *Præfatis de obedientia dicti Domini Benedicti venientibus ad Constantiam, statim fiat unio eorumdem ad dictum Concilium Constantiense pro faciendo unum Universale Concilium. Quo facto quia Reges & Principes, aliique obedientiæ Benedicti, dicunt esse certissimum, quod non possint licite obedire alicui in Papam eligendo, ut vero Papæ, nisi prius vacaret Papatus morte, aut renuntiatione Benedicti pure & libere facta, vel per legitimam depositionem ejus, propterea est concordatum, quod antequam ad electionem unici summi Pontificis procedi valeat, firmetur processus contra eundem Benedictum juste & legitime, & nullatenus habeatur ratio ad processum Pisanum. Item quod Cardinales Benedicti, si venerint ad Concilium, vel aliæ personæ, sufficiens procuratorium*

rium habentes, recipiantur, & admittantur ad omnes actus Concilii, prout Cardinales aliarum obedientiarum, vel eorum Procuratores admittentur, & recipientur, & ſecundum quod dictum Concilium ad electionem ſummi Pontificis futuri alios admittet.

Non immerito ab Hiſpanis acta Synodi Piſanæ contra Benedictum rejecta fuere, alias enim aperte concludi fas fuiſſet, quod *Antipapæ* ab illo tempore obedientiam detuliſſent.

Articulus IV. *Per dictum uniendum Concilium aboleantur, annullentur, & irritentur, in quantum fuerit neceſſarium, quicunque proceſſus, ſententiæ, decreta, ordinationes, ſtatuta, & pœnæ, per olim Gregorium, & olim Joannem, & ſuos Prædeceſſores, aut per Concilium convocatum Piſis, a tempore exorti ſchiſmatis facti & facta & prolatæ contra Reges, Principes, & alios quoscunque obedientiæ Benedicti, imo contra Benedictum, caſu, quo renuntiaverit pure & libere ante ſententiam ejectionis, intellecto tamen, quod dictum Concilium non poſſet ſe juvare proceſſibus & ſententiis latis in proceſſu & ſententia inde ferendis contra eundem Benedictum. Et fiat ſimiliter de ſententiis latis per Benedictum contra obedientiam Concilii, Reges, Principes, Perſonas ſingulares, villas & loca, & ſtatuatur, quod non liceat contra quemcunque procedi in judicio, vel extra.*

Arti-

Sæcul. XV. A. C. 1416.

Articulus V. *Per Concilium approbentur omnes, & singulæ concessiones, gratiæ, dispensationes factæ per Benedictum XIII quibusvis personis suæ Obedientiæ sæcularibus & Ecclesiasticis usque in diem primæ requisitionis. Hoc tamen declarato, quod si alienatio durante schismate in damnum cujusvis ex ista obedientia fuerit facta, per Concilium læsis provideatur, prout providentiæ Concilii visum fuerit.*

Articulus VI. *Cardinales Benedicti, si voluerint ire vel mittere ad formandum Concilium, reputentur & admittantur ut veri Cardinales, necnon dignitatibus & emolumentis & aliis Cardinalatus privilegiis, præeminentiis, & prærogativis admittantur, frui pariter & gaudere, salvis tamen aliis Constitutionibus & statutis per dictum Concilium promulgandis, de electione Romani Pontificis.*

Articulus VII. *Provideatur per Concilium circa officiales Curiæ Romanæ Benedicti, dum tamen iidem eidem Benedicto non adhæreant post subtractionem obedientiæ, si eam fieri contingat, vel post ejectionem prædictam.*

Articulus VIII. *Si ante renuntiationem, seu ejectionem Benedicti, ipsum contingat decedere, promittant Reges & Principes ejus obedientiæ & jurent, quod non permittent fieri in eorum regnis & terris electionem aliquam per Cardinales ipsius, vel alios eorum*

vice

vice, imo, in quantum in eis erit, modis omnibus prohibeant. Et casu, quo fieret per illos electio, illi sic electo per eos non adhærebunt, nec obedient quoquo modo, nec electum in regnis eorum & terris aliquatenus sustinebunt, sed electionem in dicto casu per formandum Concilium permittent fieri, & electo per illud in Papam, & in dicto casu, ut vero summo Pontifici indubie adhærebunt. Sæcul. XV. A. C. 1416.

Articulus IX. *Debite provideatur, quod, ubi duo vel plures in eodem titulo ex diversis obedientiis concurrant, quilibet eorum in Concilio decenter tractabitur, honore utriusque obedientiæ semper salvo, & quod idem Concilium providebit in dictis casibus taliter, ut illorum quorumlibet honor & status, quamdiu vixerint, debite supportentur, quousque per Concilium, & eundem summum Pontificem eligendum, provisio fieret debite super istis.*

Articulus X. *Imperator & præsentes ex parte Dominorum de Constantiensi Concilio, illorum nomine, & etiam proprio mediante juramento promittant, & assecurare faciant per Galliæ Regem, Delphinum, Ludovicum, Siciliæ Regem & Comitem Sabaudiæ, Benedictum, si ire voluerit, vel mittere ad Concilium, & omnes & singulos Ambasciatores, & Procuratores ipsius Benedicti, & alias quasvis Personas literis de salvo conductu. Quæ assecuramenta mittantur Regi Arra-*

Sæcul. XV. A. C. 1416.

Arragonum unacum literis vocatoriis dicti Concilii ad hoc, ut Rex possit certiorare vocandos, ne dicta occasione se valeant abeundo seu mittendo ad dictum Concilium excusare.

Articulus XI. *Imperator & Legati Constantienses jurabunt singulariter, & promittent, quod omnia & singula in prædictis capitulis, & eorum quolibet contenta, facient approbari, & firmari, antequam concedantur dictæ literæ vocatoriæ, & quod in prima Sessione, facta unione ad dictum Concilium prædicta facient, concedent, statuent, ordinabunt, & jurabunt. Et etiam Reges, Principes & Prælati obedientiæ Benedicti firment, & jurent tenere & observare omnia & singula supra dicta, quantum in eis erit.*

Articulus XII. *De præmissis omnibus & singulis firmentur, & tradantur cuilibet partium prædictarum tot, quot necessaria fuerint, publica instrumenta.*

Quæ pactio per Synodi Legatos, qui Cæsarem comitabantur, Constantiam delata est, demum ab Archiepiscopo Turonensi lecta, approbata, atque a Cardinalibus, aliisque Concilii Præsulibus subscripta fuit, in quadam Congregatione Generali habita trigesimo Januarii die Anno millesimo quadringentesimo decimo sexto.

§. CLXXI.

Sæcul. XV.
A. C. 1416.

§. CLXXI.

Plures Principes Benedicto obedientiam subtrahunt.

In eadem Congregatione perlectum est Edictum Ferdinandi Arragonum Regis, quo is unacum omnibus suis subditis a Benedicti obedientia se recedere declarat. Idem quoque datis ad Imperatorem literis significat, quod ipsius exemplo permoti Castellæ, & Navarræ Reges, itemque Armeniaci, ac Fuxi Comites pariter Benedicto obedientiam subtracturi essent. Hæc Epistola in dicta Congregatione recitata fuit. Universa Synodus pro tam felici eventu Deo grates rependebat, & postero die solemnem instituebat supplicationem, maximo populi concursu frequentatam. Dictæ subtractionis edictum Vincentius Ferrerius, Vir celeberrimus, Perpiniani e suggestu promulgavit. Hic idem Benedicti pluribus annis Confessarius, & studiosissimus ejus Defensor erat, ubi vero Reges Hispaniarum ab eo plane defecturos, & pro bono Ecclesiæ hanc subtractionem omnino necessariam esse compererat, ad eorum partes transiit, & studia sua Concilio addixit.

§. CLXXII.

Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CLXXII.

Capitulatio a Synodo approbata.

Vonder tom. 4. p. 586.

Proxima quarta Februarii in Eccleſia Cathedrali, loco pro publicis Seſſionibus ordinario, convenerunt Patres, ubi, poſtquam propoſuit Archiepiſcopus Turonenſis, quod omnes capitulationem obſervare jurarent, univerſa Synodus hoc jusjurandum nulla reſtrictione limitatum præſtitit. Quidam duntaxat Cardinales ad confirmanda ſui Collegii jura pro Electione Pontificis ſuo juramento quasdam addidere clauſulas. Solus Tricarienſis Cardinalis juraſſe neſcitur, & declinandi Sacramenti cauſſa morbum ſimulaſſe dicitur.

§. CLXXIII.

Synodus, & Arragoniæ Rex a Benedicto anathemate perculſi.

Bzov. an. 1416.

Ubi Benedictus de iis, quæ Conſtantiæ adverſus ſe acta fuere, nuntium accepit, haud moratus eſt ex Paniſcolenſi arce Synodum, & Arragoniæ Regem diris devovere, privationem quoque Regni, quod huic dediſſet, comminatus. Tradunt nonnulli, Regem quolibet die a Pontifice novo quodam perculſum fuiſſe anathemate; verum hæc fulmina eo magis accendebant Regis animum, ut ſubtractionem

ctionem obsequii in Castella & Navarra urgeret, ubi Archiepiscoporum Toletani, & Hispalensis artibus, qui Benedicto adhuc adhæserant, dicta subtractio impedita fuerat. Sæcul. XV. A. C 1416.

§. CLXXIV.

Sigismundus Narbonna discedit, Parisios iturus.

Cum Gallia continuo cum Anglis bello implicaretur, & Turcæ Christianorum Principum dissidia opportune in rem suam vertentes, ferro ac flamma Hungariam devastarent, Sigismundus firmata Narbonnensi capitulatione Parisios proficiscitur, Gallis, Anglisque aut pacem, aut saltem inducias suasurus. Ubique magnis honorum signis exceptus fuit. Lutetiam delatus publico cuidam Senatui interesse voluit, judicii actionem auditurus. Mezaraius testatur, eum Regis locum occupasse, ægre autem tulisse Gallos, quod data occasione ibidem Equitem creandi auctoritate usus fuisset. Totam hujus facti seriem percipiamus ex Juvenale Ursino: Ventilata tunc fuerat causa duorum, qui de Belicadrensi vel Carcassonensi Seneschali jurisdictione contendebant, cumque judices alteri horum defectum conditionis Equestris objeciissent, Imperator arrepto gladio Virum hunc pe-

Monstrelet. vol. I. p. 154. Juven. Ursin. hist. Carol. VI.

Sæcul. XV. A. C. 1416.

dibus suis advolvi jussum, Equitem creavit, alta voce dicens: *non subsistit ratio a vobis allegata, nam Eques est.* Observat Juvenalis, multos valde miratos, quod talem actum approbaverint Galli, nam, ut inquit ille, Rex in suo Regno Imperator est, & potestatem nulli, nisi soli Deo, & armis suis debet. Ceterum non successit e sententia intenta a Sigismundo pacis conciliatio; nam belli flamma Gallos inter & Anglos semper nova sumpsit incrementa. Majore tamen felicitate Polonorum cum Equitibus Teutonicis composuit dissidia; Parisiis enim commoratus, communicatis cum Carolo VI. consiliis, inter ambos hosce Septentrionales Principes biennales effecit inducias.

§. CLXXV.

Cardinalis Fuxiensis Constantiæ.

Niem. apud Vonder Hardt to. 2. p. 438.

Cardinalis de Fuxo, Archimbaldi Comitis Fuxiensis filius, die quinta Februarii Constantiam venit. Huic, vigesimum primum vel secundum ætatis suæ annum agenti Anno millesimo quadringentesimo nono, ut ferunt nonnulli, Cardinalitiam Purpuram concessit Benedictus XIII. Juvenis admodum Ordinem S. Francisci ingressus est. Verum ob præclaras animi sui dotes mox e Monasterio evocatus, primo Lascarrensi in Bearnia, dein

dein vero Convennenſi, & Lombarienſi Eccleſiæ, tandem vero Archiepiſcopatui Arelatenſi præficiebatur. Conſtanter Benedicti partes tenuit, usque ad Capitulationem Narbonnenſem, hac autem concluſa Conſtantiam adiit, & Concilio acceſſit. Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CLXXVI.

Cauſſa Joannis Parvi de novo agitata.

Non obſtante Cardinalium ſententia, contra Pariſienſem conventum lata, de qua ſuperius, necdum tamen Joannis Parvi cauſſa intermiſſa eſt. Scripſerat Univerſitas Pariſienſis ad Concilium verbis quidem modeſtiſſimis, ſed valde ponderoſis, declarans, ſe immote inhæſuram condemnationi in præfato cœtu nuperrime factæ, tanquam juſtæ ac legitimæ, ſimulque rogat, ut Concilium eandem confirmaret, & quidem ſine mora, & ſine fuco, quia utrumque ſuo præjudicaret honori. Cardinalis Cameracenſis pariter libellum obtulit, qui formulam damnationis novem propoſitionum continebat, ſimulque declaravit, hanc damnationem nullius juri, aut honori præjudicio fore, multo minus Burgundiæ Ducis famam læſum iri, eoquod de Catholicæ fidei ſuæ ſinceritate teſtimonium dediſſet. *Gerſon. to. 5. p. 508. & 511.* *Vid. Sup. CLXIII.*

Sæcul. XV. A. C. 1416.

§. CLXXVII.

Imperator in iis, quæ jura ſua concernunt, nihil decidi poſtulat.

Cum aliquot abhinc diebus Polonorum, & Equitum Teutonicorum cauſſa in quadam Congregatione decimo tertio Februarii die denuo agitari cœpiſſet, Polonorum Legati nomine ſui Regis, & magni Lithuaniæ Ducis contra hoſce Equites ſuas detulerunt querelas. Nihil tamen ibidem deciſum eſt. In eadem Congregatione lecta fuit Imperatoris Epiſtola, in qua Synodum rogavit, ne ſe abſente quicquam circa *jus* ſuum *primariarum precum* decideretur; Vi hujus Juris, Eccleſia vel Capitulum, cujus eſſet conferre beneficium vacans, illud ei, quem Imperator primum præſentavit, concedere tenetur; Cum vero dictum Jus certis reſtrictum eſſet conditionibus, e re fuit Sigismundi, impedire, quo minus ſe abſente quicquam deſuper ſtatueretur. Quamobrem, cauſſa hæc usque ad reditum Imratoris dilata eſt.

§. CLXXVIII.

Proſecutio cauſſæ Joannis Parvi.

Gerſon. to. 5. p. 514. & 520.

Negotium Joannis Parvi denuo tractarunt Patres in Congregatione die 18 Februarii celebrata. Ducis Burgundiæ

diæ Advocati exhibuerunt libellum, petentes, ut Gerſonius novem propoſitionum denuntiationem a ſe factam retractare compelleretur, tanquam calumnioſam, & ex proprio ſuo cerebro confictam, ſimulque, a Commiſſariis ſine mora dijudicari poſtularunt, utrum hæc cauſſa fidem tangat, & ad forum Synodi pertineat, necne? Sedis Apoſtolicæ Advocatus, Simon de Theramo dictus, nomine Regii Procuratoris apud Curiam Romanam, ſibi de actis Commiſſariorum tranſumptum, antequam ad ſententiam procederetur, dari, ac prius Regis Galliæ Oratores audiri petiit, eoquod Regis plurimum intereſſet, ejusmodi propoſitiones condemnari, quæ ad ſicariam Fratris ſui cædem cohoneſtandam tenderent, necnon ſeditionem ſubditorum contra Dominum ſuum foverent, ſpeciatim vero Cardinalem Cameracenſem, haſce propoſitiones maturo examini ſubjici rogavit, ut omni cunctatione remota proſcribi poſſent. Denique quosvis ſuſpectos recuſavit, & inter ceteros Cardinales Urſinum, & Aquileienſem, Abbatem Clarevallenſem, & Doctorem Taillevandum. Verum ejus exceptio rejecta, nihilque aliud hac vice decretum fuit. Sæcul. XV. A. C. 1416.

Sæcul. XV. A. C. 1416.

§. CLXXIX.

Congregatio in diversis materiis.

Die vigesima Februarii ad diversas causas decidendas habita est congregatio. Primum negotium respiciebat Officiales Gregorii XII, hi enim illos Joannis XXIII, tanquam Curiæ officiales agnoscere detractabant. Concilium pro Gregorii Ministris pronuntiavit, dummodo Canonice electi fuissent, cujus rei examen duobus Cardinalibus, totidemque cuiuslibet Nationis deputatis commisit. In eadem quoque sessione decreta fuit Hussitarum Bohemiæ & Moraviæ citatio, necnon ad Episcopi Argentinensis detentores monitorium, hoc autem nonnisi decima Martii publicatum fuit, quo Capitulo, & urbi sub pœna excommunicationis injunctum, Episcopum, Cantorem, omnesque hac occasione detentos libertati redderent, & bona eis ablata restituerent. Ast simul prohibitus est Episcopus, ne quoquo modo bona mobilia, vel immobilia ad Ecclesiam Argentinensem spectantia alienet, vel oppignoret, rescissis omnibus, quæ in contrarium facta fuerint, vel fient. Excepere hanc congregationem binæ aliæ vigesima tertia, & vigesima quarta Februarii celebratæ, in quibus Polonorum causa contra Equites Teutonicos magno ardore agitata est, nihil

Vide Supr. §. CLIV. & CLXI.

hil tamen concluſum fuit. Præterea ad inſtruenda Hieronymi Pragenſis acta, deputati fuere Commiſſarii. Sæcul. XV. A. C. 1416.

§. CLXXX.

Arragonum Regis Legatus Conſtantiæ.

Die 28 Februarii Legatus ab Arragoniæ Rege ad Concilium miſſus Conſtantiam venit, & ſecunda Martii in Congregatione Generali ad alloquium admiſſus eſt. Poſtquam prolixam habuiſſet orationem, binas obtulit Epiſtolas, unam ab Imperatore, alteram a ſuo Rege Ferdinando ſcriptam, quæis perlectis compertum fuit, ſubtractionis negotium præter expectationem tardius procedere, & Caſtellam, Navarram, & Fuxienſem & Armeniacenſem Comitatus adhucdum, licet multo remiſſius, Benedicto adhærere, aſt ſpes allata eſt, fore, ut brevi totum opus perficiatur. Reliquum menſis Martii in pertractanda Joannis Parvi cauſſa inſumebatur, licet nihil adhuc decidi potuerit, inſuperhabitis etiam literis a Carolo VI. Rege ad ejus Legatos datis, quibus novem propoſitionum damnationem omnibus modis urgere jubebantur. Conqueſtus erat Rex de trium Cardinalium auſu, quo Pariſienſis Epiſcopi ſententiam nullam pronunciarunt. Iis-

Sæcul. XV. A. C 1416.

dem quoque Legatis plena data est potestas strenue aggrediendi, quicquid ad obtinendam tam Generalis asserti, quam particularium novem propositionum damnationem, opportunum, necnon ad irritandam Cardinalium, & confirmandam Parisiensis Episcopi sententiam, necessarium judicaverint.

§. CLXXXI.

Legati Galliæ contra gesta in caussa Joannis Parvi excipiunt.

Gerson. l. cit. p. 548.

Cum Commissarii in hac caussa conventus suos hucusque, inconsultis Galliæ Legatis egissent, hi contra omnia hactenus a Commissariis actitata reclamabant, & ab eorum sententia ad Concilium seu sedem Apostolicam in quadam Congregatione Nationis Galliæ, cui Joannes de Curtacoxa præfuit, appellabant, pendente appellatione nihil innovari postulantes. Equidem Episcopus Atrebatensis hanc appellationem acerbe insectatus est in quodam libello, quem Nationis Gallicæ Deputatis die 23 Martii porrexit, sed Legati huic responderunt; Episcopo itidem replicante, multis ultro citroque aculeatis verbis pugnatum est. Post hæc Oratores Ducis Burgundi & Commissarii ad caussas hæresum deputati actionem injuriarum contra Joannem Morinum

num Galliæ Legatum inſtitui petierunt. Quibus peractis nulla amplius habita eſt Congregatio usque ad vigeſimam ſextam Martii, qua die ex potiori ſuffragantium ſententia decretum eſt, decem Deputatos ex Natione Gallica denominandos, qui Commiſſariis pro materiis fidei conſtitutis adjuncti, partes litigantes vel ad amicabilem compoſitionem inducerent, vel ſi placide res componi non poſſet, coram futuro Pontifice hujus cauſſæ deciſionem per viam juris urgerent, poſtquam Petro de Luna adhærentes Synodo acceſſiſſent. Poſtera die Legati Ducis Burgundiæ contra hoc conſilium exceperunt. Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CLXXXII.

Auſtriæ Dux Conſtantia diſcedit.

Fridericus Auſtriæ Dux, poſtquam ultra annum tanquam obſes Conſtantiæ hæreret, donec pactionibus cum Sigismundo initis ſatisfaceret, infalutato hoſpite urbe excedendi opportunitatem invenerat. Ubi Tyrolim venit, omnia ſusque deque verſa compererat. Nobiles, & ſpectabilior Cleri pars, Erneſto Fratri ſuo obſequebatur. Imperator hujus fugam comperiens, eum ſecundo per Cæſareum edictum proſcripſit. Ex altera parte Epiſcopus Laudenſis, Nationis Italicæ Præſes, nomine Concilii Syndicis *Vonder Hardt to. 4. p. 626.*

Sæcul. XV. A. C. 1416.

Ecclesiæ Tridentinæ injunxit, ut ad liberandum Episcopum, & ad Ecclesiam, omniaque ei ablata mox restituenda, Fridericum compellerent. Nec commoda sua neglexit Dux Ernestus. Tandem vero vicinorum Principum ope dissidia anno ad finem vergente feliciter composita fuere, Friderico in possessionem Tyrolis revocato, & Ernesto inde in Stiriam reverso, quam veluti usuariam Paternæ hæreditatis portionem possederat.

§. CLXXXIII.

Judicii acta contra Joannem Parvum publicata.

Die undecima Aprilis Ducis Burgundiæ Oratoribus vehementer urgentibus, unanimi voto decreta fuit actorum Joannis Parvi publicatio, ringentibus licet Galliæ Legatis, sancitumque cuilibet, qui actorum transumpta peteret, esse tradenda. Contradixere Galliæ Legati huic dispositioni, & ad Synodum appellarunt, quo factum, ut a Commissariis audirentur, & plenam obtinerent facultatem, causam dicendi pro Episcopo Parisiensi. Ex adverso Ducis Burgundiæ Oratores huic decisioni obluctati sunt, & ad Concilium provocarunt. Dum interea hæc dissidia ferverent, denuo allata est Universitatis Parisiensis Epistola, longe magis acer-

acerba, quam fuerat prima. In ea de- Sæcul. XV.
plorat natas in Concilio factiones, scan- A.C.1416.
dalosas de loco ac sede altercationes, aperte de sententia Parisiensis Episcopi a Cardinalibus rescissa, tanquam de attentato contra jus Episcoporum conqueritur, & ad finem a Concilio petit, ut horum Cardinalium sententia, cunctaque contra Parisiensem Episcopum actitata irrita declararentur.

§. CLXXXIV.

Congregatio in causſa Hieronymi Pragensis.

Præcipue ob causſam Hieronymi Pragensis die vigesima septima Aprilis indicta est Congregatio, plurimorum frequentia admodum celebris. Aderant Elector Palatinus, omnes Cardinales, Prælati, Doctores, Regum & Principum Legati, plurimique Nobiles Viri. Ante omnia petitum fuit a Synodo, ut Episcopus Ariminensis, quem dictæ Ecclesiæ capitulum elegerat, potius postularetur, sed hæc causſa ad futurum Pontificem remissa creditur. Postmodum alius Advocatus Electionem Archiepiscopi ab Ecclesia Senonensi factam a Synodo confirmari petiit. Contra hanc electionem Procurator Capituli Lugdunensis Ecclesiæ excepit, eoquod Ecclesia Senonensis

Lug-

Sæcul. XV. A. C. 1416.

Lugdunensi subjecta esset, & tam hujus protestatio, quam illius supplicatio in publicas relata est tabulas. Tandem caussa Argentinensis Episcopi tractari cæperat, & Procuratores Capituli contra Monitorium exceperunt. Natæ exin magnæ contentiones, quibusdam hoc monitorium esse nullum censentibus, aliis a Concilio tanquam validum declarari petentibus. Quapropter dilatum est hoc negotium, ut Hieronymi Pragensis caussa reassumi posset.

§. CLXXXV.

Accusationum capita contra Hieronymum Pragensem.

Vid. supr. §. CXLIV.

Hieronymus equidem recantaverat, sed tamen de sinceritate suæ revocationis valde dubitatum fuit, ac ideo aliis injunctum Commissariis, ut illum penitius examinarent, veramque ejus animi sententiam explorarent. Ergo coram consessu producitur, Joanne Rocha illos prælegente Articulos, de quibus jam interrogatus fuerat, unacum responsis, quæ suis dederat Commissariis. Sed Promotor Synodalis plures alios superaddidit, petens, ut de illis interrogatus, vel affirmaret vel simpliciter negaret non concessa amplius excurrendi copia; si vero in suis erroribus contumax persisteret, brachio

brachio sæculari traderetur. Verumtamen Hieronymus ad exponendam suam mentem publicum postulavit examen, quod & Synodus ad diem vigesimam tertiam Maji concessit. Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CLXXXVI.

Ferdinandi Arragoniæ Regis obitus.

Constantiæ nuntiatum est Concilio, Ferdinandum Arragoniæ Regem ineunte Mense Aprili satis cessisse. Rex iste adversa valetudine correptus, Castellam in patriam suam tendere meditabatur, spe recuperandæ sanitatis, & obedientiæ Benedicto subtrahendæ negotium ad finem suum perducturus. Verum Ingulladæ Mors iter ejus intercepit. Ibidem quoque suum condidit testamentum, in quo Filio successori suo Alphonso Gerudæ Principi subtractionem hanc fervide commendavit. Mortis hujus nuntio non modico dolore affecta est Synodus, plangens Regem, pacis studiosum, & unionis promotorem, sapientia, liberalitate, & integritate morum summe commendandum; justitiæ ac religioni addictissimum, amantissimum populi sui Patrem, omnibusque militaribus ornatum virtutibus, quibus Victores celebrari merentur. Huic orationem funebrem dixit

Bzov. an. 1416. p. 512. Vonder Hardt to. 4. p. 626.

Sæcul. XV. A. C. 1416. dixit Episcopus Laudensis, in quadam Congregatione ad hunc finem celebrata.

§. CLXXXVII.

Joannis Parvi causſa denuo tractata.

Gerſon. to. 2. p. 319. Eodem die coram Nationibus, Cardinalibus, aliisque Prælatis causſa Joannis Parvi iterum agitata est. Produxerunt Galliæ Legati Epistolam Regis sui ad Concilium, qua novem illas propositiones damnari postulavit. Postea legerunt instrumentum appellationis, quam a sententia Commissariorum tanquam injusta ad Synodum interponebant. His Episcopus Atrebatensis interloqui cupiebat, sed tam insolens excitabatur strepitus, ut orationem suam differre cogeretur ad confessum biduo post habitum, in quo contra Episcopum Parisiensem, imo etiam adversus Commissarios fidei declamavit, hi enim neutri parti placebant. Gersonius ei respondere parabat, sed obstabat prolixa nimium Episcopi oratio, quo minus id eodem adhuc die præstare potuisset. Itaque alteram expectans diem, omnia Atrebatensis Præsulis argumenta contra sententiam Parisiensis Episcopi allata fortiter refutavit, & Ducis Burgundiæ *justificationem*, novem propositiones, & cetera acta produxit.

§. CLXXXVIII.

Sæcul. XV.
A.C.1416.

§. CLXXXVIII.

Alia Congregatio in eadem cauſſa.

Paucis ex poſt diebus denuo congreſſi ſunt Patres. Legit Gerſonius Univerſitatis Pariſienſis Epiſtolam, & Episcopus Atrebatenſis prolixam habuit orationem in hæc D.Pauli verba. 2. *ad Theſſal. c.* 2. *v.* 2. *Ut non cito moveamini a veſtro ſenſu, terreamini neque per Spiritum, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.* Poſtmodum Epiſtolam protulit Nationis Picardicæ, quæ etiam Pariſienſis Univerſitatis membrum erat. Ex hac Epiſtola patebat, hanc nationem nunquam literis a Gerſonio lectis aſſenſiſſe. Atrebatenſis Epiſcopus, quæ in Picardorum epiſtola continebantur, obſervationibus a ſe ſuperadditis firmare incæperat, ſed illico tam vehementes oriebantur clamores, ut ſilere coactus fuerit, quare diſceſſum eſt. Petiit tamen prævia proteſtatione, inſtrumentum confici de illata vi. Biduo poſt eadem agitabatur materia, ſed haud feliciori ſucceſſu. Præterea Imperator literas dedit ad Cardinales, in quibus Commiſſariorum acta in cauſſa Joannis Parvi irritari petiit, huic tres Purpurati reſponderunt, ſe damnaſſe Pariſienſis Epiſcopi ſententiam ex juris Doctorum judicio, eo-

quod

Sæcul. XV. A. C. 1416.

quod hujus cauſſæ diſcuſſio, cum de materia fidei ageretur, ad ſummum Pontificem pertineret, & aliunde partes litigantes ad Pariſienſem conventum citatæ non fuiſſent; Tandem, cum Epiſcopus, & Inquiſitor fidei ab hac Cardinalium ſententia, appellaſſent ad Concilium, ideo illius quoque judicium exſpectare oporteret. Nec ultra quicquam motum eſt in hac cauſſa, quæ in Synodo tardius ventilata fuit.

§. CLXXXIX.

Congregationes in diverſis cauſſis.

Habitæ quoque ſunt Congregationes in aliis diverſis cauſſis. Die decima quinta, & decima ſexta Maji binæ celebrabantur. In prima Antonius Taxal Generalis Ordinis B. V. Mariæ de Mercede nomine Alphonſi Arragonum Regis ſolemniter Narbonnenſem Capitulationem confirmavit, agnovitque Synodum. In ſecunda Henricus Latzenbogius Argentinam ablegatus eſt, ut Urbis hujus Epiſcopum libertati reſtitui poſtularet. Synodus poſtea Epiſcopos Tolonenſem, & D. Pauli Leonenſem nominavit, qui Huſſitas in Bohemia falſam doctrinam ſpargentes Conſtantiam citarent. In eadem duo Advocati contra Joannem XXIII. conqueſti ſunt, eoquod oblata ingenti pecunia-

cuniarum vi Episcoporum translationes concesserit, alii econtra ejusmodi translationes per hunc Papam factas, fuisse Canonicas, & nullatenus simoniacas affirmarunt. Spopondit Concilium, discussurum se hanc caussam, necnon & preces Regis Galliæ, qui confirmationem cujusdam Raymundi ad Archiepiscopatum Senonensem a Capitulo Canonice electi confirmationem postulabat. Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CXC.

Hieronymus Pragensis publice examinatus.

Die vigesima tertia ejusdem mensis Hieronymus Pragensis, ut optabat, in quadam Generali Congregatione publice auditus est; Sacramento promittere jubebatur, quod juxta conscientiam suam ad articulos, de quibus interrogaretur, simpliciter negando, aut affirmando responderet vellet, quod & se facturum promisit, dummodo vicissim libera sibi loquendi facultas concederetur, quæ cum negaretur, jurare renuit. Hoc facto prælecti sunt illi articuli, ad quos necdum responderat, quorum aliquos inficiabatur, alios affirmabat. Cum autem statutum consessus tempus expirasset, reliqua ad diem vigesimam sextam Maij remissa fuere. Ergo Hieronymus denuo

Sæcul. XV A.C.1416.

producitur, sed detrectato iterum jurejurando reliqui contra ipsum prælecti fuere articuli. Denique postquam ad omnia, partim afferendo, partim negando responderat, Patriarcha Constantinopolitanus ad Hieronymum conversus dixit, quamvis per documenta oppido gravia, & per testes omni exceptione majores de hæresi convictus sis, nihilominus sive accusationes tibi objectas diluere, sive errores retractare velis, semper plena tibi conceditur loquendi copia. Si vero in tuis erroribus contumax persistere malis, scito, omni legum rigore in te processum iri.

§. CXCI.

Oratio Hieronymi Pragensis in Synodo.

Vander Hardt to. 4. p. 752. & seq.

Usus est Hieronymus data sibi dicendi copia, questusque in quadam oratione satis prolixa de injustitia sibi a Synodo irrogata, eoquod novos ei assignasset Commissarios, repulsis prioribus, innocentiæ suæ conscüis, declaravitque, se hosce tanquam judices in Cathedra pestilentiæ sedentes rejicere. Multis encomiis celebravit Joannem Hussum, Virumque sanctum deprædicans dixit, se duntaxat Constantiam venisse, ut Husso suppetias ferret, dolere autem vehementer,

ter, quod hoc officio non tam ſtrenue perfunctus fuiſſet, additque, ſe ſolummodo terrore ſupplicii ignis adactum, condemnationi doctrinæ Wicleſi, ac Joannis Huſſi, contra conſcientiam ſuam, ac ſumma ignavia conſenſiſſe, nunc vero ſuam imbecillitatem graviter abominari. Sæcul. XV. A.C.1416.

§. CXCII.

Suam abjurationem revocat.

Tandem teſtatus eſt, ſe ſuam revocationem tanquam atrociſſimum, quod unquam commiſiſſet, ſcelus deteſtari, ac cum Wicleſi & Joannis Huſſi doctrina non minus ſana ac pura foret, quam horum vita ſancta, omnisque culpæ exors fuerit, ſe ideo illi usque ad ultimum vitæ halitum inhæſurum. Ex omnibus Wicleſi opinionibus, quas adoptavit, eas tamen, quas hæreſiarcha iſte de Sacramento Altaris docuit, ſe probare negavit. Facta hac revocatione, ad quam ab Huſſitis ſuam ipſi inconſtantiam exprobrantibus compellebatur, ad carceres reductus eſt, ubi etiam hæſit usque ad proximam ſeſſionem vigeſima die ejusdem Menſis Maij biduo poſt feſtum Aſcenſionis celebratam, nam a die vigeſima prima Novembris anni præteriti nulla amplius habita eſt Seſſio publica. *Ibid. p. 761.*

Sæcul. XV. A. C. 1416.

§. CXCIII.

Sessio Vigesima prima.

Lab. Conc. tom. 12. p. 190.

Post solemne sacrum, aliasque solitas preces Hieronymus de Praga ab Archiepiscopo Rigensi producitur. Sermonem habuit Episcopus Laudensis sumpto themate ex capite XVI. Sancti Marci: *Exprobravit Deus incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* Diu multumque exaggeravit turbas, & mala, quibus Joannis Hussi, & Hieronymi Pragensis opiniones Regnum Bohemiæ devastarunt. Postmodum sermonem convertens ad Hieronymum, lenitatem, qua Synodus illum hucusque fovit, ei ob oculos posuit, dicens: quod Synodus necessitate coacta eum in vinculis tenuisset, nisi enim fugisset, plena libertate Constantiæ frui potuisset, nec etiam tormenta passus fuisset: nunc vero cum pluries ipsi publicæ defensionis copia fuisset data, propria sua confessione, ac publica Joannis Hussi defensione, semetipsum hæreseos fautorem prodidisset. Merito ergo eum condemnandum concluſit. Hieronymus quoque pro se acriter ac valde audacter perorabat.

§. CXCIV.

Sæcul. XV. A.C.1416.

Sententia contra Hieronymum Pragenſem pronuntiata.

Patres pro ultima vice Hieronymo recantationis viam propoſuerunt; ubi vero pervicacia ejus frangi non poterat, Patriarcha Conſtantinopolitanus, requirente promotore, publice ſententiam his verbis conceptam legit: *Chriſtus Deus, & Salvator noſter, vitis vera, cujus Pater agricola eſt, diſcipulos, cæterosque fideles ſuos in illis inſtituens, inquit, ſi quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, Cujus ſummi Doctoris & Magiſtri doctrinam ſequens, & præcepta exequens hæc S. Synodus Conſtantienſis, in cauſſa inquiſitionis hæreticæ pravitatis, per eandem S. Synodum mota, fama publica referente contra Magiſtrum Hieronymum dictum de Praga, Magiſtrum in artibus, laicum, ex cujus cauſſæ actis, & proceſſibus conſtat, eundem tenuiſſe, aſſeruiſſe, & dogmatizaſſe nonnullos articulos hæreticos, & erroneos dudum a ſanctis Patribus reprobatos, quosdam vero blasphemos, alios ſcandaloſos, alios piarum aurium offenſivos, temerarios, & ſeditioſos, dudum per damnatæ memoriæ viros, Joannem Wiclef, & Joannem Huſs aſſertos, prædicatos, & dogmatizatos, ac in nonnullis eorum libris & opuſculis inſertos:* *Ibid. p. 191.*

Sæcul. XV. A.C. 1416.

Quique articuli, doctrina, & libri præfatorum Joannis Wiclef, & Joannis Huſs, ac Wiclef memoria dictique Joannis Huſs perſona per eandem S. Synodum & ejus ſententiam de hæreſi damnati & damnatæ fuerunt. Quamque damnationis ſententiam poſtmodum in eadem S. Synodo cognoſcens & profitens veram, Catholicam & Apoſtolicam fidem approbavit, & eidem conſenſit, anathematizavitque omnem hæreſim, præcipue eam, de qua erat infamatus, & ſe confitebatur infamatum, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt, & tenuerunt Joannes Wiclef, & Joannes Huſs in ſuis opuſculis, ſermonibus, & libellis, & propter quam ſeu quas cum ſuis dogmatibus & erroribus ab eadem S. Synodo damnati fuerunt tanquam hæretici, præmiſſorumque omnium damnationem profeſſus, juravit ſe in hac fidei veritate permanſurum. Et ſi ipſe quidquam contra ſentire, prædicare præſumpſerit, Canonum ſeveritati ſubjacere, & æternæ pœnæ voluit obligari, necnon ſuam profeſſionem manu conſcriptam eidem S. Synodo obtulit. Poſt quas profeſſionem & abjurationem multis diebus transactis, ſicut canis ad vomitum rediens, ut virus peſtilentiſſimum quod in ſuo latitabat pectore, publice evomeret, audientiam publicam ſibi dari in eadem S. Synodo poſtulavit. Qua ſibi conceſſa coram eadem Synodo publice congregata aſſeruit & profeſſus eſt,

quod

quod præfatæ ſententiæ damnationis dicto- Sæcul. XV.
rum Joannis Wiclef, & Joannis Huſs A.C.1416.
inique conſenſerat, & illam ſententiam approbando mentitus eſt. Nec verebatur ſe conſiteri mentitum, quinimo confeſſionem, approbationem, & profeſſionem ſuas ſuper illorum damnatione revocabat nunc & in æternum, aſſerens ſe in libris Joannis Wiclef, & Joannis Huſs nullam unquam hæriſin vel errorem legiſſe, licet ante fuerit confeſſus & probatum ſit evidenter, ipſum libris eorum diligenter ſtuduiſſe & legiſſe, & in quibus conſtat plures errores & hæreſes contineri. Unde idem Hieronymus de Sacramento Altaris & tranſubſtantiatione panis in corpus profeſſus eſt ſe tenere & credere, quod Eccleſia tenet, dicens: ſe plus credere Auguſtino, & cæteris Eccleſiæ Doctoribus, quam Joanni Wiclef, & Joanni Huſs. Conſtat inſuper eundem prædictis Wiclef & Huſs damnatis & eorum erroribus adhærere, illorumque fautorem eſſe, & fuiſſe. Propter quæ eadem S. Synodus eundem Hieronymum palmitem putridum, aridum in vite non manentem, foras mittendum decrevit, & decernit, ipſumque hæreticum & in hæreſin relapſum, excommunicatum, annathematizatum, pronuntiat, declarat, & damnat.

Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CXCV.

Hieronymus Pragenſis ad rogum damnatus.

Æn. Sylv. hiſt. Bohem. p. 73.

Hac ſententia a Synodo unanimi omnium voto approbata, ac pronuntiata, Hieronymus Pragenſis ſæculari brachio traditur. Biduo ſupplicii executio dilata eſt, ut pœnitendi tempus concederetur morituro. Data eſt nonnullis, & inter alios Cardinali Florentino, eundem inviſendi facultas, ut illum ad ſinum Eccleſiæ reducere conarentur, ſed ſurdas pulſabant aures. Hieronymus doctrinam ſuam retractare conſtanter renuens, ſereno vultu repetitam ſententiæ ſuæ lectionem excepit, & imperterrito vultu ſupplicii locum aſpexit. Incedebat, alta voce Symbolum: *Credo* &c. recitans, & eundo Litanias, atque Hymnum B. V. Mariæ decantabat. Ad pegma ferale perveniens, ubi pariter Joannes Huſſus extremum ſubiit ſupplicium, in prolixas effuſus eſt preces, quas Carnifices veſtibus eum ſpoliando, & ad palum alligando interruperant. Ubi ligna circum ſe poſita conſpexerat, iterato Symbolum Apoſtolicum decantavit, & mortem audacius appetiit, quam Stoicorum quisquam ſuſtinuit. Succenditur rogus, & omnia ejus veſtimenta in ignem conjiciuntur. Sic ergo miſere inte-

interiit, nullo pœnitentiæ signo edito. Demum cineres ejus sollicite collecti in Rhenum projiciuntur. Poggius Florentinus admodum nervose supplicii hujus seriem descripsit in quadam Epistola hanc in rem ad suum Leonardum Aretinum data, ex qua Poggium Hieronymo Pragensi plus justo affectum fuisse conjicimus. Ita sane ipse Aretinus de Poggio censuit, quocirca illum in suis ad Epistolam responsoriis desuper reprehendit, quamvis ceteroquin Leonardus quoque Hieronymo adeo infensus non fuerit. Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CXCVI.

Prælati absentes ad Synodum revocati.

Peracto hoc supplicio, omnium studia convertebantur in depositionem Benedicti XIII. & novi Pontificis electionem. In dies Benedicti fautorum aliqui ab eo defecerant, & frequentes Principum, ac Prælatorum Legati, vel Deputati hujus obedientiæ advenerant, ut sese Synodo subjicerent. Omnes quotquot expediebantur Epistolæ, ad normam Narbonnensis conventionis instruebantur. Cum vero plures Prælati ex aliis obedientiis sub diversis coloribus a Synodo recesserint, hæc Bullam promulgavit, qua omnibus Cardinalibus, Prælatis, aliisque Viris tam Ecclesiasticis quam *Vander Hardt tom.* 4. *p.* 614.

Sæcul. XV. A.C. 1416.

sæcularibus absentibus præcepit, ut vel per se vel per suos Procuratores intra trimestre Constantiam reverterentur.

§. CXCVII.

Epistola Imperatoris ad Synodum.

Ibid. p. 604. & 780.

Patres hujus Bullæ fructum exspectantes, interea ad alias causas animum adiecerunt, in hoc Imperatori morem gerentes, qui literis ad Synodum Lutetiæ die 5. Aprilis datis, altioris indaginis negotia usque ad adventum suum differri præcepit. Episcopus Tragurien-sis in Dalmatia hanc Epistolam in quadam Congregatione generali die tertia Junii prælegit. Hac Imperator Synodum sollicite rogat, ut incumberet Ecclesiæ ac Clericorum reformationi, eosque ad decentiam tam in vestitu, suppellectili, quam in moribus servandam adstringeret, & arma deferre eisdem prohiberet. Præterea curarent Patres, restitui omnia bona Ecclesiastica ab usurpatoribus injuste detenta, Archiepiscopum Moguntinum cohiberent, ne in Germania belli flammas accenderet, Argentinensem Episcopum libertati restituendum urgerent, neculiam electionem in Regno Hungariæ confirmarent, Carolo de Malatestis omnes, quas ei promisissent, conditiones servarent, Joanni Con-

Contareno Electo Patriarchæ Constantinopolitano suam assererent dignitatem, in Poloniam mitterent Legatos, qui Regem & magnum Ordinis Teutonici Magistrum ad servandas biennales inducias compellerent; nullis Regis ac Reginæ Neapolitanæ postulatis condescenderent, causſam Mendicantium in suspenso relinquerent, & tandem Religiosos Ordinis S. Pauli Eremitas a ducentis abhinc annis scilicet MCCXV. in Hungaria stabilitos ad nullas promoverent Prælaturas. Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CXCVIII.

Epistola Apologetica Archiepiscopi Moguntini.

Lecta hac Imperatoris Epistola Patres ad alias digressi sunt causſas. Præprimis Bohemi, eoquod citati non obtemperarint, contumaces declarati. Henricus quoque Nitardus Moguntini Archiepiscopi orator exhibuit epistolam, in qua Præsul iste absentiæ suæ veniam petit, decrepitam causſatus ætatem, postea se a quibusdam accusationibus purgavit, testatus, se nunquam nec contra Ecclesiam Romanam, nec contra Synodum, nec contra Imperatorem quicquam molitum esse. Admisit Synodus Præsulis hujus excusationem, simulque quemdem Joannem Creit Leodiensen, Abbreviato- *Vander Hardt to. 2. p. 444. & 445.*

Sæcul. XV. A.C. 1416. viatorem Apoſtolicum officio ſuo dejecit, utpote de Simonia, & literarum Apoſtolicarum falſificatione convictum: Accuſabatur quoque, quod triginta Beneficia vendidiſſet, & plura eorum, quæ ſimul poſſidere jura vetant, ſibi reſervaſſet. Eadem die Elector Palatinus altero menſe abſens ad Synodum rediit, Comite Nellemburgico interim illius vices tanquam Concilii protectore ſupplente.

§. CXCIX.

Theodorici de Niem obitus, & ejus opera.

Spond. an. 1416. n. 9. Dupin. Bibl. to. 12. p. 86. Sexto die Junii Theodoricus de Niem Paderbornæ in Weſtphalia natus, & pluribus a tempore ſchiſmatis Pontificibus a ſecretis, necnon Joannis XXIII. ad Conſtantienſe Concilium itineris ſocius, e vita exceſſiſſe dicitur. Dupinus inquit, eum juxta nonnullos auctores, Epiſcopum Verdenſem, & poſtea Cameracenſem fuiſſe, quod tamen vix veriſimile eſt. Hujus hiſtoria *de ſchiſmate Paparum* ab obitu Gregorii XI. usque ad electionem Alexandri V. in tres diſtincta eſt libros, quibus aliud opus ſub titulo: *Nemus unionis* adjecit, in qua habentur autographa occaſione hujus ſchiſmatis ultro citroque ſcripta. Quam primum Joannes XXIII. e Concilio auffugerat, *In-*

Invectivam contra hunc Pontificem scripsit, in qua vitia & corruptos illius mores fuso, sed amaro nimis stylo insectatus est, quod opusculum e Bibliotheca Helmstatiensi extractum, Vonder Hardtus publici juris fecit. Alium adhuc composuit librum Constantiæ, *Historia luculenta de Concilio & vita Joannis XXIII.* continuata usque ad punitionem Joannis Creit Simoniaci, cujus mox meminimus. Exstat quoque alius quidam tractatus *de juribus & privilegiis Imperatorum quoad investituras Episcoporum.* Dictio hujus Auctoris est oppido aspera & inconcinna, quamvis ceteroquin ævi sui gesta non minori fide ac solertia, quam verborum gravitate referre videatur. Sæcul. XV. A.C.1416.

§. CC.

Oratores Regis Lusitaniæ ad alloquium a Synodo admissi.

Die quinta Junii Oratores Joannis Lusitaniæ Regis, qui non ita pridem Constantiam venerant, a Synodo audiebantur. Nomine sui Regis, qui hucusque Joannis XXIII. partibus adhærebat, Patribus sacramentum præstabant, simulque nunciabant, Saracenos a Lusitanis fusos fugatosque, ac Septam Africæ urbem unacum portu fuisse captam.

Mox

Sæcul. XV. A.C. 1416. Mox Episcopus Saresberiensis, & post ipsum Cardinalis Florentinus hanc in rem sermones declamabant, quibus Regem, & Lusitanam Nationem insignibus efferebant elogiis.

§. CCI.

Episcopus Argentinensis in Synodo.

Paucis ex post diebus scilicet 27. Junii habita est generalis Congregatio, in qua Henricus Latzenbogius, quem Synodus ad liberandum, & Synodo sistendum Argentinensem Episcopum miserat, hunc Præsulem in Concilio produxit. Sermonem habuit Episcopus Saresberiensis, in quo hujus Episcopi negligentiam in administranda sua Diœcesi, necnon Capituli, urbisque violentias illi illatas acriter insectatus est. Quo facto duo Cardinales, totidemque Prælati ex qualibet Natione nominabantur, qui caussam hanc in bonum utriusque partis componerent. In eadem quoque Congregatione lecta fuit Epistola Arragonum Regis, qua significabatur, Regem omnibus Regni sui Prælatis, ut quarta Julii Constantiæ adessent, sub gravibus pœnis injunxisse. Actum denique de lite inter Electorem Palatinum, & duos ejus fratres, Guilielmum, & Othonem ob quasdam possessiones exorta, sed nihil hac in caussa decisum fuit.

§. CCII.

§. CCII. Sæcul. XV. A.C. 1416.

Latzenbogius Huſſitismum execratus.

Henricus de Latzenbog ſupra nominatus, Bohemiæ Nobilis, & Joannis Huſſi Conſtantiam euntis ſocius, ejusdem defenſionem ab initio ardenti ſtudio ſuſceperat; Poſtea vero Imperatori nominis ſui fama notus, ab eo magni habitus, multisque benevolentiæ ſignis cumulatus fuit. Is ipſe Sigismundum Aquisgrani conveniens, nuntium de ejusdem Coronatione Conſtantiam detulit, eundemque in cauſſa Argentinenſis Epiſcopi honorifica functum legatione mox percepimus. Qui tamen favores minime obſtabant, quominus de Huſſitarum ſecta identidem poſtulatus fuiſſet, quinimo prima Julii die coram Congregatione citatus ſuit, ubi tamen, ut nonnulli tradunt, ſuos errores abjuravit, & Joannem Huſſum ac Hieronymum Pragenſem juſte fuiſſe damnatos profeſſus eſt, quamvis nonnulli Scriptores, præſertim Dacherius, de ſinceritate hujus abjurationis dubitent. *Reicheutal p. 17.*

§. CCIII.

Epiſtola Arragoniæ ac Caſtellæ Regum ad Concilium de Legatis Conſtantiam mittendis.

Dum interea adventus Legatorum, quos *Spond. an. 1416.*

Sæcul. XV. A.C.1416.

quos Arragoniæ, Caſtellæ, & Navarræ Reges mittere pollicebantur, avide in Concilio expectabatur, Patres Synodi Literas acceperunt ab Arragonio, in quibus moram ſuam purgavit, mortem cauſſatus Ferdinandi Patris ſui, petita etiam unius menſis dilatione pro Legatis ſuis ad Synodum mittendis. Interea tamen Antonio Taxal usque ad eorum adventum nomine ſuo plenam dedit agendi facultatem, quicquid ad promovendum unionis negotium neceſſarium judicaverit. Placuit plurimum Synodo hæc epiſtola, quæ & in quadam Congregatione lecta fuit, ubi Cardinalis Zabarella de unione Eccleſiæ concionem habuit. Non alio ex capite Legationis Caſtellanæ adventus differebatur, quam ob minorem Joannis Regis ætatem, ac præcipue propter molimina Toletani & Hiſpalenſis Archiepiſcoporum, & nonnullorum Præſulum, qui obeunte Ferdinando Caſtellani regni Adminiſtratore nil inauſum relinquebant, ut Benedicti partes redintegrarent, aſt eorum artes feliciter evertit Alphonſus, qui omnium animos ad ſervandam capitulationem reduxit. Hujus facti nuntium accepere Patres die decima quarta Julii per literas Regis, ac Reginæ Caſtellæ, lectas in quadam Congregatione, quæ a Deputatis Nationum fuerat convocata.

§. CCIV.

§. CCIV.

Sæcul. XV. A. C. 1416.

Huſſitæ Bohemi ad Concilium vocati.

Celebratæ ſunt aliæ Congregationes usque ad ſequentem ſeſſionem, in quibus de diſſidiis Epiſcopi Tridentini cum Friderico Auſtriæ Duce, necnon & de citatione Huſſitarum in Bohemia agebatur. Hoc edicto fere quingenti Bohemi intra certum temporis ſpacium Conſtantiæ comparere jubebantur. Inſuper Synodus, requirente Promotore, Patriarchæ Conſtantinopolitano præcepit, audiret Bohemos, ac de cauſſa ſummarie cognoſceret usque ad ſententiam definitivam excluſive. *Vander Hardt to. 4. p. 823.*

§. CCV.

Adventus Legatorum Arragonenſium.

Tandem quinto Septembris die, Legati Arragonum Regis advenerunt, multis honorum ſignis excepti. Horum erant quinque, ſextum locum tenente Antonio Taxal, qui jam antea aliquo tempore Conſtantiæ verſabatur. Decima currentis Menſis die, in Generali Cœtu ad alloquium admittebantur, ac inter eos *Speransdeus* de Cardonna, Doctor, nomine ceterorum verba fecit, exponens miſſos ſe Conſtantiam eo *Schelſtr. act. Conc. p. 251.*

Sæcul. XV. A.C. 1416.

consilio, ut unacum Conventu, (non enim Concilium appellabant) extirpationi schismatis ac hæresum, unioni Ecclesiæ, ejusque emendationi in capite & membris, necnon Electioni novi Pontificis sedulam navarent operam. Nomine vero sui Regis ac suorum collegarum paratum se exhibebat, ad exacte exequendam Narbonnensem conventionem prout ipsis in mandatis datum esset, quam primum congregationi fuissent aggregati. Gratiarum actionem hisce Legatis exsolvit Cardinalis Vivariensis quadam oratione, in qua felicis recordationis Ferdinandum Regem, ejusque successorem multis laudibus extulit, & fuso sermone Benedicti pertinaciam perstrinxit. Eadem fere Cardinalis Florentinus peroravit, & multis benevolentiæ ac mutuæ amicitiæ signis utrinque exhibitis, generalis hæc congregatio soluta est.

§. CCVI.

Oratio Joannis Gersonii de B. Virgine.

Gerson. to. 3. p. 1436.

Aliquot abhinc diebus, scilicet die octava ejusdem Mensis Cardinalis Cameracensis publice proposuit hanc quæstionem: utrum plenitudo potestatis Ecclesiæ in solo Romano Pontifice resideat? Eodem die Gersonius sermonem habuit in

in Laudem S. Joſephi, & B. V. M. peti- Sæcul. XV.
to themate ex illis Matthæi verbis cap. A. C. 1416.
1. *Jacob autem genuit Joſeph Virum Mariæ*, in eo diſſeruit de immaculata Conceptione Beatæ Virginis, & quamvis hoc myſterium in Sacra Pagina diſertis verbis non eſſe ſtabilitum, imo nequidem per claras conſecutiones inde deduci poſſe affirmaret, hanc tamen quæſtionem, an eſſet de fide, nec ne, a Synodo definiendam aſſerebat. Eidem Concilio proponebat, diem feſtum eſſe inſtituendum in honorem immaculatæ Conceptionis S. Joſeph, licet aliunde feſtorum frequentiæ tantopere adverſari videretur, ut etiam plures ejusmodi feſtivitates abrogandas cenſeret. Gerſonium autem erga ſanctum Joſephum magna devotione exarſiſſe conſtat. Extant binæ illius epiſtolæ de celebratione feſti hujus Sancti.

§. CCVII.

Oratores Neapolitani auditi.

Die decima ſexta currentis menſis Orato- *Vander Hardt to. 4. p. 862.*
res Jacobi Neapolitani Regis, & Joannæ II. ejus conjugis audiebantur. Horum juſſu Synodo accedentes declarabant, eorum Reges deſeruiſſe, atque etiamnum deſerere Benedicti obedientiam, Negabant, illos unquam cum eo clandeſtina foviſſe conſilia de occupanda

Sæcul. XV. A.C. 1416.

Romana urbe, prout tamen insimulabantur. Postmodum quidam Imperatoris Advocatus contra Regis Hungariæ, Croatiæ, & Dalmatiæ titulum, quem sibi Rex atque Neapolis Regina arrogaverant, intercedebat. Pari modo Cardinalis S. Marci exceperat contra titulum Regis Siciliæ & Hierosolymæ, quem iidem quoque assumpserant. Quibus tamen Neapolitani Legati Responsis suis plene satisfecerunt; quo factum, ut Synodus illud innovaret Decretum, vi cujus jam antea sancitum, ne gradus, tituli, vel sedes, quas quisque in Congregationibus vel Sessionibus teneret, in ullius præjudicium cederent.

§. CCVIII.

Epistolæ Regis Poloniæ, & Magistri Ordinis Teutonici ad Synodum.

Vander Hardt to. 4. p. 861.

Præterea tres epistolæ ad Synodum delatæ prælegebantur, quarum una a Ladislao Poloniæ Rege, & Witholdo Duce, altera a Michaele Cochmeistero supremo Teutonici Ordinis Magistro, tertia demum ab Universitate Cracovienſi scripta erat. Ladislaus commendat studium, quod Synodus in extirpanda Hæresi nec non in Ecclesia denuo sub uno Capite unienda luculenter comprobasset, testaturque, se hucusque inducias Polonos

nos inter & Teutonicos ſancitas integra fide obſervaſſe. Pari voto Magnus Ordinis Magiſter in ſua epiſtola, ſe hanc pacem nullo pacto violaturum ſpopondit, ſupplicans, ut Synodus Ordinem ſuum cum Polonis ſtabili fœdere conjungere niteretur. Vix non eadem in ſuis quoque literis Cracovienſis Academia expreſſit, ac vere ardens Eccleſiæ in Capite ac membris reſtaurandæ deſiderium prodidit, pollicita, ſe haud ſegnius quam ipſum Concilium in caſtigandis hæreticis proceſſuram, denique impenſe rogat Prælatos, ut & ipſi divinæ, humanæque ſcientiæ ſtudia reſtaurarent, Univerſitates jamiam erectas beneficiis cumulando, celebriores Profeſſores advocando, ac honeſtis ſtipendiis alliciendo, novasque Cathedras fundando. Cracovienſis Univerſitas ab erectionis ſuæ epocha ſexdecim duntaxat numerabat annos. Sæcul. XV. A.C.1416.

§. CCIX.

Joannis Parvi cauſſa denuo ventilata.

Decreverant equidem Commiſſarii in cauſſa Joannis Parvi ſententias Doctorum publici juris facere; cum tamen, quamvis jam ad undecimam Aprilis harum publicatio præfixa fuiſſet, necdum eas publicaſſent, ideo Ducis Burgundiæ Legati hujus ſanctionis executionem omnibus *Gerſon.to.II p. 650.*

Sæcul. XV. A. C. 1416.

viribus urgebant. Ad Imperatorem quoque, nomine ſui Ducis, prolixam mittunt ſupplicationem, multis queſti contra Galliæ Legatos, & præcipue contra Gerſonium, qui, ut inquiebant, juſtitiæ curſum impediret. Econtra Galli recuſatis Commiſſariis, totum negotium ab ipſo Concilio ſine forenſi ſtrepitu dijudicandum eſſe contendebant. In quem finem collimabat Epiſtola Academiæ Pariſienſis ad Synodum, & quoddam hujus Urbis Senatus conſultum die 19. Septembris promulgatum. Aſt Burgundiæ Dux, ut conſilium iſtud everteret, ad Synodum literas dedit, eidemque per novam Legationem ſua expoſuit querelarum momenta. Habemus in operibus Gerſonii mandata, quæ Dux iſte novis hisce Legatis dederat.

§. CCX.

Reditus Deputatorum ad Reges Caſtellæ & Navarræ a Synodo miſſorum.

Cum Oratores a Concilio ad Reges Navarræ & Caſtellæ, atque ad Comites Fuxum, & Armeniacum miſſi, reverterentur; in quadam generali Congregatione die decima nona Septembris habita, Concilio rei geſtæ rationem reddidere. Eodem tempore per hosce Reges

ges ac Proceres ſubtractæ Benedicto o- Sæcul. XV.
bedientiæ inſtrumenta, & Narbonnenſis A.C.1416.
pacti confirmatio, cum literis eorum te-
ſtimonialibus lectæ fuerunt.

Jam ſupra perſpeximus, quod Synodus ea, quæ Gregorius alias canonice in ſua obedientia geſſit, ordinavit, atque conceſſit, rata habens hæc verba: *in ſua REALI obedientia*, adjecerit. Nunc vero hæc ipſa vox *realis* plurium forenſium litium ac cavillationum origo extitit. Archiepiſcopus Moguntinus, antiquus Joannis XXIII. fautor, univerſa Gregorii acta in locis Moguntinæ Diœceſis, ubi tanquam Papa agnoſcebatur, ideo nulla haberi voluit, quod hæc obedientia non *realis*, ſed falſa ac illegitima fuiſſet, non attendens, quod realis iſta obedientia ſecundum mentem Concilii non alia ſit, quam *effectiva*, atque univerſalis, qua Papa in aliquo loco gaudet, etſi in dicto loco unus vel alter privatus eum ut talem non agnoſceret, proin Gregorii XII. obedientia realis fuit in omnibus locis, ubi pro Papa habebatur, ejus decreta ſervabantur, Legati & Commiſſarii recipiebantur, econtra vero æmuli ſui oratores ibidem repudiabantur.

Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CCXI.

Decretum Synodi circa obedientiam realem Gregorii XII.

Concordat cum præfata explicatione sequens Decretum Concilii: *ut utræque Gregorii XII. & Joannis XXIII. obedientiæ in pace concordiaque vivere valeant, sacrosancta Synodus omnes processus, pœnas, sententias & censuras Ecclesiasticas per quoscunque Judices, Commissarios & executores, ab olim dicto Joanne XXIII. & aliis quibuscunque Deputatis, contra quoscunque, qui auctoritate Gregorii beneficia Ecclesiastica in Dominiis Electoris Palatini, & Ducum Bavariæ, Joannis, Stephani, & Othonis fratrum suorum, & Henrici & Guilielmi Brunswicensium & Luneburgensium Ducum, & Hermanni, ac Ludovici Landgraviorum Hassiæ, assecuti sunt, tamdiu donec per eandem Synodum, vel futurum Pontificem realis obedientia Gregorii XII. declarari contigerit, suspendit, inhibens omnibus cujuscunque fuerint dignitatis, ne contra hanc suspensionem, & relaxationem aliquid attentare præsumant.*

§. CCXII.

Libellus Cardinalis Cameracensis de potestate Ecclesiastica.

Gerson. to. 2. p. 917.

Cardinalis Cameracensis unice intentus, ut Hispanos Synodo aggregaret,

ret, & Benedicto depoſito novi Pontificis electionem ſuaderet, tractatum de poteſtate Eccleſiaſtica compoſuit, quem publice recitari voluit. Totus in eo eſt, ut nonnulla ſcripta ac ſermones confutaret, qui ad infirmandam Concilii auctoritatem, atque ad Papalem & Cardinalitiam ſupra illud elevandam tendebant. Hoc opuſculum in tres dividitur partes. In prima Auctor tractat de origine poteſtatis Eccleſiaſticæ, in ſecunda de juribus Miniſtrorum Eccleſiæ in bona Eccleſiaſtica. In Tertia, de plenitudine poteſtatis Papalis, & utrum Concilio Generali ſubdita ſit, vel non? Poteſtatem per Jeſum Chriſtum Apoſtolis datam ad ſex reducit capita, nimirum ad Sacrorum Ordinum collationem, Sacramentorum adminiſtrationem, Verbi divini prædicationem, judiciariam correptionem, Miniſtrorum Eccleſiæ deſignationem, ac denique ad auctoritatem, qua inter Miniſtros debitam ſubordinationem ſtabilire, & quæ pro eorum ſuſtentatione neceſſaria ſunt, recipere poſſunt. Agens vero Cardinalis de jure in bona Eccleſiaſtica, inquit, quod Papa & Prælati non ut Vicarii Chriſti, aut ſucceſſores Apoſtolorum in bona temporalia poteſtatem ac jurisdictionem habere valeant, bene tamen, ſi ejusmodi bona titulo charitatis ad eos deveniunt, vel alias juſte ac- Sæcul. XV. A. C. 1416.

Sæcul. XV. A.C.1416.

quisita fuere. Tandem de potestate Papæ tradit, quod S. Petrus sit caput Ecclesiæ, quatenus est primarius inter Ministros, cum Christus Dominus illi titulo longe specialiori, ac aliis claves dedisset, in virtute horum verborum: *Pasce oves meas.* Hoc idem ad successores Petri extendit Cardinalis.

§. CCXIII.

Sessio vigesima secunda.

Labbe Conc. to.12. p.192.

Cum a trigesima Maji die nulla Sessio publica celebrata fuisset, tandem decima quinta Octobris habita est Sessio vigesima secunda, in qua Patres Arragoniæ Legatos Synodo aggregare nitebantur; cum vero hi Concilium venerari renuerent, donec per eos illius convocatio fieret, & secundum Narbonnensem Capitulationem solemniter eidem adjuncti fuissent, ideo in hac sessione, consueta solemnia primum post peractam unionem, atque convocationem persoluta fuere.

§. CCXIV.

Consilium de quinta Natione ex Hispanis instituenda.

Ibid. p. 192. & seq. Schelstrat. comp. Chronol. p. 53.

Nonnullæ prius ortæ fuere contentiones; Patres enim meditabantur ex Hispanis quintam erigere Nationem, quæ

quæ complecteretur Arragoniam, Caſtellam, Navarram, omnesque poſſeſſiones Regis Arragoniæ, ultra citraque mare ſitas. Cum vero Legati Luſitaniæ jamjam quinta Junii Conſtantiam delati, pro ſua Natione idem poſtulaſſent, & tamen repulſam tuliſſent, hinc quintam Hiſpanorum Nationem erigi recuſabant, hanc prærogativam Regi ſuo injurioſam eſſe arbitrati. Qua interceſſione admiſſa ad ulteriora procedebatur. Sæcul. XV. A.C.1416.

§. CCXV.

Arragonum Legati penes Galliæ Oratores collocati.

Hucusque Legati Neapolitani locum poſt Oratores Gallos proximum tenuerunt, advenientibus vero Caſtellæ Legatis Neapolitani ſedem ſuam his cedere, ac poſt Nuncios Angliæ conſidere rogabantur. Acquieverunt illi pacis tuendæ ſtudio, ita tamen, ut nullum inde eorum Regi præjudicium naſceretur. Quam declarationem Synodus per Decretum ibi promulgatum confirmavit. Itaque Arragonenſes Gallis adjuncti fuere. Gerſonius Legationis Gallicæ caput, in primo ſedebat loco, poſt eum locabatur Comes Cardonnæ Arragonenſis, poſtmodum Gallus, & denuo Arragonenſis, & ſic de ſingulis. Mutua omnium erat de- *Vander Hardt.*

Sæcul. XV. A. C. 1416.

declaratio, quod alternum hunc ordinem, mere unionis servandæ gratia, admitterent, de cetero nullatenus per hoc quicquam suis juribus derogatum vellent, quæ eorum protestatio a Synodo admissa fuit.

§. CCXVI.

Arragonenses Concilium convocant, & in eo sessionem habent.

Quo facto Arragonenses Legati nomine universæ obedientiæ Benedicto addictæ Concilium convocant, lectaque fuit per Archiepiscopum Mediolanensem hæc convocatio & approbata a Synodo. Deinde iidem concilio se accedere declararunt, quibus synodus pariter consentiebat. Hac mutua unione confecta Cardinales, aliique Prælati Pontificalia induerunt ornamenta, & Cardinalis Vivarienſis locum Præsidis occupavit, omnibusque peractis de more solemnibus lecta fuere Decreta. Primo concedebatur Arragonensibus, peculiarem sub nomine nationis Hispanicæ, nationem constituendi facultas, hac tamen lege, ut Lusitaniæ, Castellæ, & Navarræ Reges eadem potirentur prærogativa, si eam petituri essent. Secundum Decretum præcipit executionem capitulationis Narbonnensis circa omnes & singulos articulos; qui eodem tempore

re ab universa Synodo confirmati fuerunt, & Hymno *Te Deum* decantato sessio soluta est. Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CCXVII.

Joannes de Campis propositiones Joannis Parvi damnari postulat.

Absoluta sessione Joannis Parvi causa denuo magna contentione utrinque agitata fuit. Joannes de Campis, alias Campani, Procurator Regis Galliæ in negotio reformationis Ecclesiæ petiit, ut Synodus sine forensi strepitu, & absque respectu ad personam cujuscunque, sine cunctatione suam sententiam proferret, utrum Joannis Parvi propositiones sint veræ vel falsæ? secus enim futurum, quod Synodus vel ignorantiæ, utpote nescia an hæc propositio de fide esset, vel timiditatis, vel saltem oscitantiæ accusaretur. Firmaverat postulatum suum variis argumentis, quæ potissimum erant iteratæ Imperatoris, Regis Galliæ, & Academiæ Parisiensis preces, ipsius hujus doctrinæ scandalum, utpote quam plures pernicioſam censerent, necnon damnatio generalis propositionis, jamiam a Synodo facta, quæ particularium propositionum consecutio esset. Hæc petitio usque adeo Ducis Burgundiæ Legatos ira accendit adversus Gallos, ut hi securitati *Gerson. tom. 2. p. 417.*

Sæcul. XV. A.C.1416.

tati suæ datis literis caveri a Carolo VI. petere cogerentur. Has ex voto impetratas Gersonius die undecima, & Simon de Theram decima septima Octobris exhibuere. Dein Galli contra Commissarios, qui caussam ad Synodum remittere detrectabant, exceperunt. Sed iidem Commissarii hanc protestationem nullam esse vigesima octobris declararunt, nec quid amplius hac in re statutum fuit.

§. CCXVIII.

Synodus confluentium frequentia celebrior.

Auctum est Concilium indies adventu plurimorum Legatorum e terris Benedicti obedientiam antehac professis. Advenerant Angli, & inter ceteros Richardus Cliffordus, Londinensis Episcopus, duo Cancellarii Universitatis Oxonienſis, & Cantabrigiensis, aliique duodecim Doctores, qui nationis Anglicæ numerum auctoritatemque firmarent. Pariter accessere die vigesima septembris Lichtfeldiensis, & Norvicensis Episcopi: Nil ergo judicii actis contra Benedictum XIII. prosequendis ultra obstare videbatur, qui nihilominus Pontificatum semper in castro Paniscolæ pertinaciter gessit, & contra Ecclesiam ac Synodum sua vibravit fulmina. Igitur pro illius solemni ac

Ca-

Canonica depositione Sessio sequens indicebatur. Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CCXIX.

Sessio vigesima tertia.

Habita est quinta die Novembris sessio XXIII. cui de more Cardinalis Vivariensis præfuit, & Patriarcha Antiochenus Missam de Spiritu sancto cantavit; Sermonem habuit unus ex Synodalibus Advocatis, qui calamitates Ecclesiæ a Benedicto oppugnatæ recensuit, hunc vero tanquam schismaticum & tyrannum depinxit, cujus jugum excutere oporteret. Absoluta hac oratione Archiepiscopus Mediolanensis recitavit constitutionem Synodi, qua nominabantur duodecim Commissarii, partim Cardinales & Episcopi, partim & Doctores, Judicii acta contra Benedictum instructuri. *Labbe Conc. to. 12. p. 198.*

§. CCXX.

Commissarii, qui in Benedictum XIII. inquirerent, denominati.

Commissarii constituti erant sequentes. Cardinales, S. Marci & Florentinus, Joannes Patriarcha Constantinopolitanus, Stephanus Episcopus Dolensis, Robertus Saresberiensis Episcopus, Jacobus electus Episcopus Parmensis, Guilielmus Pulchrinepotis, Antonius Taxal Gene- *Ibid. p. 199.*

Sæcul. XV. A. C. 1416.

Generalis Ordinis de Mercede, necnon Mauritius Pragenſis, & Michael de Mavers, Theologiæ Doctores, Nicolaus Vordis, ac Joannes Wellis, juris periti. In eadem ſeſſione inter Arragonenſes, & Anglos oratores magna exorta ſunt diſſidia, quibus anſam præbuit novæ Nationis collegium erigendi jus, quod antea a Concilio Arragonenſibus conceſſum erat. Utrinque acriter diſceptatum, tandem vero lis compoſita eſt.

§. CCXXI.

Accuſationum capita contra Benedictum.

Vander Hardt to. 4. p. 969.

Seſſione finita Commiſſarii, provincia ſibi concredita defuncturi, ſeptem ſeligunt Notarios, qui inſtrumenta conficerent, adjunctis tribus Advocatis, Promotoribus, & Apoſtolicis curſoribus, qui citationes affigerent. Omnes Judicii actus in Palatio Epiſcopali exercendos eſſe, ſtatuebatur. Articuli, ſuper quibus Promotores teſtium depoſitiones exciperent, erant ſequentes. I. Benedictus Schisma fovet, etiamſi pluries declaraverit, viam ceſſionis ad illud extinquendum unicum eſſe medium. II. Super ſacroſanctis Evangeliis juravit ſe ceſſurum absque omni mora, ſi ipſe eligeretur. III. Cedere ſollicitatus fuit a Rege

ge Galliæ, pluribus Principibus, Academia Parisiensi, & ab omnibus fere suis Cardinalibus. IV. Contra viam cessionis, tanquam medium illegitimum, publice excepit. V, Eandem recusavit, quamvis Martinus Arragoniæ Rex illum ad eam amplectendam impense rogasset. VI. Se Papatu cessurum promisit atque juravit, si pariter suus æmulus cederet, illudque coram suis Cardinalibus Pontisforgiæ iterato repetiit. VII. Etiam post mortem Innocentii VII. in hac repugnantia contumax perseveravit. VIII. Millenis tergiversationibus cessionis viam elusit, Legatis Galliæ turpiter illudendo. IX. In Concilio Perpiniani a se convocato cedere jurato spopondit, & fidem suam liberare sollicitatus respondit, irreparabile damnum se illaturum Ecclesiæ, si ulterius sibi hac propositione molesti essent. X. In schismate perseveravit, licet universus Orbis Christianus Constantiam confluxisset, ut pacem Ecclesiæ redderet. XI. Imperatori Perpinianum venienti, ut ei cessionem suaderet, pervicacius quam antea restitit, & nil sollicitus de extinquendo schismate, Paniscolam auffugit. XII. Tandem ob præfata fautor Schismatis, hæreticus, & schismaticus obduratus ab omnibus Christianis reputandus est.

Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CCXXII.

Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CCXXII.

Obitus Ducis Brunsvicenſis.

Bzov. an. 1416 p. 303. Interea cum omnium ferverent ſtudia in inſtruendis contra Benedictum judicii actis, Henricus Brunsvico-Luneburgicus Dux Conſtantiæ in morbum incidit. Hic natale ſolum ad recuperandam ſanitatem ſibi magis propitium fore ratus, patriam repetiit, ſed in itinere Ulzenam verſus viam æternitatis ingreſſus eſt, relictis duobus filiis, Succeſſoribus ſuis. Dudum Gregorii XII. partes fovebat, quinimo Piſano Concilio, a quo depoſitus eſt Gregorius, obluctatus eſt. Cum vero opera Sigismundi Concilium Conſtantienſe convocaretur, Henricus Brunsvicenſis, aliique Principes Gregorio obedientiam olim profitentes ei ſcripſerunt, ut cum ipſis quævis ad procurandam Eccleſiæ unionem aptiora amplecteretur media. Illico Dux ſuos Legatos Conſtantiam præmiſit, quos & ipſe poſtmodum ſecutus eſt, ſicque quamvis ad bellica negotia natum foveret animum, nihilominus non modicam ſollicitudinis partem componendis præſentis temporis Eccleſiæ diſſidiis impendebat.

§. CCXXIII.

Sæcul. XV. A. C. 1416.

Sessio vigesima quarta. Benedictus in Synodo comparere jussus.

Causa Benedicti sedulo ventilabatur. Die 6. Novembris Cardinalis Vivariensis, & Patriarcha Antiochenus, sequenti vero die quatuor illi Cardinales, octo Episcopi, & viginti alii testes; Ordinum Generales, Curiæ Romanæ Officiales, & Doctores in manibus Commissariorum sua deposuerunt juramenta. Instructis ergo omnibus ad citationem hujus Antipapæ necessariis, & solemnibus de more peractis, die vigesima octava Novembris habita est sessio vigesima quarta, cui initium dedit Cardinalis Florentinus; Hic miserum plane statum, quo Ecclesia tanto tempore premeretur, sermone admodum gravi exposuit, tandemque citationem Benedicti haud ultra differendam concluſit; idem cum peterent Synodi quoque Promotores, unanimi suffragio decreta est citatio; Ergo sancitum, quod intra terminum duorum mensium, & decem dierum a die citationis factæ computandorum comparere teneretur, & citationis decretum, si fieri posset in valvis castri Paniscolæ, si vero tutus non esset accessus, in locis vicinioribus, v. g. Dertusiæ affigeretur. Lecto hoc Decreto, quod eodem die ad portas

Labbe Conc. to. 12. p. 201.

Sæcul. XV. A.C.1416. Ecclesiarum urbis Constantiensis affixum est, discesserunt Patres.

§. CCXXIV.

Legati Comitis Fuxi ad Synodum.

Schelstr. act. Conc. p. 251. Synodus jam antea ad Albaniæ Ducem, qui durante Regis Roberti captivitate Scotiæ Regnum administrabat quemdam Fratrem Ordinis Prædicatorum natione Scotum ablegavit. Hic Constantiam redux, ejusdem Ducis epistolam detulit, in qua se brevi solemnem legationem, animo sese Synodo uniendi, expediturum pollicitus est. Eodem tempore duo Episcopi, Comitis Fuxi legati, advenerant, & Cardinali de Fuxo se junxerant, ut a Patribus admitterentur, quod die decima quarta Decembris ante sessionem XXV. eodem ritu peractum est, quo Arragonenses Oratores antea Concilio aggregati fuere.

§. CCXXV.

Sessio vigesima quinta.

Labbe Conc. to. 12. p. 206. Postquam Legati, nomine Comitis Fuxi, Synodum convocaverant, Sessio hæc initium habuit, ubi Legatis pacti Narbonnensis executionem pollicitantibus, sicut ceteris suæ quoque sedes assignabantur. Occurrit insuper in actis hujus

jus Sessionis decretum, hujus tenoris: *Sacrosancta Synodus comittit regimen Ecclesiæ Olomucensis vacantis per obitum Wenceslai Antiocheni Patriarchæ, qui eam habebat in commendam, Joanni Episcopo Litomislienſi, donec novus Pontifex eligatur.* Præterea nominati fuere ex Natione Hispana Commissarii ad quædam negotia expedienda vocati; demum innovatæ fuerunt Constitutiones, quibus Synodalium membrorum saluti, & boni regiminis conservationi provisum est, eo fine, ut in Constantiensi urbe omnis tumultus, & dissidia forte oritura præcaverentur. Sæcul. XV. A.C. 1416.

§. CCXXVI.

Sessio vigesima sexta.

Die decima sexta Decembris, venientibus ad Synodum Navarræ Regis Oratoribus, curabant Patres, ut ad Concilium admitterentur eo modo, quo alii Legati recepti fuere, cui negotio Sessionem vigesimam sextam die vigesima quarta Decembris dicarunt. In ea ab initio Episcopus Aretinus nomine Synodi prælegit Constitutionem de ordine & loco, qui a Nationibus in ferendis suffragiis, vel subscriptionibus servandus esset. Qua lectione finita Oratores Caroli Navarræ Regis Concilio aggregati fuere, adhibitis solemnibus in tali actu alias con- *Labbe ib. p. 207.*

Sæcul. XV. A.C. 1416.

fuetis. Varia quoque tam a Rege, quam a diversis Navarrensis Cleri partibus injunctæ potestatis mandata legebantur; quibus omnibus peractis Sessio finem habuit.

§. CCXXVII.

Epistola Synodi ad Imperatorem de Hussitis.

Vonder Hardt to. 4. p. 1077.

Cum Hussitæ Bohemiam ingentibus divexarent tumultibus, & non modo se a Catholicorum communione penitus separare meditarentur, sed etiam armorum vi novellæ suæ sectæ libertatem introducere pararent, Synodus consultum fore censuit, ut datis ad Cæsarem literis hujus populi proterviam, atque in erroribus pertinaciam eidem ob oculos poneret. Hussitæ enim impune Clericorum bona diripiebant, scandalosos, & contra Synodi decreta infames divulgabant libellos, ubique sub duplici specie S. Communionem administrabant, acceptoque Joannis Hussi, & Hieronymi de Praga supplicii nuncio, eorum discipuli in unum congregati utriusque memoriam velut Sanctorum Martyrum consecrabant, celebrandamque quotannis decernebant: Ex adverso Synodus Wenceslaum vecordiæ, ac in tolerandis hisce tumultibus negligentiæ incusabat, quinimo ac si Hussitas protexisset, in su-

Dubrav. hist. Boh. l. 23.

spicio-

spicionem eundem trahebat. Nec dubium est, quin Rex iste, licet horum doctrinam amplexus non fuisset, eis tamen plura indulserit, sive avaritia captus, sive inertia præpeditus, sive vindictæ studio accensus in Curiam Romanam, quæ sub Pontificatu Bonifacii IX. patrocinata est ejus æmulo, atque ut huic faveret, ipsius exauctorationem promovit. Sæcul. XV. A.C.1416.

§. CCXXVIII.

De Statu Galliæ in hoc anno.

In partes scindebatur Francia, atque ingentia undique mala huic regno imminere videbantur. Hinc Angli jam alteram exscensionem Tungiis fecerant, pluresque Normanniæ urbes occupaverant; illinc Burgundiæ Dux ægre ferens, quod ab administratione arceretur, adversus Regem & regnum iteratas conflavit conspirationes. Ex altera parte Comes Hannoniæ, ejusdem propinquus, Joannem Delphinum generum suum fulcire omnibus viribus allaborabat, hunc enim Aurelianensis Ducis factio juribus suis exuere tentabat, ut econtra Carolum Pontivensem Comitem fratrem ejus natu minorem exaltaret; Sed hæc ipsa animorum societas nova dissensionibus supposuit incrementa. Exoptabant Parisienses Ducis Burgun- *Tonques.*

Sæcul. XV. A.C.1416.

di reditum, eratque detecta conspiratio quædam, vi cujus factioni Burgundicæ Parisiensis Urbis portas aperire statuebant. Dabant tamen pœnas præcipui proditionis auctores, quibusdam capite truncatis, aliis in vincula conjectis, omnibusque, in quos perfidiæ suspicio cadebat, in exilium depulsis, ac ne ipsis quidem Parlamenti, aut Universitatis membris a supplicio exceptis. Denique lanionum cohorte penitus abolita, Cives armis spoliabantur.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CIV.

SED. VAC.
SIGISMUNDUS OCCIDENT. EMANUEL II. ORIENT. IMPERATORES.

§. I.

Sermo, & opuſculum Gerſonii.

Novi hujus anni auſpicia Synodus ſacrabat publica ſupplicatione pro felici Cæſaris reditu, qui indies exſpectabatur, inſtituta. Die vero quarta Januarii generalis celebrata eſt congregatio, in qua recitabantur literæ ex Caſtella, atque Scotia delatæ, quibus ſolemnes Legationes brevi adventuræ nunciaba-

Sæcul. XV. A. C. 1417.

Gerſon. to. 2. p. 350.

Sæcul. XV. A.C. 1417.

ciabantur. Demum in ipso Epiphaniæ festo habitus est sermo de restauranda Ecclesiæ disciplina. Gersonius quoque decima septima ejusdem Mensis die, S. Antonio sacra, orationem declamabat, in qua duo maximi momenti argumenta discussit, nimirum auctoritatem Concilii supra Papam, in Sessione V. solide stabilitam, necnon causssam novem propositionum Joannis Parvi, quarum damnatio hucusque semper Burgundi Ducis artibus elusa fuit. Insuper idem Synodo aliud obtulit opusculum, in quo fuse enumerat errores, quos in Concilio contra præceptum Decalogi, *Non occides*, prolatos fuisse contendit.

§. II.

Imperator Constantiam redux.

Juven. Urs. p. 424. Monstrelet. vol. I. p. 251.

Anno & plusquam sex mensibus Imperator absens erat, postquam enim vigesima Junii Anno millesimo quadringentesimo decimo quinto Constantia discessisset, nonnisi vigesima septima Januarii Anno supra millesimum quadringentesimo decimo septimo illuc rediit, per Gallias in Angliam transiens, utinter utrumque Regem aut pacem, aut saltem inducias conciliaret, testaturque Juvenalis Ursinus, hunc in finem a Sigismundo frequentius nuncios in Franciam missos,

nec

nec tamen pacem, imo nec inducias fuiſſe impetratas. Equidem Angli pacem exoptare credebantur, ab ea tamen Carolus VI. alienus erat, partim quod eidem undique auxiliares mitterentur copiæ, partim quia, ut refert laudatus Auctor, ſperabat, fore, ut Burgundus ad officium ſuum rediret, ac reverſus cum ſuis quoque militibus bellum in Anglos moveret. Imperator ergo operam ſe perdere intelligens, Conſtantiam repetere ſtatuit, ubi ingenti omnium lætitia, ac ſingulari magnificentia exceptus eſt. Tempore matutino jam Cardinales, Patriarchæ, Epiſcopi, omnesque Clerici veſtibus ſolemnioribus induti, advenientem in Eccleſia Cathedrali præſtolabantur, ibique Cardinalis Florentinus peracta re Divina de proſpero ipſius reditu Orationem dixit. Imperatori autem urbis mænia ſalutanti totus Clerus ſolemni ordine obviam proceſſit, civesque ingredientem campanarum pulſu, & bombardarum ſtrepitu feſtive exceperunt. Ad pontem ſubſiſtens Imperator, a Senatu ſub pretioſiſſimo, auroque reſplendente Umbraculo, quod quatuor Senatores tenebant, recipiebatur, talique comitatu usque ad Eccleſiam deductus eſt, ubi Epiſcopus Saresberienſis coram eo gratulatoriam Orationem declamavit. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. III.

Sæcul. XV. A.C. 1417.

§. III.

Strigonienſis Archiepiſcopus Conſtantiæ.

Vander Hardt to 4. p. 1092.

Poſt Cæſaris adventum ad publica negotia rediere Patres, & ante omnia Joannis Parvi cauſſam diſcuſſerunt, quam reformationis cura exciperet. Joannes Gerſonius prima Februarii die ſermonem habuit, quo Synodum impenſe rogabat, ut damnatis novem Joannis Parvi propoſitionibus ſacram Principum Majeſtatem, vitamque a rebellium ſubditorum inſultibus tueretur. Biduo poſt Archiepiſcopus Strigonienſis, Hungariæ Primas, Cancellarius regni, & ſupremæ Curiæ Princeps Conſtantiæ advenit, perhonorifice exceptus. Huic urbem intranti unacum duobus Cardinalibus obviam ibat Imperator. Die vero ſexta Februarii publice perlegebatur Gerſonii tractatus *de Auctoritate Concilii & poteſtate Eccleſiæ*. Hoc opuſculo, ut ita dicam, præludebatur Concilii deliberationibus de futura Benedicti depoſitione, electione Pontificis, & reformatione Eccleſiæ inſtituendis, denique de Seſſione proxima agebatur.

§. IV.

Sæcul. XV.
A.C. 1417.

§. IV.

Sessio XXVII.

Die vigesima Februarii habita est Sessio ab inchoatione Synodi vigesima septima, & a die reditus Cæsarei prima, cui Imperator adfuit. Actum est judicii legibus in caussa Friderici Austriaci, qui Tridentinum Episcopum, ejusque bona violenter detinebat. Adversus hunc Ducem jam aliquod edictum, quod *monitorium* vocant, edebatur, ejus tamen executio usque ad Cæsaris adventum dilata est. Præterea nominabantur Commissarii ad discutiendas lites, quibus Abbas & Religiosi Cistercienses cum Ludovico Bavaro Regis Franciæ Sororio collidebantur. Conquestus erat Abbas de innumeris injuriis, atque damnis, quæ monasterio ejus Dux ille intulisset. Tandem deliberatum est de collationibus quarumdam Ecclesiarum seu Abbatiarum vacantium, uti erant Episcopatus Narnienfis, & Cassanensis in Regno Neapolis. His peractis soluta est Sessio. Biduo post Imperator in Palatio suo Joanni de Nassovia Moguntiæ Archiepiscopo ejusdem Electoratus investituram concessit, Electore Palatino, & Burggravio Norimbergensi huic solemnitati assistentibus. *Labbe Conc. to. 12. p. 208.*

§. V.

Sæcul. XV. A.C. 1417.

§. V.

Capitulum Benedictinorum Petrusii celebratum.

Reichental apud Vander Hardt to. 1. p. 1092.

Cum Ordo S. Benedicti in Germania a primævo suo fervore multum remisisset, in Abbatia Petrusii vulgo Peterhusii * haud procul a ponte Constantiensi sita Synodus capitulum Provinciale convocabat, concurrente Moguntinæ & Bambergensis Diœcesium auctoritate; Hunc in finem die decima octava Februarii Anno Salutis millesimo quadringentesimo decimo sexto conditum est Decretum, Nationis Germanicæ Benedictinis, quorum præprimis reformationi Synodus invigilabat, inscriptum. Ergo Capitulum Provinciale vi altefati Decreti celebrandum, hoc anno die vigesima octava Februarii inchoatur. Intererant triginta sex Abbates, viginti duo Priores, & trecenti septuaginta tres Religiosi Benedictini. Eligebantur in Præsides Ludovicus Abbas Treverchiensis, ex Diœcesi Cabillonensi, Thomas Eboracensis Abbas in Anglia, Sigefridus Abbas Elvacensis ex Diœcesi Augusta-

* Trithemius in Chronic. ad ann. 1417. vocat hoc Monasterium. *Petri Domum seu Peterhausen.*

gustana, ac denique Joannes Abbas S. Georgii Diœcesis Constantiensis. Præter alia hujus Capituli statuta prohibebatur Abbatibus Monasteria lustrantibus, ne singuli secum ultra duodecim equos adducerent. Sæcul. XV. A C. 1417.

§. VI.

Initium reformationis in Ordine Benedictinorum.

Hujus Capituli Statuta Imperator mense Februario anni sequentis rata habuit, dictique ordinis reformationem quidam Monachus nomine Joannes ex Abbatia Rheinhusana Moguntinæ Diœcesis aggressus est. Hunc cum Otho Dux Brunsvicensis ad Clusensem Abbatiam Diœcesis Hildesiensis evocasset, ut ibidem reformationem & statuta in præfato Capitulo condita in usum deduceret, omnes Monachi nudo reformationis nomine territi discesserunt, solo relicto Joanne, ut ipse Constitutiones, quas stabilire intenderat, etiam colere deberet. Verum is propterea nil animo fractus, quosdam Religiosos regularis disciplinæ magis studiosos collegit, atque obtenta Brunsvicensis Ducis licentia cum illis ad quamdam ferme collapsam Abbatiam nomine S. Thomæ in Bursfeldia Diœcesis Moguntinæ se recepit; unde paulatim refor- *Vander Hardt to.* 1. *pag.* 1112.

Sæcul. XV. A.C.1417. reformatio per universam Germaniam feliciter propagata est. Juxta Bursfeldiensis Congregationis normam ducentis ex post annis duæ aliæ toto orbe celebres erectæ sunt, nimirum Congregatio S. Victoris & Hidulphi in Lotharingia, & altera S. Mauri in Galliis.

S. Vannes.

§. VII.

Sessio XXVIII. Sententia contra Ducem Austriæ lata.

Labbe Conc. to.12. p.209. Die Mercurii tertia Martii habita est Sessio ordine vigesima octava, in qua præprimis discussa est caussa Ducis Austriaci, declaravitque Synodus, citationem quidem executioni datam esse, Ducem vero non comparuisse in judicio, ac propterea rebellem declarari & perjurum, atque ut talem omni honore ac dignitate exutum; statuitque non modo illum, sed omnes ejusdem descendentes usque ad secundam generationem, necnon omnes eidem adhærentes ad quævis honorum fastigia inhabiles, atque Imperatoris judicio tradendos esse. Anathematis quoque executio Episcopo Tragurienſi demandata fuit. Hanc sententiam Arragonenses quidem approbabant, illam tamen clausulam, *Sede Apostolica vacante*, impugnabant, eoquod, inquiebant illi, Sedes Apostolica nondum vacaret,

caret, abs dubio, quia Benedictus nec- Sæcul. XV.
dum sede deiectus erat. Ast cum ipsi- A.C.1417.
met ab ejus obedientia jamjam defecis-
sent, Synodo aggregati, mirum plane,
quo pacto hasce tricas movere potuerint.

§. VIII.

Epistola Deputatorum a Synodo Panisscolam missorum.

Septima Martii die Patres congressi sunt, *Vander*
Epistolam perlecturi, quam duo Mo- *Hardt tom.4*
nachi Benedictini, Lambertus Stockius *p.* 1146.
Germanus, & Bernardus de Plancha
Burdegalensis Panisscolam missi, ad Car-
dinalem Vivariensem exarabant, qua via
Benedicto citationem insinuassent, indi-
cantes: nimirum, Benedictus comperto
horum adventu Doctorem quemdam eis
obviam mittebat, qui illos rogaret, ut
suum ingressum in posteram diem differ-
rent; verum ipsi, cum Benedictus secu-
ritatis literas illis dare negasset, nil ejus
preces morati, suum iter prosequuntur,
atque ad portas urbis a Petri de Luna
Nepote, quem ducenti Equites armis
probe instructi stipabant, excipiuntur.
Altera die audiuntur a Benedicto, tri-
bus Cardinalibus, quibusdam Episcopis,
aliisque Ecclesiasticis assistentibus; Hi
Benedictum demisse quidem salutant,
nec tamen genua coram eo flectunt, de-

Sæcul. XV. A.C. 1417.

mum alta voce citationis decretum Papa præsente legunt; dum vero scripturæ seriem ad ea producerent verba, quibus schismatis ac hæresis notabatur, se mendaciis ac calumniis appeti exclamabat Benedictus, dixitque, Concilium esse nullum, resque a se gestas apologetico sermone vindicavit, subjungens, quod ad procurandam Ecclesiæ unionem nova Synodus in quodam suæ obedientiæ loco convocanda, sibique futuri Pontificis electio committenda foret.

§. IX.

Responsum Benedicti ad Deputatos Concilii.

Cum vero Deputati responsionis hujus instrumentum erigi postulassent, Papa indignabundus respondit: *habita declaratione cum meis Cardinalibus, infra paucos dies debitum dabo responsum*, quod exacto biduo eis reddebat, sed id ipsum non nisi prioris extensio erat. In eo irritantur, nullaque declarantur omnia a Constantiensi cœtu facta, vel facienda, eundemque Synodi auctoritate firmatum negat, asseritque, oblatas a se fuisse omni tempore honestas, quibus Ecclesiæ pax redderetur, conditiones, quas vero cum ejus adversarii respuissent, ipsosmet objecti sibi schismatis reos esse. Præterea diffite-

diffitetur, se unquam viam cessionis adoptaturum spopondisse, exclusis aliis, quas æquiores judicasset. Dein conqueritur, oblata a se media penitus rejecta fuisse, imo a Principibus pertinaci consilio explosa. Sermonem absolvit, dicens, etsi Concilium, quod ipse non convocasset, accedere compelleretur, nunquam tamen Constantiam se aditurum, tum ob provectam suam ætatem tam longo itineri imparem, tum quod hæc civitas Cæsaris imperio plene subjiceretur, sibique per inimicorum suorum terras pertranseundum foret. Denique omnes, qui Concilio intererant, pronunciat hæreticos, schismatis ac hæresis fautores, atque tales omnibus pœnis in hoc casu sancitis obnoxios. Secul. XV. A.C. 1417.

Deputati, cum aliud responsum a Benedicto extorquere desperarent, Derthusiam proficiscuntur, Arragonum Regem conventuri, indeque recta Constantiam pergunt, quo Benedictus jamjam Episcopum Conchensem præmiserat, ut pacis conditiones offerret, prout ipse dixerat, re tamen ipsa, ut dissensionis zizania seminaret. Quapropter dicti duo Benedictini in suis literis enixe hortabantur Patres, ut hujus Papæ depositionem maturarent, illumque Pontificatu exuerent. Scripta est hæc Epistola Derthusiæ die vigesima secunda Januarii, cujus impul-

Sæcul. XV. A.C.1417.

fu, quamvis tardius perlata fuiſſet, Patres cuncta ad proſequenda judicii acta adverſus Benedictum inſtruxere, ac tandem finali ejusdem ſententiæ in Seſſione proxima initium dederunt.

§. X.

Seſſio XXIX.

Labb. Conc. to.12. p.212.

Die octava Martii Seſſio habita eſt numero vigeſima nova. Poſtulabant Promotores, ut, cum jamjam evoluto die centeſimo, a quo citatio expedita eſſet, Benedictus necdum comparuiſſet, nominarentur Commiſſarii, qui illum ante valvas Eccleſiæ citarent. Annuit Synodus Promotorum votis. Ergo duo Cardinales, totidemque Epiſcopi, ac Protonotarii cum Curſore Apoſtolico deputantur, qui ad fores majoris Eccleſiæ Conſtantienſis trina vice Benedictum vocarent, quæ citatio legitima facta publicis tabulis inſerta eſt. Totum Seſſionis hujus tempus in perlegendis variis actis, necnon juris formulis adverſus Benedictum inſumebatur, ante cujus finem Promotor Papam hunc contumacem declarari petiit, ſed Synodo rem maturiori deliberationi remittente, Seſſio ſoluta eſt.

§. XI.

Sæcul. XV.
A.C.1417.

§. XI.

Sessio XXX.

Die, quæ præcedentem Sessionem sequebatur, ambo illi Benedictini Constantiam venerunt, ac decima ejusdem Mensis in Sessione trigesima, præsente Imperatore, post Missam de Spiritu sancto rei gestæ rationem reddiderunt, exponentes, quo pacto a Benedicto fuissent excepti, quidve eis respondisset, pluraque sigillatim recensebant, ex quibus luculentiori adhuc argumento illius pervicacia comprobaretur. Cum vero hac super re instrumentum confeciissent, illud Bernardus de Blancha prælegit; hoc finito, Petrus de Limburgo Juris Doctor jussu Synodi decretum recitabat, quod approbat, confirmatque edictum, quo Ferdinandus Arragonum Rex, & postea Alphonsus ejus Successor, omnesque illius subditi sese Benedicti obsequio subtraxerunt: Cum autem hic Papa Anno Domini millesimo quadringentesimo octavo Massiliæ agens, adversus Imperatorem, Reges & Principes, qui se ipsius obedientiæ subtraxissent, aut subtracturi essent, Bullam edidisset, eam Synodus alio decreto, quod pariter recitatum est, nullam declaravit. *Id. ib. p. 214.*

Sæcul. XV. A.C. 1117.

§. XII.

Sessio XXXI. Dissidia Gallos inter & Anglos composita.

Idem p.216. In Sessione trigesima prima celebrata die Mercurii ultima Martii, cui Cæsarem adfuisse non constat, de caussa Benedicti nil agitatum est: In ea vero magnæ Gallos inter & Anglos exoriebantur discordiæ. Galli enim specialem in Synodo nationem efficiendi prærogativæ, quam sibi Oratores Angli arrogaverant, contradicebant; Thomas Polton Angliæ Legatus jus suum tuebatur, edito hanc in rem libello, quo rationum momentis a Gallica natione jam antea exhibitis respondere conabatur; cum vero Anglorum Scriptura nimis prolixa esset, ex integro recitata non fuit. Nihilominus illam Synodus approbavit; unde Angli in possessione juris quintæ Nationis conservati fuerunt, eodem prorsus modo, quo quartam formabant, priusquam Hispana natio accessisset.

§. XIII.

Literæ monitoriæ adversus Comitem Virtutum.

Vid. supr. Lib. CIII. §. 146. Cum Philippus Comes Virtutum Albertum Astensem Episcopum, qui Constantiam petebat, in Longobardia com-

comprehenſum carceri mancipaſſet, Epiſcopus Concordienſis a Synodo monitorium, ut vocant, contra præfatum Comitem expediri petiit, eoquod illius violentia Carolinæ Conſtitutioni, quam Synodus confirmaſſet, adverſaretur. Concilium æquas habens Concordienſis Epiſcopi preces, Comiti Virtutum indicta anathematis pæna injunxit, Epiſcopum Aſtenſem infra bidui ſpacium e carcere dimitteret, ac Conſtantiam libere abire ſineret, ut a Synodo utrique parti jus dici poſſet; cujus rationem Patres allegabant ſequentem: *quia ſubditi in eorum Prælatos, & Laici in Clericos nullam habent jurisdictionem, & poteſtatem,* quem Canonem poſtmodum Richerus Doctor explanavit, aſſeruitque, ex hiſce Conſtantienſis Synodi verbis inferi haud poſſe, quod Clerici in omnibus a Jurisdictione civili exempti eſſent.

Sæcul. XV. A. C. 1417.

Richer. hiſt. Conc. tom. 2. p. 178.

§. XIV.

Varia Decreta in Synodo promulgata.

Quatuor poſtmodum perlecta ſunt decreta; quorum primum famoſos prohibuit libellos; alterum *ad interim* electum confirmavit Epiſcopum, quem Benedictus XIII. adverſus æmulum a Joanne XXIII. nominatum ad Bajonenſem E-

Labbe Conc. to. 12. p. 218.

Sæcul. XV A. C. 1417

piscopatum promovebat, ea tamen lege, ut si primo confirmatus vita excederet, Bajonense Capitulum ad novam electionem non procederet; ita enim cum Arragoniæ Rege conventum erat. Tertio decreto incolis Marchiæ Anconitanæ præcipiebatur, Angelo Corario olim Gregorio XII. tanquam vero ejus Legato obedientiam præstarent. Quartum denique successores substituit Commissariis ad causas fidei in Bohemia deputatis, vel mortuis vel officio defunctis. Ante Sessionis finem recitata est Poloniæ Regis, & Ducis Lithuaniæ epistola per Gnesnensem Archiepiscopum allata, in qua ambo Principes Synodo significant, se nihil eorum non egisse, quibus firma pax cum Ordine Teutonico revocaretur, Equites vero conditiones cunctas, easque honestissimas respuisse, ideoque si Poloni jure defensionis propriæ ad arma descensuri essent, Equitum ipsorum id culpæ fore.

§. XV.

Connubium Ladislai Poloniæ Regis.

Dlugoss. lib. 12. p. 374. 379.

Anno Salvatoris millesimo quadringentesimo decimo sexto die vigesima prima Martii Anna Regina, Comitis Cilleiensis Filia, secunda Ladislai Jagellonis Poloniæ Regis conjux, Cracoviæ e vita decess-

decesserat; hoc autem anno prima Maji die Rex duxit Elisabetham de Piltzia filiam Castellani, seu Vice-Regis Poloniæ. Illa vidua erat tertio orbata marito, senex, infirma, ac prolibus relictis abundans. Irrito prorsus conatu Regis Consiliarii Ladislao exponebant, ejusmodi nuptias tanto Rege non minus indignas, quam regno pernicioſas esse, a proposito tamen illum dimovere haud poterant. Ceterum neo-assumptam Reginam coronandi jus Primatis Poloniæ dignitas Archiepiscopo Gnesnensi asserebat, absentis tamen vices supplevit Archipræsul Leopoldiensis. Verum Gnesnensis veritus, ne id Primatui suo præjudicio esset, jus suum per Synodi decretum confirmari petiit, obtinuitque. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XVI.

Hussitarum furor in Bohemia.

Hussitæ accepto Hieronymi Pragensis supplicii nuncio, indomitis impotentibusque furiis vehementius agitati, omnia ferro flammaque devastant, Sacerdotes trucidant, diripiunt Ecclesias, atque incendiis delent, Verbo, omnia sus deque vertunt; illi etiam, qui ceteris scientia prævalere videbantur, sectæ suæ formulam concinnant, in qua summum Pontificem aliis Episcopis æquiparant; purga- *Boles. Balb. p. 459.*

Sæcul. XV. A.C. 1417.

torium, & suffragia pro defunctis proscribunt, imagines rejiciunt; cuivis promiscue absque speciali missione prædicandi copiam adjudicant; Confirmationem, & extremam Unctionem ex albo Sacramentorum expungunt; Confessionem tanquam ridiculam explodunt; Ecclesias & Oratoria construi prohibent; jejunia, & cessationem ab opere servili in die dominica eliminant; ac denique Communionem sub utraque specie stabiliunt.

§. XVII.

Wenceslai Imperium excutere parati.

Hussitæ huic formulæ subscribunt, & sub eorum Duce Ziscba, & Nicolao de Huffinetz insigni Joannis Hussi fautore exercitum quadraginta armatorum millium colligunt, ut Wenceslaum, quem sibi minus addictum credebant, exauctorarent, ejusque loco quemdam suæ sectæ assectam subrogarent. Quod consilium omnino executioni dedissent, ac forte manus suas Wenceslai sanguine polluissent, nisi Sacerdos quidam, nomine Corenda, ab hoc sacrilego facinore eos absteruisset, quadam adhortatione ad illos facta, eo magis artificiosa, quo minus ipsemet ab eorum genio alienus esset.

§. XVIII.

Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XVIII.

Huſſitæ in Taboritas & Orphanos (*) diviſi.

Ziſcha montem, cui poſtea Tabor nomen erat, aliquot leucis Praga diſſitum deſignabat, in quo Huſſitas conventus ſuos agere, omnique populo Communionem ſub utraque ſpecie adminiſtrari præcipiebat, quod & effecit, inſuperhabita Clericorum repugnantia, & Synodi anathemate.

§. XIX.

Seſſio XXXII.

Die prima Aprilis Patres Seſſionem trigeſimam ſecundam celebrant, cui Imperatorem interfuiſſe, ex actis Synonodi minime perſpicitur. In ea Concilium nominabat duos Cardinales, totidemque Epiſcopos, adjunctis quibusdam Notariis, denuo Benedictum ad valvas Eccleſiæ Cathedralis citaturos. Vocatur tribus vicibus, poſtquam autem hi Deputati nec Petrum de Luna, nec quemquam ſuo nomine comparuiſſe retuliſſent, duobus

Labb. Conc. tom. 12. p. 219.

(*) *De Orphanis conſule Æneam Sylvium Hiſt. Bohem. cap. 47. de illis enim mentionem facere oblitus eſt Continuator.*

Sæcul. XV. A. C. 1417.

duobus illis Benedictinis Paniscola reducibus datum est negotium, denuo legerent scriptam itineris sui seriem, unacum Benedicti responso, qua lectione finita, Synodus Petrum de Luna declaravit contumacem, & septendecim constituit Commissarios, qui causam ejus examinarent, testes contra eum audirent, & in sessione publica eorum depositiones referrent. Hos inter Commissarios duo numerabantur Cardinales, unus Patriarcha, & tres Episcopi. Alia in hac sessione tractata non legimus.

§. XX.

Legati Castellæ ad alloquium admissi.

Vonder Hardt to. 4. p. 1216.

Tertia die ejusdem mensis in Ecclesia Cathedrali habita est congregatio Generalis, in qua octo Castellæ Legati non ita pridem advenientes audiebantur, hi erant, duo Episcopi, totidemque nobiles Viri, ac quatuor Doctores. Aberat Imperator, omniaque sine consuetis solemnibus fuere peracta; nondum enim Castellani Synodum agnoverunt. Exhibebant literas mandati testes, & Episcopus Conchensis eis respondit oratione satis prolixa, cui Cardinalis Vivarensis Præses subjunxit, Patres esse paratissimos, Castellanos Synodo aggregare, imo hunc in finem coivisse, seque eos, quos ingenti desiderio

derio adventuros expectassent, majori jam gaudio recipere, simulque illis ad particularem eorum unionem quævis justa, ac honesta offerre media, ut & ipsi communi cum reliquis studio generali concordiæ tandem perficiendæ adlaborare possent. Hac die Imperator Rudolficellam solemnia Paschatis celebraturus abiit. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XXI.

Castellæ Legatorum tricæ.

Die quarta Aprilis publice affixum est Decretum, quo Petrus de Luna contumax declaratur, itemque edictum Imperatoris contra Ducem Austriæ, rationes continens, ob quas omnia ejus bona occupare coactus fuisset. Castellæ Legati, priusquam Concilio uniebantur, obtulerunt Articulos circa modum, quo futurus Pontifex eligendus esset. Constitutionem vero, qua sine Synodi consensu Papam non esse eligendum sancieba-tur, invitis Cardinalibus conditam fuisse conquesti sunt, postulantes, ut adhibitis quoque Cardinalibus ad electionem procederetur, & loco eorum, qui e natione hispana adhucdum Benedicto adhærerent, novi substituerentur Cardinales. Verum Imperator noluit de Electione novi Papæ, nec de Reformatione Ecclesiæ in capite & membris tractari, priusquam *Schestr. comp. Chron. p.* 58.

Bene-

Sæcul. XV. A. C. 1417.

Benedictus depositus esset. Inde ortæ sunt tricæ, nec Castellani accesserunt Synodo usque ad decimam octavam mensis Junii diem.

§. XXII.

Misniæ Marchio Cæsari indignatus.

Vonder Hardt to. 4. p. 1231.

Interea Imperator decima tertia Aprilis Constantiam reversus, varia negotia tam civilia, quam politica, quæ particulares Germaniæ Principes concernebant, definivit. Venerat quoque Constantiam Fridericus Misniæ Marchio ac Thuringiæ Landgravius, ut ab Imperatore fiduciario ritu Misniam, ac nonnullas Bohemiæ urbes jure belli partas acciperet. Concessit Imperator lubenti animo Misniæ investituram, negavit tamen feuda Bohemica, eoquod frater suus esset Bohemiæ Rex, & ipsemet jure proximus hujus coronæ hæres. Hac repulsa Marchio usque adeo ira accensus est, ut Misniæ etiam investituram acceptare recusans, Constantia excederet, seque jus suum armis contra Cæsarem persecuturum comminaretur.

§. XXIII.

Caussa Benedicti continuata.

Idem pag. 1224. & 1271.

Die vigesima tertia Aprilis Synodi Patres congregantur, perlecturi accusatio-

sationum capita, ex quibus Benedicti depositio urgeretur. Biduo post alia habebatur congregatio, in qua Sarisberiensis Episcopus citatos testes sacramento obstrinxit, quos inter (plurimi enim erant) præcipue recensebantur septem Cardinales, duo Patriarchæ, sex Archiepiscopi, totidemque Episcopi, atque innumeri propemodum Doctores. Equidem Petrus Cauchon Burgundiæ Ducis Legatus in judicio comparere detrectabat, cum vero contumax declararetur, demum & ipse Synodo acquiescens paucis ex post diebus juramentum interposuit. Omnes hi testes præstito jurejurando ad sua reversi sunt. Quibus absolutis Imperator cum Archiepiscopo Rigensi, unoque Protonotario confestim in judicii foro comparuit, jurata quoque fidei capita contra Benedictum antea depositа confirmaturus. Adversus eundem die sexta Maji alii producebantur articuli, qui illius colluſiones, ejusque pertinacem a Pisana Synodo absentiam testatam reddebant. Hæc dum geruntur, nonnulli Doctores de restauranda Ecclesiæ disciplina, necnon de electione summi Pontificis declamare, mentemque suam liberiori lingua aperire audiebantur. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XXIV.

Sæcul. XV.
A. C. 1417.

§. XXIV.

Sessio XXIII. Benedictus declaratus contumax.

Labb. Conc. to. 12. p. 222.

Cuncta hæc viam sternebant ad Sessionem trigesimam tertiam, quæ celebrata est die duodecima Maji, eo duntaxat consilio, ut Commissariorum, qui ad Benedicti inquisitionem denominati fuerant, relationes audirentur. Aderat quoque Imperator cum Electoribus, & S. R. I. Principibus, Cardinale Vivariensi pro more Præsidis vices agente. Re divina per Gnesnensem Archiepiscopum peracta, Cardinalis S. Marci nomine suorum Collegarum provinciæ sibi demandatæ rationem reddidit, declarans, se incassum vocasse Benedictum, articulos contra ipsum propositos examini subjecisse, eosque plurimorum omnis conditionis testium fide jurata comprobatos exstare. Facta hac relatione iterato Benedictus citatur, eo vero nec per se ipsum, nec per suos comparente Episcopus Dolensis prælegit decretum, quo contumax declaratur, cunctaque adversus eum acta promulgari jubentur; Benedicto autem terminus ad diem decimam quintam ejusdem Mensis præfigitur, infra quem præsens se defenderet.

Statuta die tandem appropinquante, ac Benedicto denuo vocato, nec tamen com-

comparente, contumaciæ declaratio iterata est, decernuntque Commissarii, omnem ulteriorem moram omnino abrumpendam, necdum tamen sententiam hanc publicis inserendam esse tabulis. Cum vero ultimum hunc terminum Benedicto præstitutum, nimis angustum esse, nonnulli existimarent, denuo vigesima prima Maji Commissarii congressi sunt, & ad tollendam omnem conquerendi ac cavillandi occasionem has inducias usque ad vigesimam quintam currentis diem esse porrogandas censuerunt, dempto tamen omni comperendinandi jure. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XXV.

Formula eligendi novum Pontificem a Cardinalibus proposita.

Dum de depositione Benedicti agebatur, futuri quoque Pontificis electioni providere constituerunt, sed in diversa abierunt Patrum sententiæ. Imperator, Germani, & Angli hanc electionem differendam censebant, quousque reformatio Ecclesiæ in Capite & membris, salutaribus legibus definita foret; econtra Cardinales cum ceteris Nationibus uniti, creationem Pontificis præmittendam contendebant, eoquod, inquiebant isti, ad Ecclesiæ Caput illam emendare pertineret. Quæ res die vigesima nona Maji præsente Impera- *Vonder Hardt to. 4. p. 1330.*

Sæcul. XV. A. C. 1417.

tore agitata est, eique Cardinales exhibuerunt formulam, qua postulabant, pro hac tantum vice, & citra præjudicium in futurum quælibet Natio totidem nominet Prælatos, vel alios Ecclesiasticos, quot forent Cardinales, qui una omnes ad electionem procedant, item Eligendus ex suffragiis habeat duas tertias Cardinalium, totidemque Deputatorum Nationalium, omnesque eligentes jurato promittant, se sine partium studio, odio, vel acceptione Personarum officio suo functuros, denique, antequam ad electionem procederetur, a Concilio approbatio, simulque decretum petatur, quo eligentibus ad hanc electionem debita concedatur potestas, alias enim formulam hanc suo carituram effectu asserebant. Hujus auctor erat Cardinalis Cameracensis, qui, ut eandem commendaret, hanc in rem postridie in ipso Pentecostes die orationem habuit.

§. XXVI.

Sessio trigesima quarta.

Labbe Conc. tom. 12. p. 223.

In Sessione XXXIV. habita die Sabbati quinta Junii judicii acta contra Petrum de Luna, absente Imperatore continuabantur, necnon ab Archiepiscopo Senonensi re divina peracta Cardinalis S. Marci Sermonem habuit in hæc verba Epistolæ 1. S. Petri cap. 4. *Tempus est, ut veniat*

niat *Judicium de Domo Dei.* Episcopus Dolensis publice legit accusationum capita contra Benedictum delata, atque probata, quæ ad Synodum jam in præcedenti sessione remissa fuere. Post hæc legit Episcopus Lichfeldiensis horum objectorum probationes, Concordiensis vero decretum, quo Synodus Commissariorum acta approbavit, ut jam nil amplius restaret, quam personalis Benedicti citatio ad audiendam ejus sententiam. Sæcul. XV. A.C.1417.

§. XXVII.

Congregatio de modo eligendi Papam.

Die decima sexta Nationes congregantur, ut denuo de forma eligendi Papam deliberarent. Imperator, & qui cum eo sentiebant, ante omnia reformationem Ecclesiæ assumendam constanter urgebant. E diverso Castellani, unacum Cardinalibus clam adhuc Petro de Luna faventibus, sese Synodo aggregare recusabant, nisi prius hæc difficultas esset sublata, unde tantus clamor, tot altercationes subortæ, ut parum abesset, quin totum dissolveretur Concilium. Itaque Congregatio, re infecta finita est. In alia vero eodem die habita tot Virorum studia ad sedandos animos confluebant, ut Castellani tandem expugnati, suæ unioni acquiescerent. *Schelstrat. Comp. chron. p. 59.*

Sæcul. XIV. A. C. 1417.

§. XXVIII.

Sessio trigesima quinta.

(Labbe Conc. tom. 12. p. 224.) Facta est hæc unio die decima octava Junii in Sessione XXXV, præsente Imperatore sub ingenti pompa, & festivis lætitiæ signis. Joannis Castellæ & Legionis Regis Legati, ubi advenerant, se tribus ex causis Constantiam adiisse docebant, nempe, ut Concilium convocarent, illi accederent, & subtractionem suam ab obedientia Benedicti, atque Narbonnensem Capitulationem confirmarent. Postea Petrus de Limburgo publice prælegit mandatum Regis Castellæ datum vigesima quarta Octobris Anno millesimo quadringentesimo decimo sexto, & a Catharina Regis Matre necnon Regni Administratrice, & Archiepiscopo Toletano Magno Castellæ Cancellario subscriptum.

§. XXIX.

Castellæ Legati Synodo aggregati.

(Ibid.) Hac lectione absoluta Ludovicus de Valleoleti, Dominicanus pariter Castellæ Legatus schedulam Concilii convocatoriam legit, & Archiepiscopus Mediolanensis prævia hujus convocationis acceptatione tertium Capitulationis Narbonnensis recitavit articulum, hujus tenoris: *Præfatis de obedientia Benedicti venienti-*

nienti-

nientibus Constantiam, statim fiat unio eorumdem ad Concilium (sic per ejus obedientiam, ut præfertur, nuncupatum) pro faciendo unum universale Concilium. Quo absoluto Ludovicus de Valleoleti acta unionis legit, & Archiepiscopus Mediolanensis vicissim eidem respondit, Cardinale Vivarienſi nomine totius Synodi subjungente, *placet.* Iisdem ritibus facta est unio Henrici Castellæ regii Principis, & Magni Magistri Ordinis Equitum D. Jacobi, qui suos Procuratores ad Synodum miserat. Postea hymnus *Te Deum*, cantabatur, & Cardinalis Vivarienſis Præsidis locum tenebat, demum solitis cæremoniis inchoata sessione, Capitula Narbonnensia solemniter confirmabantur, quæ se servaturam universa Synodus jurejurando promittebat. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XXX.

Protestatio contra Comitem Armeniacum.

Præstito hoc sacramento Henricus de Piro Promotor, nomine Imperatoris, elata voce dixit: Si quis Principis & Comitis Armeniaci mandatarius adesset, libere loqui posset, ad quæ Gersonius Cancellarius assurgens dixit, Legatos Regis Galliæ habere schedulam, ex qua hunc Comitem vestigia Caroli VI. sequi pla- *Monstrelet Vol. I. pag.* 251.

Sæcul. XV. A.C. 1417.

num esset; respondit autem Promotor nomine Cæsaris; declaratione Gersonii Comitem Armeniacum non satis obstringi, cum proprium ipsius mandatum deficeret. Ad quod idem Promotor publice Comiti refragatus est, eoquod Sacramentum, quo se Narbonnense pactum observaturum promiserat, non adimpleverit. Habito sermone per Dominicanum de Valleoleti, sessio finita est.

§. XXXI.

Oratio de reformanda Ecclesia.

Vonder Hardt to. 1. part. 16. p. 823.

Imperator junctis Germanorum, & Anglorum studiis Ecclesiæ reformationem Electioni Papæ præmittendam esse, constanter tenuit, contrariam sentientibus Cardinalibus, Italis, Gallis, atque Hispanis. Hunc in finem quidam Doctor, nomine Stephanus de Praga (forte hic non erat alius quam Stephanus Paletz) die vigesima septima Junii de Reformatione orationem habuit, in qua satis libere exposuit, quam necessaria esset Ecclesiasticæ disciplinæ restauratio; demum Clericorum vitia præcipue Simoniam prolixo sermone insectatus est, adhortans Patres, ut Pontificis electione non exspectata, reformationi operam darent. Hæc oratio Cardinales, qui contrariam fovebant opinionem, non parum irritavit. Quapropter

Itali,

Itali, Galli, & Hiſpani in quodam Nationali conventu Imperatori libellum porrexerunt, petentes, ut Synodus de forma Papam eligendi Decretum conderet, eoquod Cæſari in cauſſis Eccleſiaſticis decernendi, nullum jus eſſet. Magna animorum contentione hæc cauſſa agitata eſt, ſed concluſum nihil. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XXXII.

Imperator Cardinalium dictis acquieseere videtur.

Nihilominus Imperator Cardinalium ſententiæ ceſſiſſe videtur, nam rogatus die octava Julii, ut publicas ſupplicationes pro obtinenda Eccleſiæ ſalutari electione indiceret, conſenſit, juſſitque Conſtantienſem Magiſtratum, ut ejusmodi preces, ac pietatis opera ad proximam diem Dominicam decerneret.

§. XXXIII.

Tractatus Gerſonii contra Flagellantes.

Ad idem tempus refertur tractatus quidam Gerſonii contra Flagellantium ſectam, cujus jam ſupra meminimus, & adverſus omnes, qui publicas flagellationes ſubeunt, licet nulli ſectæ adſcripti eſſent. Præprimis obſervat, quod lex Chri- *Gerſon. to. 2. p. 660.*

Sæcul. XV. A.C. 1417

fti operibus ſervilibus & ſuperſtitionibus careat, cum *hæc maximam ſortiatur virtutem ex miſericordia & gratia ſua, cujus gratiæ vaſa ſunt ſacramenta*, ex quo concludit, errare dicentes, *quod hæc flagellatio potior ſit ad delendum peccata, quam quæcunque confeſſio, vel qui eam æquiparant martyrio*, Præterea, dicit: *Formidandum eſſe, ne apud Perſonas Clericales, & in locis ſacris cauſet hæc pollutio ſanguinis, vel excommunicationem, vel irregularitatem, vel profanationem in eisdem locis ſacris.* Præſertim cum prohiberetur, *pœnitentias publicas dare Clericis, tanto minus debere tales perſonas ſuſcipere pœnitentias hujusmodi publicas.* Haſce flagellationes publicas, eſſe contra *verecundiam juvenum, & gravitatem virorum.* Nihilominus juxta rectæ rationis præſcripta ſuſcipi, *quando fiunt judicio ſuperioris imponentis talem pœnitentiam, & quando ab altero fit, & moderate & ſine ſcandalo & oſtentatione ac ſine ſanguine, quemadmodum fit hujusmodi flagellatio in Religionibus approbatis, & ab aliquibus perſonis devotis.* Econtra flagellationes populares nova ſunt inventio, pernicioſa, ab Eccleſia damnata, excitans mala ferme infinita, quippe *proprii Sacerdotes vilipenduntur, contemnuntur confeſſiones & pœnitentiæ ſacramentales, ſilemus*, inquit, *de furtis, ſtupris, otio* &c. Ex quibus infert, hunc abuſum eſſe eradicandum

dum per exhortationem vehementem & crebram, per leges, & pœnas in refractarios, de cetero, *ſicut non licet ſeipſum propria auctoritate mutilare, niſi pro ſanitate totius corporis conſequenda, ſic nec licet (ut videtur) quod a ſeipſo quis ſanguinem violenter ejiciat, niſi ob cauſam medicinæ corporalis.* Saecul. XV. A. C. 1417.

§. XXXIV.

Ejusdem Epiſtola ad Vincentium Ferrerium, qui flagellantibus favere videbatur.

Præcedentem tractatum excipit Epiſtola Gerſonii ad Vincentium Ferrerium, qui flagellationis exercitio favere credebatur.* Sæpe ſequebatur eum prodigioſa

* *S. Vincentium Ferrerium Sectæ flagellantium faviſſe, omni etiam veroſimili ratione deſtituitur; erronea enim hæc opinio jam a Clemente VI, ut Odoricus Raynaldus ad annum 1349 teſtatur, fuit damnata, datisque epiſtolis, quæ in ejus Regeſto anni octavi exſtant, Præſules & Principes Germaniæ, Poloniæ, Sueciæ, Angliæ, & Galliarum tam vehementer quam ſolicite admoniti ſunt, ut in ſuis Provinciis illud ſuperſtitioſum flagellantium hominum hypocritarum genus coercerent, conventicula diſſolverent, eorumque Magiſtros carceri manciparent; id quod contigit, cum S. Vincentius non-*

Sæcul. XV. A. C. 1417.

gioſa pœnitentum flagris corpus ſuum cruentantium turma, qui ubique poſt eum currebant, illius prædicationes excepturi. Non ergo opportunius erat medium hos flagellantes revocandi, quam ſi ab hoc uſu ipſe reduceretur Vincentius, qua in re tamen caute & prudenter agere oportebat, nam in Arragonia Inquiſitor hæreticæ pravitatis, atque ob plurimos infideles ac hæreticos, quos ad fidem Chriſti reduxerat,

niſi tertium ætatis annum ageret, natus, ut Quetiff & Echard referunt, ſolidiſſimeque probant, anno 1346. Quomodo igitur credibile eſt, ipſum grandiorem factum, Theologum, virumque Apolicum huic ſectæ tot jam annis prædamnatæ, proſcriptæ, ac ferme extinctæ favere potuiſſe, præſertim cum apertam hæreſin contineret? Accedit, quod ejusmodi criminis ſuſpicio nullatenus S. Vincentio objecta reperiatur in actis Canonizationis ſuæ, cum tamen in hoc tribunali, quæcunque etiam minima, quæ vel umbram peccati, aut erroris præſeferre videntur, cenſoria virga rigidiſſime diſcutiantur. Illud quidem credi poteſt, quod ille tanquam Miſſionarius & Prædicator Evangelicus uſum flagellationum ſeu diſciplinas, ut vocant, quas fideles animo pœnitente, moderate, & ſemotis oſtentationibus, ſcandalis ac ſuperſtitionibus ſibi infligunt, approbaverit, quemadmodum & Gerſonius, ut Graveſon tom. 5. Hiſt. Eccl. coll. 3. refert, adverſus flagellantes ſcribens, approbavit.

rat, celeberrimus erat, imo ipse Alphonsus regiam, quam deferebat, Arragoniæ coronam eidem in acceptis retulit, ejusque laboribus, auctoritati, atque consiliis Synodi Patres potissimam partem adscribebant, quod in dicto regno obedientia Benedicto subtracta fuisset. Quocirca Gersonius modeste admodum ad illum scripsit: *Sectam se verberantium nec approbas, ut testantur noti tui, sed nec efficaciter reprobas, jactantur inde varii rumores per populos, quorum multa, etsi neque vera neque credenda censeantur ab illis, qui te intus norunt*, nihilominus cujusdam mali occasio esse possent. Adhortatur eum, ut ad dissipandos hosce rumores strenue se huic usui opponeret, rogatque, ut ipsus Concilium Constantiense accedere velit, flagellantium sectæ damnationem promoturus. In eandem rem anno præcedenti Arragonum Rex bina vice scripsit Vincentio, nec tamen illum horum dictis acquievisse, nec ad Synodum venisse constat, quamvis omnium votis exoptatus fuisset. Incertum quoque est, utrum Synodus circa hanc rem aliquid deciderit.

Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XXXV.

Sessio trigesima sexta. Citatio Petri de Luna.

Die vigesima secunda Julii in Sessione trige-

Sæcul. XV. A. C. 1417.

trigesima sexta, Petrus de Luna ad diem vigesimam sextam ejusdem Mensis vocatur, ut sententiam definitivam contra se ferendam audiret; Cum vero eodem hoc die festum S. Mariæ Magdalenæ incidisset, ac ideo forte citatio utpote in die festo facta, quibusdam nulla ac invalida videri potuisset, Synodus declaravit, quod pro auctoritate sibi concessa omnem, si quis contra hanc citationem allegari posset defectum suppleret. Quinque Episcopi hanc citationem publice recitarunt. Lectum deinde Decretum, quo omnes Bullæ, quas a nona Novembris Anni MCCCCXV in sua obedientia Benedictus evulgavit, rescissæ, atque abolitæ fuerunt, hinc vi hujus decreti Synodus sustulit excommunicationes contra multos Proceres, Clericos, atque sæculares Castellæ Legionis fulminatas, item confirmat, atque ratas habet omnes provisiones in his regnis a Benedicto factas, hac tamen conditione, ut inde nullum fiat præjudicium Arragoniæ, & Navarræ Regibus, ac Magno Rhodiorum Magistro, nec etiam Narbonnensi contraveniatur capitulationi.

Labbe Conc. tom. 12. p. 230.

Bzov. an. 1417. p. 536.

§. XXXVI.

Sessio trigesima septima.

Imperator in priore sessione absens, huic trige-

trigesimæ septimæ die præstituto, scilicet 26 Julii interesse voluit. Indicta erat, ut tandem ad ipsam Benedicti depositionem procederetur. Missa a Cardinale S. Marci celebrata, Patriarcha Constantinopolitanus sermonem habuit in hæc verba S. Joannis cap. 7. v. 24. *Justum judicium judicate.* Promotor exposuit, Benedictum, eoquod non comparuisset, adhuc semel tanquam contumacem esse declarandum, petiitque de citationis in ultima sessione decretæ executione relationem fieri, quod & impetravit. Reiterata citatione, & Benedicto nullatenus comparente Episcopus Dolensis decretum legit, quo sancitum, ut ad depositionem Petri de Luna procederetur, eoquod manifeste contumax esset. Cardinalis Vivariensis, ut Concilii Præses, postmodum sententiam legit, hujus tenoris: Sæcul. XV. A. C. 1417. *Labbe Conc. tom. 12. p.* 233.

§. XXXVII.

Sententia Depositionis Benedicti XIII.

De vultu ejus hoc judicium prodeat, qui sedet in throno, & ex ore ejus procedit gladius bis acutus, cujus statera justa est, & æqua sunt pondera, qui venturus est judicare vivos & mortuos, Domini JEsu Christi, Amen. Justus est Dominus, & justitias dilexit, æquitatem vultus ejus. Vultus quidem Domini super facientes mala, ut perdat *Labbe Conc. tom. 12. p.* 234.

de

Sæcul. XV. A. C. 1417.

de terra memoriam eorum. Pereat, inquit S. Propheta, memoria illius, qui non est recordatus facere misericordiam, & qui persecutus est hominem inopem & mendicum, Quanto magis pereat ille, qui omnes homines & Ecclesiam universalem persecutus est, & turbavit, Petrus de Luna, Benedictus XIII a nonnullis nuncupatus, qui, quantum in Ecclesiam Dei, & universum populum Christianum peccaverit, schisma & divisionem Ecclesiæ Dei fovens, nutriens, atque continuans, quantis quamque frequentibus, devotis, & humilibus Regum, Principum, & Prælatorum precibus, exhortationibus, & requisitionibus, charitative, juxta doctrinam Evangelicam admonitus fuerit, ut pacem daret Ecclesiæ, & illius vulnera sanaret, & ejus partes divisas in unam compaginem, & corpus unum reficeret, quemadmodum ipse juraverat, eratque & diu fuit in sua potestate: Quos tamen charitative corripientes nullatenus voluit exaudire: Quot sint postmodum testes adhibiti, quibus etiam minime exauditis, necesse fuit, secundum prædictam Christi evangelicamque doctrinam dicere Ecclesiæ. Quam quia etiam non audivit, habendus sit tanquam Ethnicus, & publicanus: Capitula in caussa inquisitionis fidei & schismatis, coram præsenti S. generali Synodo super præmissis & aliis contra eum edita, ac illorum veritas & notorietas declaravit manifeste. Super quibus rite & Canonice processo,

ceſſo, ac omnibus rite actis, ac diligenter in- Sæcul. XV.
ſpectis, habitaque ſuper ipſis deliberatione A. C. 1417.
matura: Eadem ſancta generalis Synodus univerſalem Eccleſiam repræſentans, in dicta inquiſitionis cauſſa pro tribunali ſedens, pronuntiat, decernit & declarat per hanc definitivam ſententiam in his ſcriptis, eundem D. Petrum de Luna, Benedictum XIII, ut præmittitur nuncupatum, fuiſſe & eſſe perjurum, univerſali Eccleſiæ ſcandalizatorem, fautorem, & nutritorem inveterati ſchiſmatis, inveteratæ ſciſſuræ & diviſionis Eccleſiæ ſanctæ Dei, pacis & unionis Eccleſiæ impeditorem, & turbatorem ſchiſmaticum, & hæreticum a fide devium, & articuli fidei: unam ſanctam Catholicam Eccleſiam, violatorem pertinacem cum ſcandalo Eccleſiæ Dei, incorrigibilem, notorium & manifeſtum, atque omni titulo, gradu, honore, & dignitate ſe reddidiſſe indignum, a Deo ejectum, & præciſum, & omni jure, eidem in Papatu & Romano Pontificio ac Romana Eccleſia quomodolibet competente ipſo jure privatum, & ab Eccleſia Catholica, tanquam membrum aridum præciſum. Ipſumque Petrum, quatenus de facto Papatum ſecundum ſe tenet, eadem ſancta Synodus Papatu, & ſummo Pontificio Eccleſiæ Romanæ, omnique titulo, gradu, honore, dignitate, beneficiis & officiis quibuscunque, ad omnem cautelam privat, & deponit, & abjicit. Eidemque inhibet, ne deinceps pro Papa, aut Romano & ſummo

Ponti-

Sæcul. XV. A. C. 1417.

Pontifice se gerat, omnesque Christicolas ab ejus obedientia, & omni debito obedientiæ ipsius atque juramentis, & obligationibus eidem quomodolibet præstitis absolvit, & absolutos *fore declarat: Ac omnibus & singulis Christi fidelibus inhibet, sub pœnis fautoriæ schismatis & hæresis, atque privationis omnium beneficiorum, dignitatum, & honorum, ecclesiasticorum & mundanorum, & aliis pœnis juris, etiamsi Episcopalis, Patriarchalis, Cardinalatus, Regalis sit dignitas, ac Imperialis. Quibus si contra hanc inhibitionem fecerint, sint auctoritate hujus Decreti & sententiæ ipso facto privati, & alias juris incurrant pœnas: Ne eidem Petro de Luna schismatico & hæretico incorrigibili, notorio, declarato & deposito, tanquam Papæ obediant, pareant, vel intendant, aut eum quovis modo contra præmissas sustineant, vel receptent, sibique præstent auxilium, consilium, vel favorem. Declarat insuper, & decernit, omnes & singulas inhibitiones, omnesque processus, sententias, constitutiones, & censuras & alia quæcunque per eum factos, factas, & facta, quæ possent præmissis obviare, irritos, irritas, & irrita, atque irritat revocat, & annullat. Cæteris pœnis, quas in præmissis casibus jura statuunt, semper salvis.*

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Sæcul. XV. A. C. 1417.

Sententia ab Universa Synodo approbata.

Lecta hac sententia Episcopus Dolensis nomine Concilii alta voce dixit: *Quamvis in processu causæ hujusmodi nullus posset defectus allegari, tamen sancta Synodus ad superabundantem cautellam omnes supplet defectus, si qui interveniissent.* Ad quæ nomine totius Concilii Præses respondit. *Placet.* Deinde cantato Hymno: *Te Deum* &c. soluta est sessio. Eodem die etiam jubente Imperatore hæc Benedicti depositio sonantibus tubis per universas Constantiensis urbis plateas publicata fuit; quo facto pro sequenti sessione disponebantur necessaria.

§. XXXIX.

Sessio trigesima octava.

Die vigesima octava Julii habita est Sessio, numero trigesima octava, cui Imperator non intererat. Missam cantavit Episcopus Assisinatensis. Ante omnia lectum est Concilii Decretum, quo omnes sententiæ, censuræ, Bullæ Benedicti XIII contra Legatos, propinquos, & familiares Regis Castellæ, & Henrici Castellæ Infantis a prima die Aprilis An. MCCCCXVI. latæ irritantur. Postea e natione Hispa- *Labbe Conc: to. 12. p. 236.*

Sæcul. XV. A. C. 1417.

na quidam Commissarii adjunguntur illis, qui jam pro caussa Episcopi Tridentini nominati erant. Quia vero Lusitaniæ & Castellæ Legati contradixerant privilegio Regi Arragoniæ concesso, vi cujus pro Prælatis, aliisque Ecclesiasticis ditionis suæ ultra citraque mare sitæ jure suffragii gaudebat, & dicti Legati hanc concessionem Narbonnensi pacto contrariam esse contenderant, ideo Synodus decrevit, Regem Arragoniæ hoc jure non amplius uti posse. Aliud quoque editum erat Decretum, quod *Speransin Deo*, unus ex Legatis Arragonensibus impugnavit, prætexens, illud a Nationibus conditum non fuisse. Cum vero ceterarum Nationum Deputati, hoc decretum a Nationibus fuisse confectum testarentur, illud in suo vigore permansit.

§. XL.

Dissidia Cæsarem inter & Cardinales ob electionem Pontificis.

Vonder Hardt to. 4. p. 1415.

Peracta Benedicti depositione duo tantum negotia absolvenda supererant: nempe, reformatio Ecclesiæ in capite & membris suis, & electio Papæ. Verum quænam ex his duabus caussis prius assumenda foret, perpetua lis erat inter partes. Reformationem Ecclesiæ præponendam esse Pontificis creationi Imperator

perator contendit, Cardinalibus contrarium sentientibus, quibus etiam Archiepiscopus Genuensis adstipulabatur. Utrinque toto mense Augusto hac de re tractatum, acriterque disceptatum. Gallus quidam nomine Bernardus *Baptizatus* Abbas ex Ordine S. Benedicti in favorem prioris sententiæ orationem, aliamque aliquot ex post diebus de eodem argumento quidam Doctor, nomine Theobaldus habuit, & in utraque præcipue vero in prima corrupti Clericorum mores vivis admodum depinguntur coloribus. Sæcul. XV. A. C. 1417.

Illis, quibus præmittendam esse electionem præplacuit, sui quoque non deerant Oratores. In festo S. Ludovici, Cardinalis Cameracensis in eandem sententiam verba fecit, & quamvis Clerum reformandi necessitatem multis demonstraret, tamen Ecclesia Capite suo destituta, hoc fieri non posse contendit, affirmans: *quæ major est, & esse potest deformitas in corpore, quam carere capite, & acephalum esse?* & prosequitur: „ Nulla „ reformatio magis est necessaria, quam „ promptissima per electionem Canoni„ cam constitutio Capitis, ab hac ini„ tium petendum, quia in maximo peri„ culo est Ecclesia, si capite caret. Ast „ hæc Electio tam necessaria infinitis „ dissensionibus impeditur, & dum unio„ nem intendunt, dissensionem faciunt.

Sæcul. XV. A C. 1417. „ Nonne verendum est, ne in mediis hisce dissidiis illud Scripturæ S. adimpleatur: *Omne regnum in se divisum desolabitur.* „

§. XLI.

Res Hussitarum in Bohemia.

Cochlæ. Hist. Hussit. Universitas Pragensis de administranda Communione sub duplici specie, statutum condidit, quo majorem Cleri & populi partem huic errori involvit. Wenceslaus quoque metu adactus, multas Hussitis concesserat Ecclesias, in quibus Sacramentum Calicis ministrarent. Bohemiæ Clerus huic ut novitati sese opponeret, nil intentatum reliquit, sed nullo valido fulciebatur præsidio; Imo ipse Wenceslaus tantum aberat, ut regia auctoritate turbas sedaret, quin econtra, Praga relicta in quoddam castrum secederet, suoque genio ibidem indulgeret, cum interea in toto suo regno proximum seductionis periculum immineret, ac quævis flagitia, & rapinæ impune exercerentur.

Æn. Sylv. hist. Bohem. c. 36.

§. XLII.

Turbæ ac cædes in urbe Pragensi perpetratæ.

Interea temporis Hussitæ ædes Sacerdotum diripiunt, atque in Prætorium urbis

bis irrumpunt, ubi ex octodecim alias ibidem commorantibus septem duntaxat Senatores, ceteris fuga dilapsis, comprehendunt, eosque in lancearum & veruum cuspides, quas seditiosi infra stantes erigebant, e fenestris crudeliter projiciunt. Nec mitiora experiebatur fata supremus Pragæ Ædilis, civesque re ac fortunis auctiores, qui iniquissimo tempore in Prætorium tanquam Asyli locum confugerant. Camerarius quoque regni, ubi furentem populum Prætorii spoliis necdum satiatum in suas etiam ædes ruere animadvertit, cum trecentis Equitibus ad sedandos rebellium tumultus accurrere festinat, spe fretus, quod ejus præsentia horum furorem placaret. Verum Hussitæ dignitatem Viri haud amplius reveriti, exiguumque Equitum numerum aspernati, jam jamque eos aggredi parabant, dum Camerarius de sua vita sollicitus opportune fuga sibi consulit, ad arcem, qua Wenceslaus sese nuper receperat, toto pedum studio contendens. Sæcul. XV. A.C. 1417.

§. XLIII.

Gersonii tractatus de Communione Laicorum sub utraque specie.

Tantis malis prompta a Synodo adhiberi remedia, maximæ prorsus difficultatis res erat. Nihilominus Patres nullum *Gerson. to. 1. p. 2. p. 57.*

Sæcul. XV. A. C. 1417.

non movebant lapidem, ut Laicos a Communione sub utraque specie arcerent. Quapropter Gersonius Synodi jussu composuit tractatum in quadam Congregatione publice prælectum. In eo docet, quod, quamvis scriptura sacra sit regula fidei, tamen quamdam expositionem recipiat, & interpretationem, quæ ultimo universalis Ecclesiæ auctoritati innitatur: hoc probat ex ipso modo, *quem tenent hæretici, qui doctores, & tales sæpe, qui sunt aliquando nullius auctoritatis & ponderis, valde diligenter allegant pro suis assertionibus colorandis & corroborandis.* Postea in secunda parte sui tractatus impugnat errorem docentium, Communionem sub utraque specie Laicis necessariam esse ad salutem, & cur calix merito Laicis subtractus fuerit, rationes proponit, quas præcipue fundat in multiplici periculo, irreverentia & scandalo, quod ex communi utriusque speciei sumptione oriebatur.

§. XLIV.

Epistola Imperatoris ad Bohemos.

Apud Vander Hardt p. 1048.

Imperator Gersonii argumentis permotus, ipsus ad Bohemos dedit Epistolam, quæ erat inscripta Incolis Launæ oppidi vel vici Bohemiæ, ubi Hussitarum secta altiores egit radices. In præfatis literis

literis exponebat, se magno animi fui dolore intellexisse, quod, licet Wenceslaum & Nobiles iterato adhortatus fuisset, indies tamen mala crescerent, ac Clericis omnino expoliatis, sanctissima quæque polluerentur, ipsique Viri Ecclesiastici ejusmodi profanationibus consentire cogerentur, ac præterea Laici innumeris ferme crudelitatibus Sacerdotes vexarent, atque carceribus mancipatos atrocissimis cruciatibus ad abjurandam fidem orthodoxam compellerent, necnon palam adversus Constantiensis Synodi Decretum de Communione frivola edicta affigere præsumerent. Accusat quoque Wenceslaum, tanquam horum criminum fautorem, aut saltem in hac caussa pernicioſæ conniventiæ reum. Epistola hæc data est tertia Septembris, sed optato effectu caruisse videtur, Hussitarum enim furor non deferbuit, imo contra ipsum Sigismundum insurrexit. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XLV.

Dissidia inter Bavariæ Duces.

Sub idem tempus fervida contentio inter Duces Bavariæ exorta, non modice turbavit Constantienses Patres. Jam ante aliquot menses Guilielmus, & Ernestus fratres, ac Bavariæ Duces, itemque Henricus eorum Patruelis Constan- *Idem to. 4. p. 1221.*

Sæcul. XV. A.C. 1417. tiæ advenerant, ut adversus Ludovicum Bavarum Lineæ Ingolstadiensis, eorum cognatum & Caroli VI. Galliarum Regis fororium judicum opem implorarent: Ille enim opibus auctus, quas ferventibus Gallorum dissidiis cumulaverat, in Bavariam rediit, ubi prospera forte elatus adversus conjunctos Duces, aliosque vicinos Principes atrocem exercuit tyrannidem (*). Idem quoque coram Imperatore actionem instituit in Guilielmum Ernestum, & Henricum, divisionem Bavariæ suo damno factam, annuamque pensionem sibi stipulatam non fuisse solutam conquestus. Comparuit in Comitiis statuum Imperii, petiit dilationem, variisque tergiversationibus moram nectere conatus, Cæsarem insolentioribus verbis insecta-

(*) Parcius ista Viro! similia fideliores tacent Annalistæ Boici, quamvis in aliis Ludovico non parcant, quæ tamen omnia vera pœnitentia diluit. Trithemius Chron. Duc. Bav. de eo scribit. *Vir erat probus, justus & sanctus*, ac de ejus laudibus librum exarandum esse testatur. Ipse Hybner. part. 5. l. 2. fol. 325. de eo refert: Was er sonst im Vermögen hatte, das gab er den armen Leuthen, dergleichen er fast alle Tage tausend auf seine Unkösten *tractiren* ließ. Hæc sane tyrannidem non indicant,

infectatus est. Hæc tamen causſa decisa non fuit, & Duces, animorum exacerbatione immoderatius crescente, totum negotium ad aliud tempus idque opportunius differendum censuerunt. Sæcul. XV. A.C.1417.

§. XLVI.

Turbæ in Galliis.

In Gallia dominandi libido usque adeo Ducis Burgundi obsedit animum, ut Calleti colloquio cum Rege Angliæ habito, inducias pro suis duntaxat ditionibus renovaverit, qua agendi ratione quodammodo fidem dederat, se Regi nullas unquam suppetias subministraturum. Caleto demum Valentianas profectus, Guilielmum Hannoniæ Comitem, necnon Delphinum generum suum invisit, qui omnes tres de mutuo contra hostes suos auxilio juratum fœdus iniere. Tunc primum Delphinus aperte contestatus est, se Armeniacorum familiæ adversaturum, promisitque Burgundo, se nunquam nisi eo comite aulam repetiturum. Quapropter inter eos sancitum, Hannoniæ Comes ad aulam regiam sese conferret, ut juxta præconcepta consilia inceptam pertexeret telam, Delphinum tamen Compendii relinqueret. Hic postquam veniam redeundi pro Burgundo obtinere nequiverat, Delphinum secum reducere *Juv. Ursin. Hist. Car. VI*

Sæcul. XV. A.C. 1417. comminatus est, quo comperto ipsummet captivum detinere statuerunt, donec Delphinum Patriæ reddidisset, ille vero cognito eorum consilio clam auffugit. Ut autem mala ex hac confœderatione oritura prævenirentur, Delphino ejus genero venenum propinabatur, quo & die decima octava Aprilis mortem oppetiit.

§. XLVII.

Delphini obitus.

Delphino e vivis erepto, hunc necnon Turoniæ Ducis titulum unacum jure successionis in Franciæ Regno adeptus est Carolus ejus Frater, juratus Ducis Burgundi hostis. Hujus socer Andegavensis Dux in suspicionem trahebatur, quod duobus fratribus natu majoribus, ut Generum suum in solium evehere posset, mortem procurasset, attamen si vera fuerit accusatio, certe gaudium e scelere natum non fuit admodum diuturnum; nam ipsus adhuc mense Augusto vita functus est. Interea vero Rex, Delphinus, & Parisiensis civitas Connestabilis Armeniaci imperio subdita erat, atque ejusdem potentiæ sola Regina quodammodo frænum injiciebat: sed & ipsa Armeniaci artibus aula exire, & Turonium tanquam captiva tendere jussa est, cujus facinoris nunquam obliviscI poterat Regina,

gina, semper inimica tam Armeniaco, quam Delphino Filio suo, cujus assensu, licet decimum sextum duntaxat ætatis annum ageret, hanc sibi illatam fuisse injuriam noverat. Sæcul. XV. A.C.1417.

§. XLVIII.

Universa ferme Normannia ab Anglis subacta.

Armeniacorum consilia peropportuna acciderant Burgundiæ Duci, ut conciliatis sibi pluribus urbibus, earum ope Regi libertatem procurare posset. Magna Campaniæ pars, Picardia, & Insula Franciæ Ducem ambobus brachiis excipiebant, utpote qui cunctas pecuniarum exactiones abolebat. Hic ipse Corbelium obsidione cinxit, quam tamen brevi solvere coactus fuerat, ut Turonium veniret, ubi frequentius cum Regina colloquebatur, quæ deambulationis obtentu ad majus Monasterium vulgo *Marmoutiers* dedita opera accesserat. Demum etiam Burgundum Trecas usque comitabatur, ab eoque temporis articulo regni administrationem sibi arrogabat. Interea vero Angli dissensionum opportunitate usi, res suas continuato victoriarum cursu plurimum augebant, suæ enim potestati subjecerunt Cadomum, Bajocum, Falesiam, Argentonium, Alensonium,

Sæcul. XV. A. C. 1417

nium, totamque ferme Normanniam, excepto Chereburgo, quod tribus omnino mensibus hostium impetus elusit.

§. XLIX.

Locus pro conclavi selectus.

Vander Hardt to. 4. p. 1394.

Cum omnia studia ad novi Pontificis electionem intenta essent, præprimis de loco ad proximum conclave opportuno Patres deliberabant, tandemque publicam Mercatorum domum (*) alias *Bursam* dictam designabant, nec dissentiente Imperatore; fors enim sibi persuasum habebat, providam hanc Patrum dispositionem haud obfuturam, quominus reformationis negotium ceteris præferretur. Ast non eadem erat Cardinalium sententia; hi enim, ut votis eorum intentus colluderet successus, nullum non movebant lapidem. Quinimo libellum quemdam sat contumeliosum divulgare ausi sunt, in quo Germanos velut Hussitarum fautores traducere non dubitarunt, eoquod Pontificis electioni obluctarentur, docerentque, quod Sede Apostolica certo vacante, Canones Papam eligi prohiberent, atque Ecclesia sine dispendio Acephala permanere valeret, donec reformatio

(*) *Legitur in actis Concilii:* major domus Communitatis.

formatio Papæ, Cardinalium, ac Romanæ curiæ executioni data esset. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. L.

Libellus de necessitate eligendi Pontificem.

Addidit citatus libellus, schismaticos, atque Synodi perturbatores esse illos omnes, qui sub quocunque prætextu absque speciali Concilii mandato Imperatori quamdam jurisdictionem in Clericos attribuerent. Postea protulit argumenta, quæ promptam summi Pontificis electionem evincant, nempe diuturnitatem Concilii, impendentis pestilentiæ metum, Cæsaris ac nonnullarum Nationum contentiones, ac denique bella in quibusdam regnis, absentibus eorum Principibus exorta. Nec inter ceteras infima erat ratio, modica spes reformationis utiliter stabiliendæ, eoquod jam integro biennio Patres nequidem de præcipuo illius articulo, nimirum de statu Pontificis, & Cardinalium collegii convenire potuerint. Tandem cuncta, quæ objici possent, in præfato libello confutantur rationum momenta; hæc inter erant, Papam, si semel electus foret, ipsummet Ecclesiæ reformationem impediturum, Concilium quoque libertatis suæ jactu- *Id. p. 1415.*

ram

Sæcul. XV. A. C. 1417.

ram facturum, ac denique cunctos Synodi Patres domum reversuros.

§. LI.

Sarisberiensis Episcopi obitus.

Id. ib. p. 1414

Sincera Imperatoris studia pro restauranda Ecclesiæ disciplina intempestive funesta intercepit mors Roberti Halam Sarisberiensis Episcopi, quarta Septembris die fatis functi, hic enim Sigismundum ad prosequendum reformationis negotium potissime stimulaverat. Ejus quoque jussu, priusquam Pisanæ Synodo initium datum esset, quidam Doctor Oxonienſis quoddam elucubravit opusculum, cui titulus: *Quæstiones de reformatione Ecclesiæ militantis*. Hunc ipsum libellum Sarisberiensis secum Pisas, dein Constantiam detulit, eo fine, ut reformationem persuaderet. Angli quoque, quamdiu Robertus vita superstes erat, Cæsarem in urgendo restaurandæ Ecclesiæ studio strenue obfirmabant, eo autem vivis erepto, & linguam & mentem mutabant. Obiit Episcopus Gottlebiæ die quarta Septembris, cujus corpus postera die Constantiam delatum, solemni pompa in Ecclesia Cathedrali die decima tertia ejusdem Mensis terræ mandatum est, ejusque exequiis Imperator, Principes & Cardinales cum universo Clero intererant.

rant. Hunc Joannes XXIII, Onuphrio teste, Cardinalem Presbyterum creavit Anno Domini millesimo quadringentesimo undecimo; attamen acta Concilii illum hac prærogativa nuspiam honorant. Sæcul. XV. A.C.1417.

§. LII.

Congregatio Nationum pro electione Pontificis.

Quinta ab obitu Episcopi die seu nona Septembris in Ecclesia Cathedrali conventum celebrarunt Nationes, ut de electione, ac revocanda disciplina deliberarent. In ea Cardinales unacum Italis, Gallis atque Hispanis exhibebant libellum, in quo de dilata Pontificis electione gravi verborum vi conqueruntur, asserentes, timendum fore, ne ejusmodi cunctatio Ecclesiam inficeret schismate novo, eoque magis insanabili, quam præsens esset, cui medelam quærere hucusque satagunt. His subjungunt, Cardinales unacum tribus Nationibus, quæ sese illis associassent, haud segniori quidem erga reformationem fervere studio, hanc tamen omnino electioni Pontificis præponendam, haud sibi videri, eoquod nil magis deforme in Ecclesia esset, quam corpus sine capite, aliunde vero reformationem electioni præmittere, perinde esse, ac si Concilii decretis, necnon Narbonensi *Ibid. p. 1419.*

Sæcul. XV. A.C. 1417.

nensi Capitulationi ex composito refragaretur, cum in illis unio Ecclesiæ constanter reformationi præponeretur; tandem asserebant, ex viginti quatuor Cardinalibus duos duntaxat Imperatoris sententiæ accedere, qui sibi pudori ducerent, confratrum suorum Collegium deseruisse.

§. LIII.

Cæsar ob Cardinalium libellum indignatus.

Cardinalium libellus tantopere Cæsaris animum commoverat, ut ulterioris lectionis impatiens, indignabundus cum Patriarcha Antiocheno e cætu abiret. Hujus dissidii occasionem Oratores Castellani, qui jam antea cum Arragonensibus de Sedis prærogativa contenderant, opportune in rem suam vertentes, Constantia excedebant; verum Imperator paucis ab urbe stadiis comprehendi jussos redire compulit. Idem quoque Cardinalibus inhibuit, ne sequenti die vel in Ecclesia Cathedrali vel in Episcopali Palatio convenirent; hi autem Imperatoris indignationem veriti, Electorem Brandeburgicum, necnon Senatum Constantiensem adibant, securitatis literas impetraturi, ut & ipsis tuto discedere liceret. Verum Elector eos, ut subsisterent, induxit.

§. LIV.

§. LIV.

Sæcul. XV. A.C. 1417.

Altera Cardinalium congregatio pro electione Pontificis.

Nec tamen propterea Purpurati vel latum unquem a propoſito ſuo dimoveri poterant, ſed ſequenti die undecima Septembris denuo congregantur, ac libelli ſui lectionem, quæ nuperrime ob Cæſaris diſceſſum interrupta erat, abſolvunt. Refert Schelſtratus, quod Sigismundus perſpecta Cardinalium conſtantia, primo omnes carceribus mancipare decreverit, poſtea tamen nonniſi ſex eorum incluſerit, octo quoque Epiſcopos relegandi conſilium cæperit. Aſt mitiſſimum Principem adverſus neutrum eorum quicquam tentaſſe, longe credibilius eſt. Interim Cardinalium firmitas adeo expugnari non poterat, ut Senenſem etiam ac Bononienſem Cardinales, Patriarcham Antiochenum, Mediolani Archiepiſcopum, atque Adrienſem Antiſtitem, qui Cæſari hucusque ſuffragabantur, ad ſuas traherent partes, quibus demum & Angli acceſſerant.

§. LV.

Germanorum libellus pro reformatione.

Germani his minime territi, nequaquam victas dederunt manus, ſed Synodo

Sæcul. XV. A.C. 1417. obtulerunt libellum, partim ut objectum sibi Hussitarum favorem, ac schismatis propagati crimen diluerent, partim ut operosius Papam eligendi studium nimis præcox esse demonstrarent. Exponunt igitur, Ecclesiæ ex eo, quod Sedes Apostolica vacaret, haud adeo grave, ut illi perhiberent, imminere periculum, cum interea Synodus legitime congregata Capitis Ecclesiæ vices suppleret, schisma autem ex corruptis Cleri moribus ortum traxisset, itaque ad præcavenda ejusmodi mala salutari incumbendum esse reformationi, atque huic tanquam solidæ basi ac fundamento proximam Pontificis electionem superstruendam fore; agi equidem de præficiendo Ecclesiæ Capite, condignæ ergo Personæ selectum ab illibatæ vitæ Viris esse suscipiendum, alias enim Prælatum, quem in Papam eligi contingeret, quantacunque demum sanctitate fulgeret, iisdem pollui sordibus, quibus Ecclesiastici, atque inter eos primis honoribus clari contaminati essent, proin quasi in tenebris ac dubio pede incessurum, utpote purioris lucis ac regulæ ducibus destitutum; eundem vero, si probatæ reformationis Canones conderentur, in his quasi inexpugnabile scutum, atque munimentum certo habiturum, quibus omnes iniquas, atque importunas quorumcunque preces facile avertere

vertere posset. Tandem Natio Germana omnes impendit vires, ut in tam salutari proposito Cardinalium assensum sibi conciliaret. Sæcul. XV. A.C. 1417.

§. LVI.

Germani Cardinalibus accedere sollicitati.

Verum libellus iste, quamvis justitiæ ac prudentiæ legibus inniteretur, nihilominus Cardinales in sua sententia vehementius obfirmabat, adeo, ut & Germanos, sicut antea Anglos, ad sua studia pertraherent; Joannem quoque de Wallenrod Rigensem Archiepiscopum, necnon Joannem Abundi Episcopum Curiensem sibi propitios reddere satagebant, quod ambos magna apud Cæsarem gratia valere, probe nossent, cumque horum primus ad suum Archiepiscopatum tuto redire non posset absque gravi persecutionis periculo, quod sibi ab Equitibus Ordinis Teutonici, cui ejus Ecclesia subjecta erat, adhucdum infensis imminebat, ideo Cardinales eidem Leodiensem Episcopatum promittunt, ea tamen lege, ut in Electionem Papæ reformationis negotio præmittendam consentiret. Annuit Archiepiscopus Cardinalium votis. Episcopo autem Curiensi, utpote qui Fridericum Austriæ Ducem sibi in-

Sæcul. XV. A C 1417.

sentissimum habuit, Archiepiscopatum Rigensem, quamprimum Papa electus esset, stipulati sunt, hinc nec iste ultra eis restitit.

§. LVII.

Natio Germana, & Imperator Cardinalibus cedunt.

Vander Hardt to. 4. p. 1427.

Devictis hisce Præsulibus, ceteri quoque ex Natione Germana cesserunt, & Imperator ab omnibus se derelictum comperiens, ipsus denique in electionem Papæ consensit, hac tamen lege, ut Pontifex immediate post electionem, imo etiam ante coronationem suam reformationis aggrederetur negotium, idque juncto Synodi consilio perficeret, nec Constantia discederet, donec totum opus absolutum esset, prout Cardinales Archiepiscopo Rigensi, & Curiensi Episcopo promisissent. Hac tandem via composita est hæc diuturna adeo & vix non dissolutionem Synodi spectans dissensio. Die vigesima tertia Septembris nominati sunt duo Cardinales, quinque Episcopi, unus Abbas, & alius Auditor Rotæ, qui jurgia inter Legatos Castellæ, Arragoniæ & Lusitaniæ circa præsidendi jus exorta terminarent: ast horum decisionem ignoramus.

§. LVIII.

Sæcul. XV.
A.C.1417.

§. LVIII.

Cardinalis Florentini obitus.

Die vigesima sexta Septembris Synodus amisit illustrissimum corporis sui membrum, Franciscum Zabarellam sub nomine Cardinalis Florentini toti orbi notissimum. Rumor erat, infirmitatem ejus ortum traxisse ex immoderato animi æstu, quo in quapiam Congregatione undecima Septembris die habita pro electione Pontificis reformationi Ecclesiæ præmittenda vehementius perorasset. Certum est, quod ex isto cœtu adversa valetudine correptus discesserit, & Poggius Florentinus in sua oratione funebri coram toto consessu habita testatur, Cardinalem, ubi in præfata congregatione morbo se corripi senserat, elata voce prænunciasse, sermonem, quem tunc dixisset, totius suæ vitæ ultimum fore. Creatus est Cardinalis a Joanne XXIII, & omnium Historicorum testimonio constat, illum fuisse Virum, ingenio, prudentia, ceterisque virtutibus longe præstantissimum, eundemque, si electioni Pontificis supervixisset, hac dignitate augendum fuisse; neminem enim, ex toto Cardinalium collegio digniorem seligi potuisse, communis erat opinio. Die post obitum ejus secundo

Pogg. hist. Florent.

Sæcul. XV. A.C. 1417.

ingenti pompa in Ecclesia PP. Franciscanorum sepultus est, sed post quindecim dies corpus ejus Patavium translatum fuit, ubi denuo ipsi oratione funebri parentatum. Scripsit quosdam commentarios in S. Scripturam, Jus Canonicum, & de reformatione, & unione Ecclesiæ, quorum tamen notitia Dupini solertiam effugit.

§. LIX.

Sessio trigesima nona.

Lab. Conc. tom. 12. p. 238.

Die nona Octobris habebatur sessio trigesima nona, cui Imperator interfuisse non videtur. Præcipua erat Patrum cura, ut certos quosdam reformationis articulos, antequam Pontifex eligeretur, definirent.

§. LX.

Decretum de celebrandis Conciliis.

Ibidem.

Lecta quoque nonnulla decreta, inter quæ præcipuum respiciebat Conciliorum celebrationem, tanquam efficaciorem viam, qua hæreses, atque schismata præcaveri atque extinqui, corrupti mores, & abusus corrigi, ac demum Ecclesia in suo decore conservari posset. Igitur Synodus perpetuo sanxit edicto, *ut amodo Concilia generalia celebrentur, ita quod primum a fine hujus Concilii in quinquennium immediate sequens, secundum vero a fine*

fine illius immediate sequentis Concilii in septennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur in locis, quæ summus Pontifex ante finem cujuslibet Concilii, approbante & consentiente Concilio, assignabit. Si vero casus obsidionis, guerrarum, pestis, aut similis occurreret, tunc liceat summo Pontifici de Cardinalium consensu alium locum subrogare, terminum quoque abbreviare, sed nullatenus ..... prorogare, quam tamen loci mutationem vel termini abbreviationem per annum ante præfixum terminum indicare teneatur.

Sæcul. XV. A.C. 1417.

§. LXI.

Decretum adversus Schismata.

Secundum Decretum respiciebat schismatum tempora, & pro tali casu statuit: *Quod a die, qua duo vel plures Pontificatum publice assumpserint, intelligatur terminus Concilii ad annum proximum abbreviatus, & sint omnes de Papatu contendentes, postquam ipsum Concilium incæptum fuerit, ipso jure ab Administratione suspensi .... ad quod Concilium Imperator Reges, & Principes vel personaliter, vel per solemnes nuntios concurrant.* Insuper decernit, *quod in fine cujuslibet Concilii, & quandocunque Romani Pontificis electio imminebit facienda ante ingressum conclavis hoc decretum legatur.*

Ibid. p. 239.

Sæcul. XV.
A. C. 1417.

§. LXII.

Decretum de Professione fidei a Papa emittenda.

Ibid. p. 241. Tertium Decretum continet formam professionis fidei, quam quilibet deinceps in Romanum Pontificem eligendus, antequam ejus electio promulgaretur, coram suis Electoribus emittere teneretur. En formam illius a Synodo præscriptam: *In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Anno N. mense N. Ego N. omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & B. Petro Apostolo corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere fidem Catholicam, secundum traditiones Apostolorum, generalium Conciliorum, & aliorum sanctorum Patrum maxime autem S. octo Conciliorum universalium, & illam fidem usque ad unum apicem, immutilatam servare & usque ad animam & sanguinem confirmare, defensare, & prædicare, ritum quoque Sacramentorum Ecclesiæ Catholicæ traditum omnimode prosequi, & observare.* Nec silentio prætereundum censeo, quod Synodus in hac formula nominatim octo illa Concilia generalia enumeraverit, videlicet, primum Nicænum, secundum Constantinopolitanum, tertium Ephesinum, quartum Chalcedonense, quintum & sextum Constantinopo-

tinopolitanum, septimum item Nicænum, octavum quoque Constantinopolitanum, præter alia Concilia œcumenica, Lateranense, Lugdunense & Viennense. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. LXIII.

Decretum de translationibus.

Quartum decretum disponit de translationibus Beneficiorum, *Cum ex Prælatorum translationibus*, verba sunt Concilii, *Ecclesiæ ipsæ plerumque gravibus in spiritualibus & temporalibus subjaceant dispendiis, Prælati quoque nonnunquam jura & libertates Ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo solerter prosequantur, ne ad importunitatem quorumdam, sua & non quæ JEsu Christi quærentium, Romanus Pontifex forsan ut homo facti nescius, in hujusmodi circumveniatur, aut alias leviter inclinetur, statuimus, & ordinamus ejusmodi translationes absque magna & rationabili caussa, quæ vocata parte cognita fuerit, & decisa de consilio Cardinalium vel majoris partis eorumdem & cum subscriptione de cætero fieri non debere.* *Ibid. p. 241.*

§. LXIV.

Decretum de spoliis Episcoporum, & procurationibus.

Quintum Decretum concernit spolia Episcoporum, seu beneficiorum vacantium, *Ibid. p. 242.*

Sæcul. XV. A. C. 1417

tium, & procurationes, id est, præstationes omnium, quæ Episcopis Visitantibus, pro eorum sustentatione & dignitate status tuenda necessaria sunt. Cum Pontifices sæpe ejusmodi procurationes, eas nempe sibi reservando, sibimetipsis appropriaverint, & collectores ad eas exigendas miserint, Synodus hunc abusum omnino abolet. Item quia Pontifices nominationem ad certa beneficia unacum eorum reditibus, quamdiu vacaverint, sibi reservaverant, ideo Concilium statuit; *quod quorumcunque Clericorum etiam in Curia Romana decedentium spolia seu bona eorum mortis tempore reperta plene & libere pertineant illis, quibus alias competere deberent*, cunctis quoque Clericis hujusmodi spoliorum exactiones interdicit, additque *constitutione felicis recordationis Bonifacii VIII, quæ incipit: Pro Præsenti, super hoc edita specialiter in suo robore duratura.*

§. LXV.

Imperator inter Bavariæ Duces pacem conciliare conatur.

Finita sessione Sigismundus, ut dissidia inter Bavariæ Duces exorta componeret, comitia ordinum Imperii indixit, sed siniſtro successu. Nam Ludovicus Ingolstadiensis lineæ, nimium feroci suo indulgens genio, usque adeo insultavit Hen-

Henrico Patrueli suo, ut eum furem, perfidum, imo & Nothum appellaverit. Henricus Imperatoris præsentiam reveritus, in flagranti injuriam ulcisci distulit, eodem tamen adhuc die quibusdam Nobilibus, suisque familiaribus stipatus equum conscendit, Ludovicum per plateas euntem aggressurus. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. LXVI.

Henricus Bavarus Ludovicum Patruelem suum vulnerat.

Obvius ei venerat Ludovicus, comitantibus eum ephebis suis, quem e convivio Cæsaris domum redeuntem Henricus stricto ense in platea aggreditur, eumque pluribus plagis afficit. Ludovicus tamen, quamvis sauciatus esset, opportuna dexteritate Henrico arma excussit, illumque gladio transfixisset, nisi Nobiles eundem comitantes in tempore opem tulissent, tanto furore in Ludovicum irruentes, ut semianimis ex equo decideret. Imperator comperto fatali casu Henricum comprehendi jussit, cum vero præcipiti fuga in Bavariam dilapsus esset, Imperio proscriptus fuit. Elector Brandenburgicus ejus affinis, flexis coram Imperatore genibus, pro Henrico veniam postulavit, tantumque suis effecit precibus, ut sententiæ dilationem obtine- *Vindeck c. 71.*

Sæcul. XV. A. C. 1417

tineret, donec satis constaret, an Ludovicus ex vulneribus suis moreretur, vel sanus evaderet, qui quidem sanitatem recuperavit, sed semper inter Bavariæ Duces usque ad annum millesimum quadringentesimum trigesimum, quo Imperator illos sibi invicem reconciliaverat, ingens odium exarsit.

§. LXVII.

Cardinales Decretum, de reformatione ante Pontificis electionem stabilienda condere recusant.

Equidem Imperator Papam ante reformationem Ecclesiæ eligi posse consenserat, decretum tamen a Synodo condi petiit, quo novus Pontifex, quamprimum electus esset, reformationi manum admovere adstringeretur, monuitque Cardinales, ut datam sibi fidem exsolverent. Propositæ sunt variæ hujus Decreti formulæ, verum Cardinales post diuturnas tergiversationes aperte respondebant, Pontifici leges præscribi non posse, nec ejus voluntatem esse ligandam, quo facto sane fidem violabant in ultima Sessione datam, vi cujus condito desuper Decreto se adlaboraturos spondebant, ut Papa, antequam aliis invigilaret negotiis, reformationem Ecclesiæ aggrederetur.

Schelst. act. Conc. p. 269.

§. LXVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1417.

§. LXVIII.
Episcopus Vintonienſis Conſtantiæ.

Cum interea hæc quæſtio agitaretur, nuncium accepere Patres, Epiſcopum Vintonienſem Regis Angliæ Patruum, Ulmæ adveniſſe, inde Hieroſolymas profecturum. Angli cum eum diſſidentium animos componendi gratia dotatum, & unionis ſtudioſiſſimum eſſe, haud ignorarent, auctores erant Patribus, ut illum Conſtantiam accedere rogarent. Anglorum votis acquievere Patres, & ipſemet Imperator datis hunc in finem literis Epiſcopum invitavit. Synodus Epiſcopum Lichfeldienſem ei obviam miſit, quo comitante, Peregrinantis habitu veſtitus, Conſtantiam ingreſſus eſt, ubi aliquot diebus moratus, pari zelo ac prudentia huic negotio tam feliciter inſudavit, ut tandem Synodus ſtatuerit, condito decreto ſancire, quod reformatio immediate poſt electionem Pontificis aſſumi, ejusque articuli per Nationes ſtabiliti expediri, & ad definiendum Electionis modum Deputati nominari deberent. Splendidum ac amplum nimis videtur hoc conſilium, ſed eoipſo exiguum protulit fructum.

Vonder Hardt to.4. p. 1447.

§. LXIX.
Modus eligendi Pontificem definitus.

Congrediuntur illico Nationes de reformatio-

Sæcul. XV. A. C. 1417.

mationis capitulis deliberaturæ, nominatique ab Imperatore Deputati, qui unacum Cardinalibus modum eligendi Pontificem definirent. Quæstio, an Cardinales, ut tales vel solummodo ut suarum Nationum deputati ad proximam Papæ electionem concurrerent, magna animorum contentione in duabus vel tribus Congregationibus agitata fuit, tandem die vigesima octava Octobris communi suffragio concluſum, quod sex Deputati cujuslibet Nationis unacum Cardinalibus in electione Pontificis suffragii jure gauderent, & hoc Cardinalium consilium approbatum fuit, additis tamen quibusdam limitationibus. Nil igitur reliquum erat, quam ut ea, quæ Cardinales inter, & Nationes conventa fuere, ratihaberentur, cui negotio sequens sessio dicata erat.

Schelstrat. Comp. chron. p. 68.

§. LXX.

Sessio quadragesima. De reformandis a futuro Papa.

Sessio quadragesima habita est Sabbato die trigesima Octobris absente Imperatore. Sacro per Cardinalem de Ursinis celebrato, Cardinalis S. Marci legit decretum, quo futurus Papa Ecclesiam reformare adstringeretur. En illius tenorem: *Sacrosancta generalis Synodus Constan-*

stantiensis, in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, statuit & decernit, quod futurus Romanus Pontifex cum hoc sacro Concilio vel deputandis per singulas Nationes debeat reformare Ecclesiam in capite & in membris, & curiam Romanam secundum æquitatem, & bonum regimen Ecclesiæ, antequam hoc Concilium dissolvatur, super materiis articulorum alias per Nationes in reformatorio oblatorum, quæ sequuntur. Sæcul. XV. A. C. 1417.

I. *De numero, qualitate, & natione Cardinalium.* II. *De reservationibus Sedis Apostolicæ.* III. *De Annatis, communibus servitiis, & minutis.* IV. *De collationibus beneficiorum & gratiis exspectativis.* V. *De caussis in Romana Curia tractandis, vel non* VI. *De Appellationibus ad Romanam Curiam.* VII. *De Officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ.* VIII. *De exemptionibus & incorporationibus tempore schismatis factis.* IX. *De Commendis,* X. *& Confirmationibus Electionum.* XI. *De fructibus medii temporis.* XII. *De non alienandis bonis Romanæ Ecclesiæ.* XIII. *Propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi vel deponi.* XIV. *De extirpatione simoniæ.* XV. *De dispensationibus.* XVI. *De provisione Papæ & Cardinalium.* XVII. *De Indulgentiis.* XVIII. *De Decimis.* Synodus subjunxit, *quod facta per Nationes deputatione,* ad efficiendam

Sæcul. XV. A. C. 1417.

dam hanc reformationem, *liceat aliis de licentia Papæ libere ad propria remeare.*

§. LXXI.

Aliud Decretum de absentia Cardinalium Benedicti.

Conditum est adhuc aliud decretum, quod juxta mentem articuli Narbonensis Capitulationis de admittendis ad Synodum Cardinalibus Petri de Luna, statuit: *Cum post notoriam ejectionem Petri de Luna præfati Cardinales infra tres menses expectati non venerint, fore ad electionem Romani Pontificis procedendum, non obstante ipsorum absentia; quos si ante consummatam electionem venerint, & eidem Concilio adhæserint, ad electionem admittendos declarat.*

§. LXXII.

Decretum de modo & forma eligendi Papam.

Tertium insuper Decretum lectum fuit de modo & forma eligendi Papam, cujus hæc est summa: *Ut electio futuri Pontificis firmiori auctoritate & plurium roboretur assensu, & ne ulla retractatio ullusve scrupulus in mentibus hominum resideat, sed ex illa sequatur unio certa, vera plenissima, & perfecta fidelium, S. Synodus de speciali & expresso consensu Cardinalium ordinat*

nat & decernit, quod hac vice duntaxat ad eligendum summum Pontificem sex Prælati vel aliæ honorabiles Personæ Ecclesiasticæ de qualibet Natione infra decem dies eligendæ Cardinalibus adjungantur. Quibus omnibus eadem Synodus eligendi Pontificem secundum formam expressam tribuit potestatem, videlicet, quod ille ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus Cardinalium & a cujuslibet nationis duabus partibus electus fuerit, quodque non valeat electio, nisi duæ partes cum Cardinalibus ad eligendum adjunctorum consenserint in Pontificem eligendum. Hoc etiam adjecto, quod Prælati, & alii cum Cardinalibus adjungendi omnes Constitutiones Apostolicas, etiam pœnales circa electionem Romani Pontificis editas, atque consuetudines observari consuetas, quemadmodum & ipsi Cardinales observare, & insuper jurare teneantur, quod in hujusmodi electionis negotio puris & sinceris mentibus & quantum credant publicæ utilitati Ecclesiæ proficere, omni cujuscunque nationis, personæ, vel alio inordinato affectu, odio, gratia vel favore abjectis procedere attendant; Insuper ordinat eadem S. Synodus, quod infra decem dies omnes Electores intrent ipsum conclave ad electionem hujusmodi celebrandam. Perlectis omnibus hisce decretis, Cardinalis Vivariensis Præses nomine Concilii respondit: *Placet.* Sæcul. XV. A.C. 1417.

Sæcul. XV.
A. C. 1417.

§. LXXIII.

Gravis contentio circa Articulum de Annatis.

Inter Articulos reformationis Cardinales inter, & Nationes agitatos, ille, qui Annatas tangit, maxima animorum contentione ac fervore ultro citroque discutiebatur. Annatæ solent vocari illud jus, vi cujus Pontifices fructus primi anni beneficiorum vacantium, v. g. Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, aliorumque in universo Christiano orbe percipit. Hoc jus a tempore Clementis V. stabilitum legimus, qui Angliæ pro tribus annis imposuit Annatas, Senatu tamen reclamante. Ex post non amplius tanquam debitum, sed velut subsidium exigebantur; Bonifacius IX primus eas pro jure dignitati summorum Pontificum annexo habuit. Carolus VI. Galliæ Rex hoc jus supprimere meditabatur, cumque Synodus Constantiensis congregata esset, suis Legatis injunxit, ut approbationem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ præcipue quoad articulum de Annatis postularent; Sed huic petito Cardinales fortiter obluctati sunt, hujus juris usum conservandum esse rati, eoquod Pontificibus, & Cardinalibus pro suo statu necessaria subministranda, abusum vero, si quis forte irrepsisset, aut immodicæ

dicæ forent taxationes, reformandum censerent. Sed inde non modicæ exortæ sunt contentiones. Sæcul. XV. A. C. 1417.

Proposita hæc Cardinalium sententia eo rediit, „ ut ab Ecclesiis & Monaste„ riis vacantibus taxæ in libris Cameræ „ Apostolicæ expressæ solvantur, quibus „ Pontifex, & Cardinales pro dignitate vi„ verent, & reformentur taxæ immode„ ratæ, & præstentur duntaxat una vi„ ce pro Ecclesia, vel monasterio, in eo„ dem anno bis vacantibus. „ Postquam hæc declaratio Nationibus porrecta fuit, illæ septem omnino diebus desuper deliberarunt, tandem vero concluserunt, Annatas pro præterito, præsenti & futuro tempore penitus abolendas esse. Quibus Cardinales sese opposuerunt, atque juris hujus tuendi provinciam commiserunt Joanni de Scribanis Promotori, qui a Nationum decreto ad futurum provocavit Pontificem. Natio Gallica, utpote quæ hanc litem potissimum suam fecerat, appellationem Cardinalium scripto admodum elaborato, ac solido impugnavit, cui titulus: *Gallicæ Nationis declaratio contra Cardinales Appellantes de Annatis non solvendis.* Typis impressum habetur in operibus Nicolai Clemangii, cui tamen falso adscribitur.

In Fascículo &c. Per Orthuinum Gratium. Dupin. hist. XV. sæcul.

Sæcul. XV.
A. C. 1417.

§. LXXIV.

Natio Gallica respondet Cardinalibus Annatas urgentibus.

Dupin. Bibl. tom. 12. p. 23. Docent Galli, Annatas nullo privilegio, nullave præscriptione fulciri posse, nec ullam juris dispositionem Annatis suffragari, exceptis Beneficiis in Curia vacantibus; eas originem suam repetere a Joanne XXIII, cum ille aliquam partem fructuum ex dignitatibus & beneficiis (exceptis Abbatiis) sibi pro certo quodam itinere ultramarino, aliisque necessitatibus reservasset: hancque ob causam in Anglia Abbatias ab hoc onere immunes esse, imo a dicto Papa aliquos etiam Episcopos fuisse exemptos, & constitutionem suam variis conditionibus limitatam; post ipsum vero plures alios Pontifices ejusmodi reservationes fecisse ob rationes inibi expressas; Clerum, Principes, & populum quandoque eas toleravisse, quandoque vero se nimium earum pondere premi sentientes, solvere recusasse, ut in Anglia factum, quin justitiæ legibus contravenissent, præcipue causis, in quibus fundarentur, cessantibus: addebant, exactionem annui fructus a Prælaturis & Abbatiis vacantibus ex spontanea ac gratuita descendisse oblatione S. Sedi facta ab iis, quorum electio facta fuisset, dictumque *servitium commune*,

ne, eoquod inter Curiæ Romanæ officiales distribueretur; succesſu temporis vero transiiſſe in legem sub obtentu consuetudinis. Inde taxata fuiſſe beneficia: hanc autem exactionem eſſe simonicam, vel saltem de simonia suspectam, proin nulla consuetudine aut proscriptione honestandam. Tandem esto, Annatas juste olim exigi potuiſſe, tamen hodiedum eas abolendas ob scandala, violentas extorsiones, lamenta, oppreſſiones & lites, quæ inde ortæ fuiſſent, ac indies orirentur: Galliam *proviſorio* modo easdem abrogaſſe, illas tamen omnino supprimi, a Papa petiiſſe, huncque id se facturum spopondiſſe; Jam vero Gallos, ut penitus abolerentur, in præsenti Synodo iterum impensius rogare. Cuncta ista prolixius probantur. Secul. XV. A.C.1417.

Deinde respondetur rationibus a Promotore Scribanio allatis, quibus Nationum sententiam infringere, & annatas vindicare conabatur. Hic carpebat modum, quo ejusmodi decretum conditum fuit, nempe absque scrutinio, & deputatis Nationum desuper non instructis. Respondent Galli, nulla se lege adstrictos eſſe, ut semper per viam scrutinii procederent, sed plura negotia viva voce excussa fuiſſe, quamvis præsens cauſſa more solito præprimis ad Nationum Deputatos delata fuerit. Scribanius tanquam principale fundamentum allegat, æquum

Sæcul. XV. A.C. 1417.

esse, ut inferiores Ecclesiæ a Romana dimanantes, necessaria Pontifici atque Cardinalibus subministrarent. Cui responsum: Romanus, æque ac reliqui Episcopi suæ sustentationi congruos habent reditus, qui si non sufficiant, Clerus suæ Civitatis ac diœcesseos aliæque Ecclesiæ succurrere poterunt charitativo subsidio temporali, & habita necessitatis ratione, nunquam vero per modum perpetui census præstando. De cetero, quamvis Ecclesia Romana sit prima & omnium aliarum Magistra ob virtutes, & merita S. Petri, necnon reliquorum ab ea exeuntium Episcoporum, non tamen ceteras præcessit, prior enim tempore erat Ecclesia Græca; Cardinales vero considerari possunt, vel tanquam Parochi, & suorum titulorum Episcopi, atque ut tales Parochialibus, & Episcopalibus fungi debent muniis, vel tanquam Consiliarii Pontificis, quo pacto non sunt ejus coadjutores, hoc enim Episcopis, & quidem potiori nomine, quam Cardinalibus ex Jure divino competit, quamvis hodiedum hi Episcopis superiores esse ambiant, eosque contemnant, aliunde vero ad tuendam suam dignitatem sufficientibus divitiis atque auctoritate polleant.

Ad titulum vero possessionis, quem Scribanius allegat, eoque Pontificem, ejusque Cardinales in ipso etiam Galliarum

rum regno munitos esse asserit, respon- Sæcul. XV.
dent, hi ad firmandam hanc possessionem A. C. 1417.
nunquam ejusmodi titulo gaudebant, & si aliquando Annatas percipiebant, id factum ex eo, quod ultro illis permissum, atque toleratum fuisset; præsertim cum summa, quam titulo Annatarum Pontifices exigebant, immodica foret, nam juxta taxationem Cameræ Apostolicæ pro Episcopatibus & Abbatiis solius Franciæ ad sexcenta nonaginta millia, & septingentas quinquaginta libras Galliæ, & computatis singulis Nationibus fere ad septuagies centena millia ascendit; Papæ autem & Cardinalibus absque his reditibus sufficienter provisum est, præterquam natio Gallica aliunde eis assignavit reditus septuaginta millium librarum. Cur vero hæc Natio ceteris ardentius hanc caussam insequatur, ratio est, quia & illa præ reliquis graviori opprimitur onere, quippe Camera Apostolica ex Anglia duntaxat percipit fructus paucorum quorumdam vacantium Episcopatuum, nec ibi Cardinalibus Beneficia possidere permittitur, ex Hispania vero omnino nihil recipit, Italiæ autem beneficia satis jejuna sunt, & quando Diœcesani se nimium gravatos sentiunt, omnem exactionem prohibent, prout nuperrime Florentiis contigit, ubi ob abusus a Joanne XXIII. in cujusdam Abbatiæ collatione commissos, Sacra se-

Sæcul. XV. A. C. 1417

des per quinque annos dicti ſtatus Beneficia conferre interdicta fuit. Denique in Germania nonnullæ duntaxat Eccleſiæ quicquam Cameræ Apoſtolicæ elargiuntur, in reliquis vero ſtatibus omnino nihil Papæ tribuitur, imo nequidem brevia Apoſtolica acceptantur, niſi & in quantum Epiſcopis placent, qui non raro ea non acceptant, denegando ſolitum: *Vidimus.* Sola ergo Francia eſt, quæ, quia obedientia ac pietate erga Sedem Apoſtolicam ceteris eminet, immodice gravatur. Poſtmodum oſtendere conantur imbecillitatem reſponſionum, quibus Joannes de Scribanis Annatis adverſantia elidere ſtudebat, argumenta etiam, quibus eas a ſimoniæ labe vindicavit, ſpeciatim refutant, tandem vero concludunt, Scribanii, ac Cardinalium appellationes ad futurum Papam ex hoc capite non eſſe admittendas, nec audiendas, prout natio Gallica nec illis deferre neque ſententiam mutare intendit, ſed earum ſuppreſſionem tam in Concilio, quam ubique, prout opus erit, proſequi meditatur. Hæc eſt Synopſis Gallicæ proteſtationis, cui anſam dedit controverſia jam Anno milleſimo quadringenteſimo decimo quinto ſuſcitata, ad quam natio Gallica ſuum reſponſum ſive proteſtationem, ut vocant, in quadam Congregatione hanc in rem die decima quinta Octobris ejusdem anni

ni habita porrexit. * Nos vero illam hic inseruimus, eoquod nonnisi in Sessione XL potissimi describerentur reformationis Articuli, quos inter præcipuus erat de Annatis. Verum non modo flocci habita

Sæcul. XV. A. C. 1417.

(*) Quæ perperam adversus Annatas percipiendi jus allata fuerunt, satis superque confutata inveniuntur passim apud Theologos, ac Juris Pontificii peritos. Nobis sufficiant huc referre, quæ Carolus Plessis d'Argentre Doctor Sorbonicus & Episcopus Tutellensis de pactis inter Leonem Papam X. & Franciscum I. Galliarum Regem erectis scribit. *Equidem*, inquit ille, *hæc pacta pro tempore utilia erant, & a summo Pontifice prudenter admissa, ne Pragmatica sanctio jurisdictioni Romani Pontificis, tum etiam ceterorum Episcoporum nimium derogans, proximo schismati occasionem daret in Galliis. Sed cum extraordinaria sit illa Constitutio, sive dispensatio, qua Episcoporum, & Abbatum Electio ad Regem translata est, Ecclesiarum Antistites videant, an ad pristinum morem electionem ab Apostolis institutum redire oporteat, quam citius id fieri poterit. Nam extraordinaria dispensatio non in perpetuum durare debet, si libertatem Ecclesiæ, & splendorem imminuat. Sed, & multis videtur, Cathedrales Ecclesiæ Galliarum, ex quo tempore electionibus privatæ sunt, fere vilescunt, in ea tempora incidimus, ut pro una* Annata, *hoc est, pro fructibus*

Sæcul. XV. A. C. 1417.

habita est a Synodo ejusmodi protestatio, sed etiam articulus, prout a Cardinalibus propositus fuerat, acceptabatur.

§. LXXV.

Præliminaria ad Conclave.

Vonder Hardt to. 4. p. 1460.

Interea præparatum est Conclave quinquaginta tribus cameris distinctum, quas per sortem ita distribuerunt, ut triginta cederent Nationum Deputatis, ac proin quælibet sex occuparet cameras, reliquæ vero viginti tres totidem Cardinalibus assignarentur, supra quarum portas singuli sua nomina ac insignia inscripta habebant.

---

unius anni, trium quatuorve, aut ad minimum, duorum annorum fructus, & proventus ab eo, qui ad Episcopatum designatus est, exigantur. Unde fit, ut jam in Galliis nemo Episcopus inauguretur, nisi alieno ære gravatus, imo oppressus ad multos annos. At si libera electio cujusque Episcopi Cathedrali Ecclesiæ secundum antiquissimam disciplinam restitueretur (cui quidem electioni nonnullus Procurator Regis adesset) tum ad Romanum Pontificem electus recurreret, ut legitima electio Apostolica auctoritate confirmaretur, & paucos denarios daret pro modicis servitiis Scribarum, & Ministrorum Curiæ Romanæ, sicut olim in usu erat. Ita Argentreus in Galliis Episcopus Collect. Jud. de nov. erroribus tom. 1. part. 2. fol. 352.

bebant. Cunctis ita dispositis Imperator ad sonitum tubæ edictum promulgari jussit, quo cautum, ne quis toto, quo inclusi essent Electores, tempore, ultra præscriptos loci terminos ad Conclave accederet, aut Cardinalis in Papam eligendi Palatium invadere vel spoliare præsumeret. Edictum hoc latino, ac Germano sermone conceptum, per Comitem de Pappenheim Imperii Marescallum, & Henricum de Ulm Constantiensem Consulem, præcedentibus quatuor Fecialibus, publicatum fuit, dein Italice quoque ac Gallice redditum fuisse constat. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. LXXVI.

Sessio quadragesima prima. Sermo Episcopi Laudensis.

Quæ omnia confirmata fuere in Sessione XLI die octava Novembris habita, cui & Cæsar cum omnibus Principibus interfuit. Sacro solemni per Cardinalem S. Marci peracto, Episcopus Laudensis sermonem habuit in hæc verba 4. Reg. c. 10. *Eligite meliorem.* Boni Pontificis partes egregie adumbravit, in eo desiderans integritatem morum, doctrinam, capacitatem, seu in administranda Ecclesia prudentiam. *Opus est*, inquit, *bono Gubernatore navis, si naufragium imminet, opus est bono Medico tempore contagionis,* *Labb. Conc. tom. 12. p. 246.*

Sæcul. XV. A.C. 1417.

gionis, opus est præstantissimo Pastore, si Pastores & greges dilabuntur, ut in ovile reducat. Itaque eligite, qui se Regibus exhibeat Joannem Baptistam, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phineem, Idololatris Eliam, mentientibus Petrum, avaris Elisæum, blasphemantibus Paulum, & negotiantibus Christum. Finito hoc sermone lectum fuit Evangelium D. Joan. c. XIV. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Postea Petrus de Limburgo legit Constitutionem Clementis VI, qua præscribitur modus & norma, quam Cardinales in conclavi existentes tam in victualibus, quam in stratis atque famulitio servare tenerentur, in illa enim statuitur, *quod nullus de alterius ferculo vesci possit*, eis quoque duo tantum permittuntur famuli, *lecti intermedia seu velamina simplicium tantummodo cortinarum habeant pure ob decentiam honestatis.*

§. LXXVII.

Capitula juranda per Electores Papæ.

Labbe Conc. to. 12. p. 247.

Idem Petrus postmodum legit Articulos, quos Papam electuri, & Conclavis Custodes observare, & jurare tenerentur. I. *Infra decem dies a die lati decreti, id est ab octava Novembris infra occasum solis intrent conclave.* II. *Quilibet non habeat ultra*

ultra duos servientes Clericos vel laicos, quos Sæcul. XV.
duxerit eligendos. III. *In Conclavi simul* A.C.1417.
inhabitent nullo medio pariete, vel alio velamine, nisi quando dormient, vel quiescent. IV. *Ita claudatur conclave, reservato aditu ad secretam cameram, quod nullus intrare valeat vel exire.* V. *Nulli liceat ad ipsos Electores nuntium mittere vel scripturam.* VI. *In ipso conclavi competens sit fenestra, per quam Electoribus & servitoribus vitæ necessaria ministrentur, per quam tamen nulli possit patere accessus.* VII. *In singulis diebus, præter panem, vinum, & aquam, in prandio unum, & in cœna unum duntaxat ferculum carnium unius speciei tantummodo, aut piscium aut ovorum cum uno potagio de carnibus vel piscibus, & decentibus salsamentis, habere valeant, ultra carnes salitas & herbas crudas, ac caseum, fructus sive electuaria*; Ita tamen, ut quo diutius in Conclavi morarentur, juxta Constitutionem Clementis VI. ferculorum numerus restringeretur. VIII. *Nullus intrare compellatur conclave, nisi omnes recusarent, quia tunc cogendi sunt.* IX. *Volentibus exire permittatur, sed si omnes exirent, Papa non electo, reintrare compelluntur, nisi quos excusat infirmitas. Sed qui sine causa infirmitatis exiverit, amplius non admittitur, nisi omnes exirent.* X. *Exiens pro causa infirmitatis, ac etiam absentes, si supervenerint re integra, videlicet antequam de Papa*

sit

Sæcul. XV. A.C. 1417. *ſit proviſum, admittatur in conclave, in ſatu, in quo erit electionis negotium.*

Cuſtodes Conclavis jurent, quod præmiſſa omnia, ſine fraude, & dolo inviolabiliter faciant obſervari, neque Cardinales, & alios Electores ultra præmiſſa coarctabunt, nec permittent per alios coarctari. Item, ſi Dominus Rex eſt præſens, debeat ab eo juramentum recipi.

§. LXXVIII.

Nomina Cuſtodum Conclavis.

Labbe Conc. to. 12. p. 248. Horum capitulorum Lectione abſoluta omnes illi, qui jurare tenerentur, alta voce nominatim recenſebantur, & primi vocati ſunt cuſtodes Conclavis, nempe Fridericus Marchio Brandeburgenſis; Guilielmus Comes de Henneberg; Philippus magnus Rhodi Magiſter; Bronorus ſeu Bruno de ſcala, Veronenſis Dominus; Joannes Raymundus Floch Comes de Cardone; Ferdinandus Petrus de Ayala Miles de Caſtella; Martinus Ferdinandi, & Raymundus Aymar Nobiles Hiſpani; Bertholdus Comes de Urſinis; Guntherus Comes de Schwartzenburg; Ludovicus Comes de Oettingen; Hubertus de Sabaudia Nobilis Nothus; Hugo Comes de Haungheberg; Sancius & Stanislaus nobiles, & ſocii Legationis Polonicæ. Poſtea latino & Germanico

manico idiomate lecta fuere Capitula superius relata, quorum obſervantiam interpoſito Sacramento ſponderent, & duo Cardinales librum Evangeliorum & Crucem geſtantes ad Imperatoris Thronum acceſſerunt, in quorum manibus Cæſar Cruce, ac Evangelii libro contactis juravit, ſe præfatos articulos obſervaturum, ceteri quoque ſigillatim ad Præſidis pedes genuflexi, & crucem ac Evangelium tangentes hoc juramentum præſtiterunt, quod etiam illi exſolvebant, quibus incumberet circa conclave ingreſſis de victu providendi. Hi vero erant Epiſcopus Concordienſis, & Abbas Trenorcenſis pro Cardinalibus; Pandulphus de Albiano Protonotarius pro natione Itala; Theobaldus Archiepiſcopus Biſuntinus pro Gallica; Nicolaus Merſeburgenſis Epiſcopus pro Germana; Petrus Epiſcopus Olorenſis pro Anglica; & Segovienſis Eccleſiæ Decanus pro natione Hiſpana. Sæcul. XV. A.C. 1417.

§. LXXIX.

Nomina Nationalium pro electione Papæ Deputatorum.

His juramentis ſic præſtitis Archiepiſcopus Mediolanenſis legit nomina eorum, qui pro eligendo Papa, jubente ac ſeligente Concilio, Cardinalibus adjuncti *Onuphr. vit. Pontif. p. 275*

Sæcul. XV. A.C. 1417.

juncti fuere, ut sequitur: Joannes Patriarcha Constantinopolitanus; Joannes Archiepiscopus Rigensis; Bartholomæus Mediolanensis; Guilielmus Bituricensis; Nicolaus Gnesnensis; & Jacobus Turonensis, omnes Archiepiscopi, & inter Episcopos Richardus Londinensis; Nicolaus Bothonensis; Didacus Conchensis; Joannes Pacensis; Joannes Genevensis; Franciscus Mesitensis vel Melfiensis, quem Infantius Meldensem fuisse existimat; Henricus Feltrensis; Nicolaus Aquensis; Simon Tragurensis; Joannes Lichfeldensis; & Joannes Norvicensis; Jacobus electus Episcopus Pennensis. Præter hosce Præsules nominabantur Abbates Cluniacensis; & S. Mariæ Eboracensis; Generalis FF. Prædicatorum; Decanus Ecclesiæ Eboracensis; Archi-Diaconus Bononiensis; Prior Rhodi; & sex Doctores ex variis Nationibus. Postea ex parte Cardinalium duos vel tres deputatos esse nominandos propositum fuit, qui dissensiones forte inter Conclavis custodes orituras deciderent.

§. LXXX.

Nomina Cardinalium conclave ingressorum.

Ciacon. in Mart. V. p. 884.

Quamvis Cardinalium sicut ceterorum nomina alta voce non fuissent perlecta,

lecta, tamen ea huc recenſere abs re non erit. Horum numerabantur viginti tres, nimirum Joannes de Bronchiaco Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, & Vivarienſis, Cardinalium Decanus ac Eccleſiæ Romanæ Vice-Cancellarius, Gallus; Angelus de Anna Epiſcopus Laudenſis, Cardinalis Pæneſtinus; Petrus Ferdinandi Uries Hiſpanus, Cardinalis S. Sabinæ; Jordanus ab Urſinis Romanus, Cardinalis S. Albani, Major Pœnitentiarius; Antonius Corario Venetus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Cardinalis S. Crucis; Joannes Dominici Florentinus Cardinalis S. Sixti; Antonius Pancerinus, Forojulienſis, Patriarcha Aquilejenſis Cardinalis S. Suſannæ; Alamandus Adimarius, Florentinus, Cardinalis S. Euſebii; Gabriel Condulmerius Venetus, Cardinalis S. Clementis; Petrus de Alliaco Gallus, Cardinalis S. Chryſogoni, ſub nomine Cardinalis Cameracenſis magis notus; Thomas Brancatius Neapolitanus, Cardinalis SS. Petri & Marcellini; Branda de Caſtillioneis, Mediolanenſis, Cardinalis S. Clementis; Angelus Barbadicus, Venetus, Cardinalis SS. Marcellini, & Petri; Guilielmus Philaſterii Gallus, Cardinalis S. Marci; Simon Cramaudus, Gallus, Cardinalis S. Laurentii; Antonius de Chalanto Gallus, Cardinalis S. Cæciliæ; Petrus de Fuxo Arragonenſis, Cardinalis

Sæcul. XV. A.C. 1417.

Sæcul. XV A.C. 1417.

S. Stephani; priores quinque Episcopi, reliqui erant Presbyteri. Ludovicus de Fliſco Genuenſis, Cardinalis Diaconus tit. S. Adriani; Amadæus de Salutiis Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ novæ; Raynaldus Brancatius, Cardinalis Diaconus tit. SS. Viti & Modeſti; Otho Columna, Romanus Cardinalis Diaconus S. Georgii ad velum aureum; Lucidus de Comitibus Romanus, Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ in Coſmedin. Cardinales Barenſis, Lucenſis, Bononienſis, & Petrus Maurocenus in hoc indice non leguntur, & ultimus quidem abfuiſſe creditur; Jacobus vero Inſulanus Cardinalis Bononienſis tunc temporis ex mandato S. Sedis urbis Romanæ Adminiſtratione fungebatur; Bandellus de Bandellis autem Cardinalis Lucenſis vivis ereptus fuiſſe videtur.

Inſuper tria decreta fuere condita, ut ordini in Conclavi ſervando, & paci ſimul ac ſecuritati conſuleretur. In primo eorum, & quidem in vim legis perpetuæ cautum erat, ne quis illius Cardinalis, quem in Papam eligi contingeret, ædes ſpoliare auderet, ſtatuta pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & privationis omnium bonorum, atque dignitatum latæ in Auctores ejusmodi rapinæ, & interdicti in urbem, quæ talis violentiæ rea eſſet. Perſæpe enim non modo

modo electi Pontificis, sed etiam cetero- Sæcul. XV.
rum Cardinalium, aliorumque in Concla- A.C.1417.
vi existentium domus direptæ fuerunt. Hunc abusum Synodus appellat temeritatem, & sceleratam audaciam, quam penitus abolere intendit. Secundum Decretum rescindit, ac irritat omnes protestationes, conventiones, pactiones, obligationes, juramenta, & condicta, contra præsentem electionem, a quocunque demum interponerentur. Tertio, omnes forenses causſæ durante hac electione, exceptis solis *audientiis* Cameræ Apostolicæ suspenduntur. Quibus lectis Præses, nomine totius Synodi respondit: *Placet.*

§. LXXXI.

Omnes Electores Conclave ingressi.

Eodem adhuc die octavo Novembris circa horam quartam pomeridianam omnes Electores conclave ingressi sunt, quod Imperator paulo ante intraverat, advenientes excepturus. Omnibus modis securitati loci provisum fuit. Ad portam stabant duo Principes, & Rhodiorum Magister claves gestantes. Ad gradus scalæ sex milites summo cum silentio excubias agebant. Ante Palatium Conclavis quidam Episcopi, & Doctores mensæ assidebant, speciatim de- *Labbe Conc. to. 12. p. 251.*

Sæcul. XV. A. C. 1417.

nominati ad ſcrutanda omnia, quæ ad Conclave deferebantur, exploraturi etiam, num fors aliquæ ſecretæ deliteſcerent literæ. Poſteræ diei auroram Electores precibus ſacrabant, & habito ſermone ad exorandum Deum pro felici electionis ſucceſſu ſolemnem indicebant ſupplicationem, quæ per plateas conclavi circumvicinas tranſibat, Sanctorum reliquiis per urbem reverenter delatis. Primis duobus Conclavis diebus, nempe nono, & decimo Novembris, ſuffragantes in diverſa abierunt, unde pro hoc duodecim, pro illo novem, pro aliis ſex, pro nonnullis quatuor numerabantur ſuffragia. Cardinalis Vivarienſis Gallus, Cardinalis Otho Columna Romanus, Cardinalis de Salutiis, Cardinalis Venetus, Epiſcopus Genevenſis, & Epiſcopus Ciceſtrienſis Anglus, ceteris potiora retulerunt vota. Quibus accenſendus eſt Nicolaus Gnesnenſis Archiepiſcopus, quem major pars Cardinalium nominavit, is vero qualecunque jus in Papatum haberet, libere in illum transferebat, in quem potior ceterorum pars concurreret. Verum cunctis Papam ex natione ſua habere cupientibus, Germani & Angli ſtatim prætenſo huic juri ceſſerunt, aliosque ad ſui exemplum adhortati ſunt, ſed Galli atque Hiſpani non adeo facile flectebantur.

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Sæcul. XV. A. C. 1417.

Cardinalis Otto eligitur Papa. Ejus Hiſtoria & mores.

Magnæ utrinque contentiones in ſeram noctem usque fuere protractæ, & re infecta, omnes ad ſua ſe receperunt. Tandem die undecima Novembris omnium Electorum vota in Ottonem Columnam Cardinalem Diaconum tit. S. Georgii ad velum aureum conſpirabant, qui in honorem S. Martini Turonenſis Epiſcopi, cujus feſtum hocipſo die agebatur, Martinus V. nominari voluit, quamvis tertius hujus nominis dicendus eſſet, eoquod duo, qui eum præceſſerant, Pontifices Martini quidem a vulgo nominabantur, revera tamen Marini nomen gerebant. *Raynald. hoc an. n. 2.*

Pontifex iſte natione Romanus ex antiquiſſima Columnenſium familia, quæ plures ſummos Pontifices, ac Reges protulit, ortus erat. Patrem habuit Agapetum Columnam ab Urbano VI. poſtea Cardinalem creatum, ſub cujus Pontificatu Otto referendarium agebat, ſub Bonifacio IX. autem in Italia Nuntii munere fungebatur; Tandem ab Innocentio VII. Anno milleſimo quadringenteſimo quinto Purpura decoratus fuit. Defuncto hoc Pontifice acceſſit Gregorio XII, eodem autem in Piſana Synodo exauctorato ab

Sæcul. XV. A.C. 1417.

eo defecit. Intererat electionibus Alexandri V. & Joannis XXIII. a quo Umbriæ Legationem obtinuit; Joannem Constantia abeuntem omnium primus secutus est, & ultimus rediit ad Synodum. Hujus Viri præclaræ dotes communi omnium fere Historicorum commendantur suffragio; Doctrina præcipue Juris Canonici præstantissimus erat. Platina multis deprædicat ejus prudentiam, mansuetudinem, justitiæ studium, & in rebus publicis gerendis dexteritatem. Nonnulli tamen referunt, hunc, dum adhuc esset Cardinalis, pauperem ac modestum fuisse, sed post adeptum Papatum, in avarum degenerasse, multasque comparasse divitias. Verum extra omne dubium positum est, quod eximiis virtutibus fuerit clarissimus. Credunt quinquaginta annos natum fuisse, dum thronum conscenderat.

§. LXXXIII.

Imperator Papæ pedes osculatur.

Naucler. gener. 48. *n.* 443.

Imperator comperta electione, confestim conclave ingressus est, atque humili obsequio ante Pontificem procumbens, pedes ejus deosculatur, simulque Electoribus gratulatur, quod tantum Virum delegissent. Papa vicissim tenerrimo affectu in amplexus Cæsaris ruit, gratias

ei

ei agens, quod tanto zelo hucusque unionem Ecclesiæ promoverit. Sæcul. XV. A.C.1417.

§. LXXXIV.

Papa in Ecclesia Cathedrali inauguratus.

Post meridiem Papa in Ecclesia Cathedrali solemniter ad Pontificium solium evehitur, præsentibus Imperatore, tota Nobilium corona, universo Clero tam primi, quam secundi Ordinis, Magistratibus, Canonicis, diversis collegiis, & urbis Constantiensis Primoribus. Universa Synodus solemni ordine obviam ibat Pontifici, eum ad Cathedralem deductura Ecclesiam. Prodiit ille e conclavi cum suis Electoribus albo equo rubris phaleris ornato vectus, cujus frænum Imperator a dextris, & Elector Brandeburgicus a sinistris tenebant. Ubi Papa ingressus est Ecclesiam, a Cardinalibus super Altare majus elevatus est, ut solemni ritu Papatus sui possessionem acciperet, quod & factum est sub festivis omnium acclamationibus, & decantato Hymno: *Te Deum* &c. *Labbe Conc. to.12. p.252.*

§. LXXXV.

Martinus Diaconi, Presbyteri, & Episcopi sacris initiatus.

Postera die duodecima Novembris, ut affirmant testes oculati, Dacherius, & *Reichental fol.29.*

Sæcul. XV. A.C. 1417.

& Reichental, quamvis plures alii de hac ordinatione fileant, sacrum Diaconatus ordinem fuscepit. Decima tertia die Sabbati Presbyter, & sequenti Dominica a Cardinale Vivarienfi Epifcopus confecratur. Quo facto primam Miffam Pontificali ritu celebravit, centum quadraginta Prælatis mitra ornatis eidem affiftentibus. Die decima quinta dicti Menfis, omnes Clerici; & fequenti die Imperator, ac Principes fæculares; die vero decima feptima Religiofi clientelare obfequium debitamque obedientiam profeffi funt. Itaque non nifi ejus confecratio, atque coronatio defiderabantur, quæ die Dominica vigefima prima Novembris in Eccleffia Cathedrali peractæ fuere: hoc modo congregato univerfo cœtu claudebantur portæ, & Cardinalis Vivarienfis rem divinam peregit, qua finita quidam Doctor Arragonenfis fermonem habuit, poftea Pontifex in fella collocatus, unctionem, atque Tiaram recepit. Dein oblato divino Sacrificio ad Epifcopale reverfus eft Palatium, in quo coronatus fuit.

§. LXXXVI.

Pontificis coronatio.

Bonanni in Martin. V.

Extruxerunt ad folemnia Coronationis in area Palatii magnum Theatrum, quod

quod circiter centum caperet homines. Ad latus muri erigebatur solium multis gradibus elevatum, atque aureo umbraculo pro Papa ornatum. A dextris ac sinistris plures ponebantur sedes paulo humiliores pro Principibus, atque Prælatis. Circa horam octavam matutinam duo Patriarchæ, viginti duo Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates mitris ac Pontificali habitu induti, equisque vecti ingressi sunt vestibulum Palatii, quos Cæsar, aliique Principes pedestres sequebantur. Postea Papa Tiara redimitus, Theatrum ascendit, cujus dextram Cardinalis Vivariensis, & quidam Patriarcha; sinistram vero Cardinalis Brancatius, & alius Patriarcha tenebant; a tergo autem reliqui stabant Cardinales cum magno Rhodiorum Magistro. Pontifici in altissimo subsellio sedenti Patriarcha Antiochenus Tiaram deposuit & præmissis aliis solemnibus tres Cardinales capiti ipsius imposuere coronam, alius vero Cardinalis stupam, quam gerebat, accendit, atque combussit, bis alta voce dicens: *Sanctissime Pater, sic transit gloria mundi.* Tandem quolibet suam sedem repetente, a Musicis decantabatur Hymnus *Te Deum &c.* quo dicto solemnia absoluta fuere. Sæcul. XV. A.C. 1417.

Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. LXXXVII.

Judæi Papæ obsequium præstant.

Jam Papa cum solemni comitatu abiens in via obviam habuit Judæos Constantienses, qui candelas in manibus gestantes, & more suo canentes eidem obsequium præstiterunt. Quidam ex illis Decalogum, ac Pentateuchon summo Pontifici obtulit. Varia est Auctorum sententia de modo, quo Papa Judæos excepit; dicunt aliqui, eum volumen accepisse, quod cum redderet, dixisse: „ legem „ habetis, sed non intelligitis, recesserunt „ vetera, nova sunt omnia. „ Alii vero memorant, Papam volumen legis recipere noluisse, Imperatorem vero illud accepisse cum dicto: leges eorum justas quidem, ac bonas esse, sed in hoc peccare, quod eas, prout decet, non observent. Dein Papam ad ipsos conversum ita locutum esse. *Omnipotens Deus avertat ab oculis vestris velamen, & faciat vos inspicere lumen æternæ vitæ*, atque benedictionem suam ipsis largitum fuisse.

§. LXXXVIII.

Papa electionem suam omnibus Principibus significat.

Platin. in Mart. V.

Post hæc Martinus V. sollicite omnes Principes electionis suæ certiores reddidit,

didit, atque Archiepiscopum Burdegalen- Sæcul. XV.
sem ad Alphonsum Arragoniæ Regem A.C. 1417.
misit, qui eum admodum benigne excepit. Rex quoque illico quosdam ablegavit Episcopos ad Petrum de Luna, qui ei Constantiensium gestorum seriem exponerent, & pertinacem hunc senecionem tandem flectere studerent; ast ille vinci haud poterat. Ludovicus de Flisco, Cardinalis tit. S. Adriani in Gallias missus fuit, quamvis ejus legatio minus felicem, quam Arragonensis, sortita sit eventum; nam Carolus VI. adveniente hoc Nuntio Senatum coegit, in quo decisum, nemini præstandam esse obedientiam, quiscunque demum Constantiæ electus esset Papa, nisi prius Oratores Galli in Franciam cum plena libertate rediissent, & electionem libere, ac Canonice peractam fuisse testarentur, ex tunc vero Carolum VI. tanquam Regem Christianissimum cum communi omnium applausu sua adimpleturum officia.

Bzov. an. 1416. n. 10.

§. LXXXIX.

Nationes congregantur, a Pontifice Ecclesiæ reformationem petentes.

Pontifex eodem mense recepit Epistolam Electoris Palatini, qua illi electionem suam die decima quinta Novembris fama publica ad se delatam gratulatus

Sæcul. XV. A.C.1417. tus est. Martinus V. altero post electionem suam die animum adjecit componendis Cancellariæ Romanæ regulis; sed brevi vocabatur ad alia, quæ operosius Pontificiæ sollicitudinis studium requirebant, nec inter ea infimum erat restaurandæ disciplinæ negotium. Nam altera post coronationem die quinque Nationes congregatæ animo constituebant, se a Papa postulaturas, ut reformationi Ecclesiæ, prout post sui electionem spopondisset, incumberet, ac normam a Collegio hanc in rem instituto præscriptam sequeretur. Votis petentium annuit Pontifex, quinimo Deputatos nominari præcepit, qui unacum sex Cardinalibus a se electis huic negotio omnibus viribus adlaborarent, datumque est operi initium: Attamen Nationibus inter se dissidentibus, atque Cardinalibus tardius manum admoventibus, Natio Germana neo-electis reformationis Commissariis libellum porrexit, hujus tenoris:

§. XC.

Nationis Germanæ postulata.

Petimus, quatenus Sedes Apostolica reservationibus clausis in corpore juris contenta sit, & electiones, confirmationes, collationes, provisiones, præsentationes, & quasvis alias dispositiones Ecclesiasticas de Archiepis-

chiepiſcopatibus, Epiſcopatibus & Abbatialibus, aliisque dignitatibus & Prælaturis ac beneficiis Eccleſiaſticis, per Metropolitanos, Epiſcopos, Prælatos, Capitula vel Collegia, & alios Patronos ſeu Collatores Eccleſiaſticos libere fieri permittat; juxta diſpoſitionem nonnullorum generalium Conciliorum antiquorum, atque mentem Fundatorum, ſalvo jure Sedis Apoſtolicæ in Eccleſias, & Monaſteria ſibi privilegio exemptionis vel alias immediate ſubjectas vel ſubjecta. Necnon quod Papa quemlibet collatorem Eccleſiaſticum, ad cujus collationem ultra quinque beneficia ſpectant, per unam poſſit onerare, ſublatis extravagantium regularum Cancellariæ reſervationibus. Poſtquam igitur tali modo de reformatione agebatur, Pontificem adibant Legati, qui nomine Joannæ Neapolis Reginæ eidem filiale obſequium exhiberent, ſimulque ad recuperandum S. Petri patrimonium, utpote a longo tempore invadentium armis devaſtatum, necnon ad reſtituendam S. Angeli arcem omne auxilium offerrent, haud minori promptitudine opem ſpondentes, ut Sedi Apoſtolicæ redderentur urbes, Oſtia & civitas vetus, quas Sfortia, alteſatæ Reginæ Bellidux, Braccioni eripuit. Hujus tamen legationis exitum ignoramus. Sæcul. XV. A. C. 1417.

§. XCI.

Sæcul. XV. A.C. 1417.

§. XCI.

Gregorii XII. obitus.

Tandem Angelus Corarius, antea Gregorius XII, Recineti in Marchia Anconitana die decima octava Octobris hujus anni vita functus est, annos natus nonaginta duos. Mortis suæ fama nonnisi Mense Novembri ad finem vergente Constantiam pervenit. Martinus V. quod Papatum sponte abdicasset, die vigesima sexta Novembris cum ingenti pompa exequias celebrari jussit, ac tertia abhinc die in palatio Episcopali primum tenuit Consistorium.

§. XCII.

Primum Consistorium Martini V. Pontificis.

Vander Hardt to. 4. pag. 1497.

In hoc sacro Patrum senatu ante omnia agitabatur Ducum Bavariæ caussa. Pontifex enim comperto Henrici in Ludovicum Bavarum insultu, hujus Advocatum audivit, ac præmissa totius negotii deliberatione, secundum justitiæ leges procedendum pollicitus est. Dein solidas duas horas tenuit Argentinensis Episcopi controversia adversus suum capitulum, quæ ultro citroque agitabatur, nihil tamen decisum fuit, sed Papa Placentinum & S. Marci Cardinales nominavit,

vit, qui rem penitius examinarent, ac demum cognita cauſſa, totam negotii ſummam eidem exponerent. Sæcul. XV. A.C.1417.

§. XCIII.

Sicaria cædes Conſtantiæ perpetrata.

Die ſeptima Decembris hora ſeptima matutina Sicarius quidam a Lucernenſibus civibus, eoquod in quadam lite contra Benedictinos cauſſa cecidiſſent, ex condicto emiſſus, ejusdem Ordinis, ac urbis Priorem ſupra pontem Conſtantienſem trucidavit. Ille autem mox comprehenſus, ſcelus ſuum confeſſus eſt, quocirca per plateam, ubi cædem perpetrabat, equi caudæ alligatus ad ſupplicii locum raptatus, cruriſragio multatus eſt.

§. XCIV.

Fidei profeſſio Bonifacii VIII. a Pontifice jurata.

Die decima ſeptima ejusdem Menſis Pontifex ſonantibus tubis promulgari juſſit, omnes ab eo gratiam petituri præfata die ad ejus palatium convenirent. Ingens erat confluentium numerus, & Martinus Cardinalibus, Imperatore, Principibus, atque Electoribus ſtipatus privatorum preces excipiebat, pluresque deſuper Bullas expediri curabat. Poſtera die ſacrum Purpuratorum Senatum coegit, in

Vander Hardt tom. 4. p. 1497. Idem t. 3. p. 779.

Sæcul. XV. A.C. 1417.

in quo professionem fidei olim a Bonifacio VIII. editum jurato emisit, præsentibus Nationum Deputatis. Electoribus suis hac professione spopondit, quod bona Ecclesiæ nullo modo, nullove sub titulo, vel prætextu alienare, disciplinam autem Ecclesiasticam conservare, & quovis pacto labefactatam, adhibitis in consilium Cardinalibus, restituere velit; id tamen regulis Cancellariæ, quas condidit, refragari videtur. Ad idem quoque tempus refertur libellus Mauritii Pragensis, quem jussu Concilii contra Communionem sub utraque specie elucubravit, & præcipue adversus tractatum a Jacobello An. MCCCCXV. consarcinatum, in quo hunc usum defendere conatus fuit. Mauritius iisdem ferme cum Gersonio utitur argumentis, communiter afferri solitis. Scripturæ, Patrum, & Scholasticorum textibus a Jacobello pro Communione sub duplici specie allegatis respondet, & rationes, seu potius abusus, ob quos Ecclesia usum calicis interdicere urgebatur, pluribus refert.

§. XCV.

Sessio quadragesima secunda.

Labbe Conc. to. 12. p. 252.

Die Martis 28. Decembris habita est Sessio XLII. & prima, cui Martinus V. præsedit: Interfuit quoque Imperator cum

cum omnibus Principibus, Prælatis, atque Legatis. Missa de SS. Innocentibus per Episcopum Concordiensem celebrata, & peractis de more precibus, Cardinalis S. Marci Bullam Imperatori inscriptam legit, in qua Papa, assentiente Synodo, eundem æque ac Electorem Palatinum, & Ludovicum Bavarum ab onere custodiendi Balthasarem Cossam antea Joannem XXIII. nuncupatum absolvit, hac tamen lege, ut eundem, quem tum Heidelbergæ, tum Manhemii captivum custodiebant, Commissariis a Martino Pontifice deputandis consignarent. In eadem Bulla depositionem Balthasaris Cossæ canonicam, fuisse memoratur. Sæcul. XV. A.C. 1417.

§. XCVI.

Episcopus Vintoniensis creatur Cardinalis.

Martinus V., quorumdam judicio, immediate post hanc sessionem Henricum de Beaufort, Filium Ducis Lancastriæ, Vintoniensem Episcopum, Cardinalem, & in Wallia, & Hibernia Nuntium suum creavit. Huic electioni obluctati sunt Angli, & Archiepiscopus Cantuariensis Epistolam ad Regem scripsit, exponens, Papam mittendo Nuntium, tam legibus Regni, quam Anglici Primatus privilegiis vim inferre; Idem quoque Re- *Vander Hardt to. 4. p. 1502.*

Sæcul. XV. A. C. 1418.

gi auctor erat, ut Vintonienſi Epiſcopo interdiceret, ne Cardinalis Legati prærogativa uteretur.

§. XCVII.

Sigismundus Romanorum Rex a Pontifice recognitus.

An. 1418.

Primo die Anni MCCCCXVIII. Papa Miſſam ſolemni ritu celebravit, & Benedictionem populo impertivit. Qua abſoluta Imperator in gradus Altaris aſcendit, & Papa Cardinalibus, ceterisque ſedentibus Henricum de Ulm Conſulem Conſtantienſem, ob præclara ejus in Synodum merita, Equitem creavit. Die ſequenti vigeſima quarta Januarii Papa generalem Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, omniumque Prælatorum, Principum, & cunctorum Nobilium, habuit congregationem, ut Sigismundum ſolemniter tanquam Regem Romanorum agnoſceret. Itaque Miſſa ab eodem Pontifice celebrata, & ſermone per Epiſcopum Curienſem habito, Sigismundus ante Papam genuflexus procubuit, qui eum legitimum Regem Romanorum coluit, declaravitque, ſe Auctoritate Apoſtolica, ſi qui in ejus electione intervenerint, omnes ſupplere defectus. Poſtea Cardinalibus Vivarienſi, & Urſino auream tradidit coronam, quam illi Impe-

Imperatoris capiti impoſuerunt, hic vero Sæcul. XV.
Sedi Apoſtolicæ inviolabilem fidem jure- A.C.1418.
jurando promiſit. Hac igitur ſolemnitate ejusdem coronatio Aquisgrani facta confirmata eſt. Ante illa tempora Imperatores nudum Regis Romanorum titulum præſeferebant, donec Romæ coronati fuiſſent.

§. XCVIII.

Germanorum Libellus de reformatione.

Opportune, importune inſtabant Nationes, ut Pontifex promiſſæ reformationis negotium aggrederetur; tanti enim momenti cauſſam diutius protrahi ægre ferebant. Inſuper Germani ſupplici libello petebant, ut octodecim articuli circa reformationem in quarta Seſſione propoſiti quamprimum decernerentur; qua in re ſtylo admodum moderato uſi ſunt Germani.

§. XCIX.

Idem a Gallis & Hiſpanis petitum.

Sua quoque ſtudia in urgendà reformatione Germanis junxere Galli, ac Imperatorem adeuntes enixe rogarunt, ut Papam ad inſigne hoc opus feliciter perficiendum induceret, verum repulſam tulerunt, dicente Cæſare, ſe quoque eos rogaſſe, ut electioni Pontificis præmitte-

Sæcul. XV. A.C.1418.

retur Ecclesiæ reformatio, nunquam tamen eos acquiescere voluisse, jam ergo creato Pontifice, ad urgendam hanc reformationem ipsimet illum accederent. Hispani, quorum nonnulli Petro de Luna secreto favebant, ceteris liberius loquebantur, contra simoniam scripta divulgantes, quinimo aperte Pontifici minas intentabant, ni abusus toleret.

§. C.

Reformationis schema Nationibus a Papa propositum.

Vander Hardt tom. 4 p. 1502.

Martinus Nationum precibus acquiescens, sub finem Januarii super octodecim articulis, quos Germani repetitis curis decidi urgebant, reformationis normam edidit, eandemque Nationum Deputatis examinandam tradidit. Papa ea ferme omnia, quæ a Nationibus in hisce articulis postulabantur, concessisse videtur, si octavum duntaxat excipias, quem absque responso intactum reliquit: ad decimum tertium vero, de exauctoratione Pontificis, asseruit: Nihil circa hoc punctum innovandum, quod idem plures Nationes censebant.

§. CI.

Delegati a duobus Benedicti Cardinalibus Constantiam missi.

Spond. ad. an. 1418. n. 1.

Ceterum Petrus de Luna, alias Benedictus

dictus XIII, umbratili sua dignitate fascinatus, ac misere delusus, nec saniſſimis Alphonsi Arragonum Regis consiliis, nec trium vel quatuor Cardinalium sibi adhucdum adhærentium precibus expugnari poterat, quamvis hi salubriter suasiſſent, ut Constantiensi Synodo sese subjiceret, atque neo-electum Papam agnosceret. Martinus vero horum Cardinalium propensione opportune utendum existimabat, satis enim sibi persuasum habebat, quod ipsimet sibi in Viro passim derelicto, atque ab omnibus oppresso exiguum sane præsidium repositum esse, facile perspicerent; unde eisdem significari curabat, ut de suo patrocinio certi essent, si Benedicti partes desererent. Duo Cardinales hac favoris pollicitatione expugnati Constantiam suos legabant Deputatos, qui ingenti gaudio excipiebantur, ac ultima Januarii die Papæ conspectum subeuntes suam eidem obedientiam fidemque juramenti religione obstringebant. Ergo nonnisi duo Cardinales in Benedicti obsequio perstiterunt, nempe Julianus de Oblatis, & Dominicus de bona fide Carthusianus, natione Hispani. Ineunte Februario Imperator Principes atque Prælatos convocavit, ut causſam Friderici Austriaci discuterent; huic cœtui Elector Brandeburgicus præsedit. Decretum est, quod Dux omnes

Sæcul. XV. A. C. 1418.

Sæcul. XV. A. C. 1418.

Vasallos suos Cæsaris imperia renuentes, ut sese submitterent, vel ipsus compellat, vel, ut ab aliis vi cogantur, pateretur.

§. CII.

Lis Imperatorem inter, & Mediolanensem Ducem composita.

Raynald. an. 1418. *an.* 2.

Aliquot abhinc diebus Imperator ad varias ditiones Legatos suos nominavit. Philippus Maria Dux Mediolanensis exortis quibusdam simultatibus cum Imperatore Sigismundo Constantiam misit Abbatem Manfredum S. Crucis, qui Sacræ Cæsareæ suæ Majestati pro ditione Mediolanensi clientelare profiteretur obsequium. Cum vero novæ inter eos succrescerent lites, Imperator ad Ducis preces Episcopum Passavienſem & Comitem Ottinganum Mediolanum misit, pacificam inituros compositionem. Præcipua reconciliationis conditio erat, Dux Mediolanensis copias suas Montis-Ferratensibus jungeret, & communibus armis bellum moveret Genuensibus, quorum agendi ratio haud probabatur Imperatori. Verum Ducis istius fides merito in suspicionem trahebatur; accusabatur enim, Beatricem Tendam ejus conjugem, eoquod illam cum Sigismundi Legatis conspirasse suspicaretur, ejus jussu capite truncatam fuisse.

§. CIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1418.

§. CIII.

Imperatoris Legati Basileam, Moguntiam &c. missi.

Missus est cum aliis Bohemiæ nobilibus Comes Schwartzenburgicus Basileam, hujus urbis cives inducturus, ut Cæsari loca Basileam inter & Tigurum sita, necnon Duci Austriæ erepta redderent. Hi quidem restitutionem recusantes, oblata tamen ingenti pecuniarum vi, satisfecerunt Imperatori, qui & cum reliquis Helvetiorum urbibus pari pacto transegit. Præterea Moguntiam, Wormatiam, & Spiram suos ablegavit oratores, Palatinatus, & circumvicinas ad Imperium spectantes repetiturus urbes. Aſt hæ Constantiam miserunt Legatos, qui cum Imperatore desuper convenirent, sed re infecta ad suos redire coacti sunt, Moguntinos, si exceperis, quibus quædam tributa condonavit.

§. CIV.

Solemnis ad Benedictum Legatio.

Quamdiu Benedictus prætenso Legitimi sui Pontificatus juri obfirmatus adhucdum insistebat, schismatis flammas necdum extinctas, sed sub cineribus latere, probe noverant Patres, quocirca Martinum Papam adeunt, hortantes, ut

Sæcul. XV. A. C. 1418.

ad Benedictum majori solemnitate expediret Legatos, qui eum ad cedendum, simulque recognoscendum verum Pontificem adigerent, adjectis etiam omnium Ecclesiæ pœnarum comminationibus; Demandata est hæc provincia Cardinali Pisano, hunc in finem Legato in Hispaniam decreto; Imperator quoque ad Arragoniæ, Castellæ, aliosque Reges suas dedit epistolas, rogans eos, ut Legationis successum sua auctoritate promoverent. Verum nec Cardinali Pisano benignior arridebat fortuna, quam quæ ceteris hoc consilio ad Benedictum ablegatis. Respondit enim Pseudo-Papa, uniendæ Ecclesiæ causam suæ relinquendam esse curæ, seque ipsum sua cum Martino consilia collaturum. Ast Cardinalis, cum hoc responsum nil nisi callidam tergiversationem esse intelligeret, fulminatas contra Benedictum, duosque ipsi adhuc adhærentes Cardinales excommunicationis Bullas per totam Arragoniam divulgavit.

Platin. c. 27. Bzov. n. 12. Vid. supr. §. CIII.

§. CV.

Dissidia Papam inter & Arragoniæ Regem.

Dum interea hæc fierent, Martinum inter & Arragoniæ Regem quædam enata est simultas. Ille enim ad Papam suos decernebat Legatos, qui peterent, ut habi-

habita expensarum ratione, quas pro bono pacis Ecclesiæ tam ipse, quam Ferdinandus Pater suus fecerant, Pontifex perpetuo jure Beneficia in Sicilia, ac Sardinia conferendi potestatem sibi concederet, simulque eum absolveret ab ulteriori onere Sedi Apostolicæ alias præstari solito, ac præterea aliquam decimarum partem ex Arragonensium Ecclesiarum beneficiis Romanæ sedi propriis sibi cederet. Petiit insuper, tradi sibi quædam loca Rhodii Equitibus subjecta, necnon cuidam Ordini Equestri supremum Magistrum præficiendi facultatem. Attamen cum Papa quotannis duodeviginti florenorum millia ex Siciliæ ac Sardiniæ reditibus perciperet, tanti momenti proventus omnino alienare recusabat, eosdem Regi ad quinquennium duntaxat offerens. Quæ repulsa tantopere Regis animum offendit, ut Petro de Luna iterum sese addixerit; quamvis ab initio satis clanculo; postea vero suos quoque Legatos Constantia avocavit, eosque Regnum suum ingredi prohibuit, eoquod, ut inquiebat, ejus juribus apud Pontificem male consuluissent. Unde factum, ut Constantiensis Synodi auctoritas non parum in Arragonia labefactaretur. Sæcul. XV. A. C. 1418.

Alphonsus necdum aperto odio Papam insequi statuens, eidem iterato sua postulata exposuit, sed nil aliud obtinuit, quam

Sæcul. XV. A. C. 1418.

Paniſcolenſis arcis, urbisque poſſeſſionem, unacum omnibus vacantium, indeque pendentium beneficiorum reditibus, hac tamen lege adjecta, ut Petrum de Luna ex præfata arce expelleret, ac Pontifici ſubjiceret. Quæ reſponſio magis adhuc Regem commovit; unde Martino in reſponſis dedit: ſe aliunde Paniſcolam occupaturum, & quidem ſine ulla Benedicti injuria. Nata ſunt ex hiſce diffidii auſpiciis maxima inimicitiarum ac litium zizania, quæ Martinum inter & Alphonſum ſuccreſcere non ceſſabant, donec Benedictus Anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quarto tandem e vivis ereptus fuiſſet.

§. CVI.

Legatio Græcorum ad Conſtantienſem Synodum.

Dupin. Bibl. tom. 12. p. 27.

Dies erat decima nona Februarii, qua Emanuel Palæologus Græcorum Imperator & Joſephus Conſtantinopolitanus Patriarcha ſolemnem decernebant legationem, ut Synodi Patribus utriusque Eccleſiæ unionem offerrent. Legatorum princeps erat Gregorius Kiovienſis Archiepiſcopus, quem comitabantur plures Tartarorum Principes, atque undeviginti Græci ritus Epiſcopi, qui omnes ſummo honore ac pompa excepti fuere. Ipſemet Imperator & Principes cum univerſo Cle-

ro

ro illis solemniter obviam procedebant, hi vero toto, quo Constantiæ morabantur, tempore plena libertate fruebantur, sacra sua secundum proprium ritum ac cæremonias peragendi. Verum hæc legatio optato successu omnino caruisse videtur. Raynaldus tamen Baronii continuator recenset Martini V. epistolam ad Emanuelis Filios datam, in qua eis significat, Græcam legationem satis benevole fuisse exauditam. Dupinus quoque refert, Eudemonem Joannem a Papa Constantinopolin remissum fuisse donis auctum, unacum illustris generis Virginibus, quæ Proceribus græcis matrimonio jungerentur, inter quas etiam fuere Montisferratensis Filia Joanni Palæologo, necnon Ducis Urbinatensis Filia Theodoro Emanuelis fratri in connubium sociandæ. Pontifex enim, ut Raynaldus ex laudata epistola testatur, Græcorum filiis latini ritus fœminas ducere concessit, adjecta tamen conditione, ut hæ ritu latino libere viverent, ac sine fidei detrimento, aut Salvatoris contumelia S. Romanæ Ecclesiæ obedientiam profiteri valerent.

Sæcul. XV. A. C. 1418.

Raynald. ad ann. 1418. n. 17.

§. CVII.

Rex Poloniæ a Papa privilegiis auctus.

Ladislaus Poloniæ Rex ob conversos ad

Sæcul. XV. A.C. 1418.

Raynald. hoc ann. n. 18.

ad Christi fidem Samogitas, & præclara in Synodum studia, necnon ob plurimas suis sumptibus conditas atque dotatas Ecclesias de Sacra Sede optime meritum sese reddebat; quocirca summus Pontifex omnia privilegia a suis Prædecessoribus Regi concessa rata habuit, editis hanc in rem Constantiæ quarta & decima tertia Maji duabus Bullis. Insuper Ladislao prærogativam contulit Vicarii generalis Poloniæ ac Russiæ Polonicæ Ecclesiarum *. Privilegia quoque Witholdo magno Lithuaniæ Duci propter eadem merita olim concessa confirmavit, illumque hujus Provinciæ nominavit Vicarium generalem, junctisque cum Imperatore studiis, unius anni inducias præcepit Polonos inter, & Ordinis Teutonici Equites, a die vigesima Julii computandas. Denique imperatum Equitibus, ut in securitatem pacti quatuor urbes Polonis cederent, hac tamen conditione, ne easdem munimentis firmarent, nec etiam Rex Poloniæ unquam sibi illarum dominium arrogaret. Alia quoque Constitutione Mense Aprili data Martinus V. sacram militiam indixit, Christianos Principes adhortatus, ut Joannem Lusitaniæ Regem contra Mauros, quibus jam Anno millesimo qua-

(*) *in Bulla additum legitur:* in temporalibus.

quadringentesimo decimo quinto Septam eripuerat, subsidiariis armis juvarent. Sæcul.XV. A.C.1418.

§. CVIII.

Damnatio libri Joannis de Falckenberg dilata.

Cum interea Gnesnensis Archiepiscopus cum Imperatore Parisiis ageret, ibidem seditiosum invenit librum, quem Joannes de Falckenberg Cameneciensis Dominicanus contra Regem, regnumque Poloniæ in gratiam Equitum Teutonicorum ediderat; quocirca Archiepiscopus Constantiam redux illius Auctorem ibi adhucdum commorantem carceri mancipari jussit. Ceterum libellus iste inscriptus erat ad omnes Reges, Principes, Prælatos, ac denique universim ad cunctos Christi fideles, quos ut in Polonorum ac Ladislai eorum Regis interitum conjurarent, adhortatur, spe facta, se æternæ felicitatis præmia consecuturos. Habetur in Dlugosso Polonicæ Historiæ Scriptore damnationis sententia auctoritate Concilii in hunc librum lata, quæ, quamvis concordi suffragio decreta fuisset, nihilominus eam in nulla Sessione publica confirmatam legimus. Certum tamen est, quod Pontifex, qui cum adhuc Cardinalis esset, eidem subscripserat, ad Equitum Prussorum preces illam irritare

Dlugoss. de reb. Polon. l. 21. p. 576.

Sæcul. XV. A. C. 1418.

tare, vel saltem quodammodo mitigare conatus fuerit.

§. CIX.

Polonorum provocatio a Papa ad futurum Concilium.

Verum hæc Pontificis indulgentia tantopere commovebat Polonos, ut non modo actionem denegatæ justitiæ instituerent, sed etiam de electione Martini V. ad futurum Concilium provocarent. Horum caussæ suffragati sunt Galli, eoquod Falckenbergii præcepta parum aut nihil discreparent a Joannis Parvi propositionibus. Verum nec illi nec isti impetrare poterant, ut libellus Joannis Falckenbergii, aut Ducis Burgundi vindiciæ a Joanne Parvo compositæ in plena Synodo damnarentur.

§. CX.

Gersonii tractatus pro Polonis.

Gerson. to. 5. p. 1014.

Hoc factum ægerrime tulit Gersonius, & in quodam Dialogo Apologetico hac de re, soluta jam Synodo, elucubrato, accerrime conquestus est. Itaque docet, in Caussis fidei licere appellare a judicio Papæ, cum hoc judicium non foret infallibile, prout tamen esset judicium Concilii Generalis. Ex quo deducit, quod in materia fidei *nulla determinatio Judicialis Episco-*

Episcopi, imo nec Papæ solius præcise ut Papæ ligat fideles ad credendum, quod ita sit de veritate fidei, sicut prætendit sua declaratio, obligat tamen subditos sub pœna excommunicationis, quod non dogmatizent oppositum, nisi appareat manifesta ratio repugnandi vel per sacram Scripturam vel per revelationem. Ulterius pergit, sicut potest declinari judicium Episcopi,* & requiri judicium Papæ, pari quoque ratione de Pontifice ad Generale Concilium appellare licet. Sæcul. XV. A. C. 1418.

§. CXI.

Bohemia ab Hussitis devastata.

Interea Hussitarum furor in dies accrescebat, eorumque quos seduxerant, multitudo plurimum augebatur; illorum quoque Coriphæi insolentius spernebant securitatis literas, quas eis Imperator ultro obtulerat, ut Constantiam de factis suis rationem reddituri adirent. Tanta Hussi- *Cochl. hist. Hussit. l. 4.*

(*) *Continuator hic studiose omisit hæc verba Gersonii, si APPAREAT DEVIUS A FIDE, in hac enim hypothesi Gersonium locutum fuisse, patet ex ipsis suis Verbis in fine tractatus allatis: HÆC AUTEM DICTA &c. quæ, si sincere agere voluisset Continuator, saltem per transenam tangere debuisset.*

Sæcul. XV. A. C. 1418.

Hussitarum petulantia Synodi Patres impulit, ut viginti quatuor articulos conderent, quibus malo magis magisque invalescenti quodammodo remedium afferrent; erant autem sequentes.

§. CXII.

Articuli contra Hussitas a Synodo decreti.

Juret Bohemiæ Rex, se libertates Ecclesiæ Romanæ, aliarumque Ecclesiarum in suo regno defensurum, atque Hussitarum insultus repressurum; omnes Ecclesiastici & Laici Wiclefi, & Joannis Hussi doctrinam tenentes, illum abjurent, renitentes vero legum severitatem experiantur; a suis beneficiis expulsi restituantur, atque intrusi inde expellantur; omnia bona Ecclesiastica, Sanctorum reliquiæ, Ecclesiarum thesauri, atque universim quævis ablata reddantur; Universitas Pragensis reformetur, Wiclefistis omnino exulare jussis; Hæresiarchæ principales ad Curiam Romanam venire compellantur; Communio sub utraque specie prohibeatur; Libri Wiclefi & Hussi necnon Jacobelli Legato tradantur comburendi; cantilenæ in Synodi odium, & Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis laudem concinnatæ prohibeantur; sine Ordinarii consensu prædicare non liceat; cæremo-

niæ

niæ & ritus Romanæ Eccleſiæ circa cultum S. Imaginum, & Reliquiarum veneprationem obſerventur; relapſi ignis ſupplicio mulctentur; ſæculares ſub pœna excommunicationis adverſus delinquentes in præfatis teneantur auxilium præbere. Sæcul. XV. A. C. 1418.

§. CXIII.

Bulla Martini V. contra Huſſitas.

Ad normam horum articulorum Martinus V. promulgavit Bullam adverſus Huſſitas die vigeſima ſecunda Februarii datam, cujus diverſæ editiones inter ſe non omnino conveniunt. In Hagenoenſi, quæ Anno Domini milleſimo quingenteſimo prodiit, hæc Bulla pro Conſtitutione Synodali exhibetur, ut patet ex his verbis: *Sacro approbante Concilio*, in aliis vero editionibus illam auctoritate Pontificis Synodum approbantis conditam fuiſſe elucet, quia hanc præfefert epigraphen. *Epiſtola Martini V. damnationem errorum Wicleſi, & Joannis Huſſi a Concilio Conſtantienſi factam approbans.* In pluribus Codicibus inſcripta legitur ad Clerum, & ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis in Bohemia, Polonia, & Anglia, in aliis vero ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, atque Inquiſitores ubicunque locorum exiſtentes; quibus præcipitur, examinentur omnes delinquentes, atque hæretici, eo-

Vonder Hardt to. 4. p. 1418.

Schelſt. diſſert. p. 188.

Sæcul. XV. A. C. 1418.

rumque fautores in judicium vocentur, brachio sæculari, si opus fuerit, tradendi; in eadem injungitur Regibus, Principibus, & Judicibus sæcularibus, ut omni severitate jussa exequantur, & ne quis forte ignorantiæ prætextu tueri se possit, Bullæ adjiciuntur quadraginta quinque Wiclefi, & triginta Hussi articuli nuper damnati, de quibus in fide suspecti interrogandi atque judicandi essent.

Vid. supr. l. CIII. §. 28. & 74.

§. CXIV.

Animadversiones in primum hujus Bullæ articulum.

Memoratu dignus est primus hujus Bullæ articulus; præcipit enim Martinus V., ut de fide suspectus juret, *credere se in omnia Concilia generalia, & speciatim in Constantiense, Ecclesiam universalem repræsentans, omniaque ab hoc Concilio damnata, vel approbata, ab omnibus fidelibus damnanda vel approbanda esse.* Quibus verbis manifeste probatur, quod Pontifex laudatam Synodum pro Oecumenica atque universali habuerit, cumque omnia ejusdem Synodi decreta a cunctis fidelibus approbanda esse jubeat, etiam auctoritatem Concilii supra Papam approbat, utpote quæ in Sessione V. decreta fuit. Schelstratus frustraneo labore hoc argumentum, quod invincibile videtur, declinare

nare conatur, dum irrito prorsus conatu Papam duntaxat illa decreta, quæ ad fidem & salutem animarum spectant, approbasse propugnat. *

Sæcul. XV. A. C. 1418.

§. CXV.

(*) *Observes velim, quod Papa in laudatis Bullæ verbis non dicat: omnia ejusdem Synodi decreta, si non sint approbata, sed ab hoc Concilio* approbata, esse approbanda; *quis autem dicere audeat, hanc Synodum eo tempore, quo legitima fuit juxta omnes, decreta Sessionis IV. & V. approbasse, cum ipsamet subscripserit damnationi propositionis XXXVI Wiclefi*, Papa non est proximus & immediatus Christi Vicarius, *nonne ipsimet Constantienses Patres approbarunt hanc interrogationem:* Utrum credant, quod Papa Canonice electus habeat supremam auctoritatem in Ecclesia Dei, *si ergo Pontifici supremam in Ecclesia, quam repræsentat Synodus œcumenica, auctoritatem adjudicant, qua via illum Synodo inferiorem esse, approbare valent. Verbo, ostendatur nobis, vel ullum œcumenicum Concilium, vel aliquis Pontifex, qui disertis verbis dicat,* Decreta Sessionis IV. & V. sunt approbata, *nos autem allegamus ipsum Martinum V. in Sessione XLV. declarantem,* quod omnia decreta NB. in materiis fidei & concilialiter facta approbet, & non aliter, nec alio modo. *Habemus Florentinum, & Lateranense Concilia, pariter Oecumenica, quæ articulum de auctoritate Synodi supra Papam*

Sæcul. XV.
A. C. 1418.

§. CXV.

Errores Picardorum in Bohemia.

Balb. epit. rer. Boh. p. 423.

Nec tamen hac Bulla Martini V. turbæ in Bohemia ſopitæ fuere, quinimo hoc anno quadraginta Picardis ex Gallia unacum ſuis conjugibus ac liberis migrantibus, majora cœperunt incrementa; Hi Coriphæum habebant Pragam quemdam Picardum, a quo dicti fuere Picardi. Nonnullorum Scriptorum fide diſcimus, ab hiſce hæreticis Adamitarum errores ab inferis reſuſcitatos fuiſſe, eorumque ducem illos ſemper nudos incedere juſſiſſe, ſimulque permiſiſſe, ut quisque in quamcunque obviam fœminam libidine incenſus, eam ducere poſſit, quin aliæ ſolemnitates præter ſolam Picardi conceſſionem adhibendæ forent.

§. CXVI.

Epiſtola Papæ ad Proceres Bohemiæ.

Cochl. l. 4. Scripſit ſummus Pontifex Menſe Martio currentis anni literas ad Bohemiæ Pro-

expreſſe reprobant. Verum non tam agitur de hujus quæſtionis veritate, quam Pontificis obedientiam excutiendi cupiditate. vide ſequentem §. CXX.

Proceres, exhortans eos, ut Huſſitarum errores ejurarent. Stylo ſane gravi, atque ad perſuadendum efficaci illis ab oculos ponit crudelitates & mala, quæ Huſſitæ per univerſam Bohemiam patraſſent; hinc eos impenſe rogat, ut violentiis hiſce ſeſe omnibus viribus opponerent. Sæcul. XV. A. C. 1418.

§. CXVII.

Legatus Papæ in Bohemiam. Deputatio Huſſitarum ad Wenceslaum.

Ut vero Papa monitis ſuis proprios, quantum in ſe erat, conatus adjungeret, ex Ordine F. F. Prædicatorum Cardinalem Joannem Dominici Legatum in Bohemiam, atque Hungariam decrevit, qui furioſos ad ſaniora reduceret. Cum vero hi impunitatis fiducia elati, cuncta inſolentius contemnerent, fruſtraneus erat Zeloſiſſimi Legati fervor: Unde turbis nullatenus ſedatis ad ſua reverti coactus eſt. Qua de re ad Papam atque Imperatorem literas dedit, ſignificans, in vanum adverſus eos lingua & calamo pugnari, ſed ad frangendam illorum pertinaciam arma in eos eſſe convertenda. Idem quoque Sigismundo conſilium jam anno ſuperiori Gerſonius dederat; aſt tum temporis illud exequi, plurima obſtacula prohibebant. Interea Huſſitæ die ſexta Aprilis in arce Viſſegradenſi con- *Raynald. hoc an. n. 9.*

Sæcul. XV. A.C. 1418.

veniunt, Nicolaum Huſſinetz ad Wenceslaum Regem ablegantes, qui plures adhuc Eccleſias ipſis concedi rogaret, eoquod ſectariorum numerus indies creſceret. Obſtupuit Rex de tanta hæreticorum impudentia, atque Legatum evoluto tertio die redire juſſit, quæ decreturus eſſet, percepturum.

§. CXVIII.

Huſſitæ, ductore Ziſcha, armati coram Wenceslao.

Exeunte triduo Wenceslaus per Virum, quem a conſiliis habebat, Huſſitis indicari præcepit, ſe equidem illis propenſum eſſe, velle tamen, ut obedientiam ſuam luculento teſtarentur argumento, atque ideo die præſtituto arma ſua ad Palatium deferrent, ac coram ſe deponerent. Quo mandato perterriti, eorum plurimi nequaquam juſſis obtemperandum rati, abire, ſibique fuga conſulere decernebant. Verum Ziſcha ſuam eis ignaviam exprobravit, exponens, illos in charybdin, dum ſcillam effugerent, præcipitatum iri, eoquod abs dubio, ſi velut fugitivi domos ſuas repeterent, ſinguli atque ab invicem ſejuncti ſenſim perituri eſſent; de cetero ſibi longe melius perſpectam eſſe Regis indolem; hunc enim adeo gaviſurum aſpectu Virorum bene armato-

matorum, ut de armis ponendis nec men- Sæcul. XV.
tionem quidem facturus esset. His ad- A. C. 1418.
dit: Ego ipsemet quoque Dux vester ero, nec vestro nomine in Palatio verba facere recuso. Hac conditione Hussitas in suam pertraxit sententiam. Itaque Zischa illos coram Rege producens, similibus eum verbis allocutus est: Sacra tua Majestas jubet, ut Hussitæ coram te comparerent armis instructi, quæ eis juxta gentis suæ jura, ut se contra hostes tuos tueri possent, deferre competit; cumque non alio consilio id jussum fuisse credamus, quam ut ad debellandos regiæ tuæ dignitatis hostes educeremur, hinc paratissimi adsumus, simul ac ejusmodi inimicos cognoverimus, vitam & sanguinem profundere. Wenceslaus callido hoc sermone deceptus, virtutem ac Zischæ audaciam commendat, omnesque Hussitas incolumes domum abire jubet.

§. CXIX.

Rosa aurea Sigismundo a Pontifice donata.

Ineunte mense Martio summus Pontifex Rosam auream a se benedictam Sigismundo Imperatori donavit, quam sub splendidissimo umbraculo delatam Cardinales aliique Prælati, comitantibus quoque S. R. I. Electoribus ceterisque Prin- *Reichental l. c.*

Sæcul. XV. A. C. 1418.

cipibus Cæsari porrigebant. Sigismundus, quamvis pede laborans in lecto decumberet, nihilominus, ut sacrum hoc munus debita cum reverentia acciperet, in solium suum se erigi curavit. De hac rosæ aureæ benedictione Petrus Blesensis sæculi duodecimi Scriptor mentionem facit. Occurrunt quoque hujus ritus documenta in quodam Innocentii III. sermone, necnon in Guilielmo Durantio, qui sæculo XIII floruit. Hæc consecratio Romæ in quadragesima tribus ante Pascha septimanis fieri consueverat, testaturque Andreas Duchenius, Urbanum V. Anno reparatæ Salutis millesimo trecentesimo sexagesimo octavo dedisse hanc auream Rosam Joannæ Siciliæ Reginæ, prius tamen Regem Cypri huic cæremoniæ assistentem eadem honorasse. Ab illo igitur tempore repetenda est ejusmodi Rosas Principibus utriusque sexus mittendi consuetudo.

Hist. Pontif. tom. 2.

§. CXX.

Constitutio Papæ de non appellando a Pontifice ad Concilium.

Expletis hisce cæremoniis non multo post Martinus Papa sacrum Cardinalium Senatum habuit in caussa Polonorum ratione libri Joannis de Falkenberg, quem Papa nuper condemnare recusabat.

Cum

Cum vero Poloni a Pontificis judicio ad proximum Concilium provocare ſtatuiſſent, Conſtitutionem edidit, *qua nulli fas eſſe* declaravit, *a ſupremo Judice, videlicet*, ut inquit, *a Sede Apoſtolica ſeu Romano Pontifice appellare, aut illius judicium in cauſſis fidei (quæ tanquam majores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt) declinare.* Sæcul. XV. A. C. 1418.

§. CXXI.

Hæc Conſtitutio a Gerſonio impugnata.

Gerſonius occaſione ex hoc Pontificis decreto captata tractatum elucubravit, in quo diſcutit: *Quomodo, & an liceat in cauſſis fidei a ſummo Pontifice appellare.* Atque licere affirmat, necnon eidem Martini V. Bullæ decretum opponit Seſſionis V. Concilii Conſtantienſis, additque plures alias rationes, quibus ſuam ſententiam probare nititur, conſtanter huic innixus principio, quod nullus in terris detur Judex infallibilis, aut qui in fide errare non poſſit, niſi Eccleſia univerſalis ſeu Concilium illam repræſentans. *Gerſon. to. 2. p.* 390. & 303. *Vid. ſupr.* §. 112.

Sæcul. XV.
A. C. 1418.

§. CXXII.

Sessio XLIII. Decreta circa reformationem Ecclesiæ.

Labbe Conc. tom. 12. p. 253.

Cum Pontifex Synodi finem exoptaret, die vigesima prima Martii Sessionem XLIII celebravit, cui ipsus præfuit, absente tamen Imperatore. Missa per Cardinalem S. Marci decantata, quædam Decreta de reformatione publicata fuere. Primum tangit exemptiones, inter quas Papa revocat omnes a morte Gregorii XI absque Ordinariorum consensu, & incognita causſa concessas, exceptis illis, quæ in gratiam alicujus fundationis, vel Universitatis datæ fuerunt. Additque: *Insuper non intendimus exemptionem de cetero facere, nisi causſa cognita, & vocatis, quorum interest.* Secundo Decreto statuitur de novo discutiendas esse coadunationes Beneficiorum ab obitu Gregorii XI a summis Pontificibus impetratas. Tertium respicit fructus Ecclesiarum vacantium, quos Papæ, aut Cameræ Apostolicæ applicari prohibet. Quartum, simoniam in Electionibus, Ordinationibus, postulationibus, & Collationibus admissam proscribit. Quintum, dispensationes, aut permissiones possidendi beneficia, quibus S. Ordo annexus est, absque ipsius Ordinis receptione revocat. Sextum disponit, ne imponantur Ecclesiis,

siis, vel Ecclesiasticis decimæ, vel alia onera, nisi gravis caussa utilitatem universalis Ecclesiæ concernens urgeret, & consensus Cardinalium, necnon Prælatorum loci accederet. Septimum innovat Canones de vita & honestate Clericorum. Octavum sequentis tenoris est: *Declaramus sacro approbante Concilio, per decreta tam lecta in præsenti Sessione, quam per concordata cum singulis Nationibus, & quæ in nostra Cancellaria poni & literas in forma publica sub sigillo Vicecancellarii confici volumus, super articulis contentis in decreto super reformatione fienda, die Sabbati trigesima mensis Octobris Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo promulgata, fuisse & esse satisfactum.* Hoc modo reformatio Cardinalium, & Curiæ Romanæ a Concilio petita, elusa videtur. Sex enim duntaxat ex octodecim articulis in decreto trigesima Octobris Anno millesimo quadringentesimo decimo septimo præfixis, in hac ultima sessione definiti leguntur. Sæcul. XV. A. C. 1418.

§. CXXIII.

Venetorum ac Genuensium Legati ad Concilium.

Feria secunda post Pascha Venetiarum, ac Genuæ Legati ad componenda quædam cum Imperatore dissidia Constan- *Ibid. p. 1543.*

Sæcul. XV. A. C. 1418.

stantiam veniunt; Verum cum Imperator plurium urbium a Venetis occupatarum restitutionem sibi fieri instanter peteret, illi vero eas reddere detrectarent, cuncta indecisa manere. Genuensium quoque postulatis Marchio Mont-ferratensis, illis summe indignatus, obstabat. Quamobrem tam hi quam illi re infecta domum regressi sunt.

§. CXXIV.

Legati a Papa in Galliam missi.

Juven. Ursin. hist. Carol. VI. pag. 440.

Imperator Gallorum pacem cum Anglis ardenter exoptans, Papam permovit, ut Legatos suos ad Carolum VI. mitteret, qui de reddenda concordia tractarent, & tandem intestina bella sedarent. Ergo Cardinales Ursinum, & S. Marci ablegat. Hi Monasterioli ad Icaunii fluvium, ubi utriusque partis Deputati die 17 Maji convenerant, comitia agi petierunt, in quibus pactum est, ut stabilita omnium præteritarum inimicitiarum oblivione, Delphinus, & Burgundiæ Dux, quamdiu Rex viveret, rerum summam administrarent.

§. CXXV.

Recrudescunt in Galliis dissidia.

Ibid. p. 445.

Verum Armeniacus, Connestabilis, & Henricus de Merla Cancellarius, junctis

junctis quoque Primariis Regni Ministris, veriti, ne a causis publicis excluderentur, vel Burgundiæ Ducis indignationem experiri cogerentur, huic pacis articulo sese omnium virium contentione opposuerunt, adeo ut ferocius, ac olim denuo intestinum bellum exardesceret. Parisienses novos tumultus exosi, eorum Auctores persequuntur, & Burgundiæ Ducis factionem iterum iterumque corroborant. Ducis Amici, quorum plurimos Parisiis numerabat, die 28. Maji intempesta nocte Joannem de Villiers Insulæ-Adami Dominum unacum octingentis Equitibus per portam S. Germani introducunt, clamantes; *Pax sit, & Burgundus!* Sæcul. XV. A.C. 1418.

§. CXXVI.

Lutetia Parisiorum a Burgundionibus occupata. Cædes ibidem perpetratæ.

Populus, donec Equites usque ad plateas SS. Dionysii & Honorati penetrassent, quietus subsistebat, postmodum vero Parisienses agmine velut facto erumpunt, & se Burgundi copiis agglomerant. Tanaquilus Castelius, Lutetiarum Præfectus audito hoc tumultu accurrens, Delphinum e lecto arripit, & sua toga cubiculari involutum in Bastilliam, & inde

Sæcul. XV. A. C. 1418.

inde Melodunum transfert. Rex vero, qui in ſuo agebat Palatio, Burgundis ceſſit. Subin eædem copiæ per totam civitatem diſcurrentes, Armeniacorum domum invadere, deprædari, pluresque captivos abducere, quos non niſi data ingenti pecuniarum vi libertati aſſeruerunt; ipſe Cancellarius captus ad Palatii carceres ductus fuit; poſtera die idem fatum tulit Conneſtabilis, ipſo illo, in cujus domo deliteſcebat, nequiter eum prodente. Qui olim in exilia relegati fuerant, reverſi ſunt, & pleni audaciæ ac furoris die duodecima Junii ſeditionem moverunt, qua crudeliorem memoria hominum non tulit. Conneſtabilem & Cancellarium e Palatio vi extractos trucidant, eorum corpora in foro judicii (*) exponunt, inde vero ad alios convolant carceres, Silvanectenſem & Conſtantienſem Epiſcopos in forenſi Carcere (*Le petit Chatelet* dicto) jugulant, ceteros præcelſis e turribus præcipites agunt, quos miſere dejectos, qui inferius ſtabant, erectis haſtarum ſuarum aculeis exceperunt. Duo fere cæſorum numerabantur millia.

§. CXXVII.

(*) *Hoc judicium lingua Gallica nuncupatur* Tabula marmorea, Table de Marbe, *ibique lites circa aquas & ſylvas dirimi ſolent.*

Sæcul. XV.
A.C. 1418.

§. CXXVII.

Burgundiæ Dux cum Regina Lutetiam ingreſſus.

Dux Burgundiæ Pariſios reverti noluit, antequam unius menſis ſpatio Joannes ab Inſula-Adam urbem occupaſſet. Poſtea vero Dux & Regina cum ingenti pompa die decima quarta Julii Lutetiam ingreſſi ſunt, reſonantibus undique Muſicorum choris. Nec tamen horum præſentia ſeditionem compeſcuit. Nam in quos vel leviſſima ſuſpicio cadebat, quod Armeniacis faverent, jam fundatus credebatur titulus, ut ſub hoc ſchemate eorum domus exſpoliarentur, atque opibus, beneficiis, & dignitatibus conſpicui crudelem in modum trucidarentur. Homines ex infima populi fæce, Duces erant truculentæ hujus ac ſanguinariæ cohortis, nec ipſi carnifici inter eos locus deerat. Imo hic ipſe furioſorum agmen duxit, qui homines plusquam ducentos die vigeſima prima Auguſti interimerunt, ipſum quoque Palatium cædibus funeſtare adeo non abhorrentes, ut in ipſum Ducem manus injeciſſent, niſi opportuno auxilio vim cohibuiſſet. Etenim ut ſeditioſorum rabiem a ſe averteret, ſex millia eorum ad obſidendum Montem Letherici urbe eduxit, qui cum ad hanc expedi-

Sæcul. XV. A. C. 1418

peditionem Parisiis egressi essent, Dux carnificem capite truncari, plures alios ceteris magis sceleratos laqueo suspendi, vel undis submergi præcepit.

§. CXXVIII.

De Societate Fratrum vitæ communis.

Spond. an. 1384. n. 12.

Anno Incarnationis millesimo trecentesimo octogesimo quarto Gerardus Groos, seu Magnus, patria Daventriensis, Sorbonæ Doctor, atque Ultrajecti Canonicus *Fratres vitæ communis* instituit, quorum societas componebatur Viris scientia ac pietate claris: Vitam sustentabant communibus facultatibus; bona enim ad evitandam mendicitatis necessitatem omnibus sibi communia habebant, simulque juvenes literis imbuere obstringebantur. Gesta Gerardi conscripsit Thomas a Kempis, ac plurimum hoc institutum commendavit, cui & ipse aliquamdiu adhæserat.

§. CXXIX.

Liber Matthæi Grabonis contra hosce Fratres Pontifici exhibitus; propositiones ex eo decerptæ.

Gerson. to. 1. p. 467.

Interim Dominicanus quidam ex Provincia saxonica, nomine Matthæus Grabon in Conventu Wismarienſi Merseburgensis Diœcesis probare aggressus est, quod

quod ejusmodi societates Auctoritati Pon- Sæcul. XV.
tificis, necnon approbatis Religiosorum A.C. 1418.
Ordinibus injuriosæ essent, & nonnisi in contemptum Votorum monasticorum ac Cœnobiorum ruinam tenderent. Igitur currente hoc tempore summo Pontifici exhibuit libellum, in quo pluribus expositis articulis ostendit, I. *Bonorum temporalium Proprietatem statui sæculari essentialiter esse annexam.* II. *Nullum sine peccato posse abjicere illud, quo retento potest convenienter vivere secundum statum suum.* III. *Eos peccare, qui omnia bona sua simpliciter in eleemosynam largiuntur propter Christum.* IV. *Omnium abdicationem propter Christum a nullo fieri posse extra veras Religiones manendo, sine peccato mortali, id est, per Sedem Apostolicam approbatas.* V. *Papam non posse dispensare cum sæcularibus, ut omnibus in singulari careant.* VI. *Religiosum non posse sine peccato mortali abdicare voluntatem habendi communia, quando actu talia non habet.* VII. *Nullum posse paupertatis, obedientiæ, & castitatis consilia meritorie observare, nisi fuerit in statu approbatæ Religionis.* VIII. *Matronas seu Virgines, communem vitam ducentes, æternæ damnationis esse filias, & earum statum esse prohibitum.* IX. *Non licere Presbyteris & Clericis communem vitam ducere, nisi in Religione approbata, sub peccato mortali.* Tandem Auctor

Sæcul. XV. A. C. 1418.

totam hujus doctrinæ summam ad viginti quinque articulos restringit, ex quibus infert, in nullo statu præter Religiosorum instituta perfectam vitam duci, neque consilia Evangelica, nec paupertatis virtutem ab iis, qui laicalem vitam profitentur, exerceri posse.

§. CXXX.

Cardinalis Alliacensis sententia de propositionibus Grabonis.

Hos articulos Martinus V. examinandos dedit Cardinali Alliacensi, & Gersonio. Cardinalis sententia erat, principale fundamentum doctrinæ Grabonianæ non modo rationi, Theologiæ morali, sed etiam primitivæ Ecclesiæ disciplinæ adversari, item erroneum ac hæreticum esse, si dicatur; Christianam Religionem non recte a sæcularibus observari, nisi ejusdem præcepta in quodam monasterio professi sequerentur: tandem in hoc libello plures alias reperiri propositiones scandalosas, temerarias, imo & protervas, atque ideo librum hunc tanquam hæreticum flammis esse tradendum.

§. CXXXI.

Gersonii scriptum in eandem sententiam.

Gerson. to. 1. p. 474.

Gersonius quoque hanc in rem composuit libellum a tribus diversæ Academiæ

demiæ Doctoribus celebratissimis appro- Sæcul. XV.
batum. Ejus judicium Cardinali de Al- A.C.1418.
liaco consonat, quod sex propositionibus, & totidem argumentis, ac corollariis corroborat, quorum analysin huc adducam.

Propositio I. Sola Religio Christiana proprie ac vere dicenda est Religio. II. Hæc non obligat ad observantiam Consiliorum. III. Et observari potest perfecte absque voto obligante ad consilia. IV. Religio Christiana non requirit ad perfectiorem sui observationem, quod superaddatur alia Religio v.g. S. Augustini &c. V. Religiones hujusmodi improprie dicuntur status perfectionis. VI. Religio Christiana perfectius debet observari a Papa, Cardinalibus, & Prælatis quam a Religiosis. Ex his sequentia deducit corollaria. I. Ergo *acceptio Religionis sicut Grabon describit, est nedum stulta, sed & hæreticalis blasphemia.* II. *Papa, Cardinales, & Prælati debent celeriter, & vehementer operam dare, ut talis doctrina extirpetur, ne serpat in majorem perniciem.* III. *Si auctor talis doctrinæ inveniatur pertinax, & nolit obedire superioribus suis, debet carceri mancipari.*

§. CXXXII.

Palinodia Matthæi Grabonis.

Hæc censura suo non caruit effectu; nam caussa in Concilio Constantien-

Sæcul. XV. A.C. 1418.

si cognita, Matthæus ad solemnem palinodiam coram Commissariis cantandam compulsus fuit, ejusque retractatio invenitur in operibus Gersonii ad calcem tractatus, quem contra hosce errores scripsit.

Gerson. op. p. 474.

§. CXXXIII.

Pactum Friderici Austriaci cum Cæsare.

Vander Hardt to. 4. p. 1544.

Adiit Austriæ Dux Fridericus, hortante Martino V. Marsburgum, castrum prope Constantiam situm, in gratiam Imperatoris rediturus: Huic negotio aliquot dierum mora interponebatur; tandem vero in Monasterio Münsterlingano haud multum Constantia dissito die vigesima quinta Aprilis pax utrinque firmata est, his conditionibus: Dux Imperatori fidem suam juramenti religione obstringat, atque eidem mulctæ loco septuaginta millia florenorum exsolvat, hocque pacto statuum suorum possessionem recuperet. Firmato hoc fœdere, Elector Brandeburgicus, comitantibus Archiepiscopo Rigensi, & Comite Oettingano, coram Sigismundo sistit Fridericum, cui Imperator juramenti formulam legendam præbuit, quo peracto data dextera ad concordiam cum illo rediit. Postea Fridericus auctoritate Pontificis a quodam Cardinale

dinale absolvitur, cui Imperator solemniter omnes ditiones cum omnibus titulis, juribus, Regaliis, ac privilegiis restituit. Si nonnullis Scriptoribus fides est, Friderici reconciliatio sincera non fuit, nam Cæsari, irrito licet conatu, vitæ insidias struxisse fertur. Tandem Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Dux iste, post varia rerum discrimina ex imprudentibus ejus consiliis enata mortalitatem exuit. Sæcul. XV. A. C. 1418.

§. CXXXIV.

Sessio quadragesima quarta.

Die 19. Aprilis Imperatore præsente, Sessio XLIV. habita est, in ea jussu Papæ Cardinalis de Chalanto legit Bullam hujus tenoris: *Martinus &c. Cupientes Decreto hujus Generalis Concilii satisfacere, pro loco proxime futuri Concilii celebrandi, consentiente & approbante Concilio, civitatem Papiensem deputamus.* Hanc urbem omnes congregati, & ipse quoque Imperator approbabant, dissentientibus Nationis Gallicæ Deputatis, qui huic sessioni non intererant, cum eorum genio hujus loci selectus non arrideret. *Labb. Conc. to. 12. p. 257.*

§. CXXXV.

Quædam Bullæ Martino V. adscriptæ.

Priusquam ad Sessionem ultimam progrediamur, referendæ sunt nonnullæ *Bzov. an. 1418. n. 2.*

dinale absolvitur, cui Imperator solemniter omnes ditiones cum omnibus titulis, juribus, Regaliis, ac privilegiis restituit. Si nonnullis Scriptoribus fides est, Friderici reconciliatio sincera non fuit, nam Cæsari, irrito licet conatu, vitæ insidias struxisse fertur. Tandem Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Dux iste, post varia rerum discrimina ex imprudentibus ejus consiliis enata mortalitatem exuit. Sæcul. XV. A.C. 1418.

§. CXXXIV.

Sessio quadragesima quarta.

Die 19. Aprilis Imperatore præsente, Sessio XLIV. habita est, in ea jussu Papæ Cardinalis de Chalanto legit Bullam hujus tenoris: *Martinus &c. Cupientes Decreto hujus Generalis Concilii satisfacere, pro loco proxime futuri Concilii celebrandi, consentiente & approbante Concilio, civitatem Papiensem deputamus.* Hanc urbem omnes congregati, & ipse quoque Imperator approbabant, dissentientibus Nationis Gallicæ Deputatis, qui huic sessioni non intererant, cum eorum genio hujus loci selectus non arrideret. *Labb. Conc. to. 12. p. 257.*

§. CXXXV.

Quædam Bullæ Martino V. adscriptæ.

Priusquam ad Sessionem ultimam progrediamur, referendæ sunt nonnullæ *Bzov. an. 1418. n. 2.*

dinale absolvitur, cui Imperator solemniter omnes ditiones cum omnibus titulis, juribus, Regaliis, ac privilegiis restituit. Si nonnullis Scriptoribus fides est, Friderici reconciliatio sincera non fuit, nam Cæsari, irrito licet conatu, vitæ insidias struxisse fertur. Tandem Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Dux iste, post varia rerum discrimina ex imprudentibus ejus consiliis enata mortalitatem exuit. Sæcul. XV. A. C. 1418.

§. CXXXIV.

Sessio quadragesima quarta.

Die 19. Aprilis Imperatore præsente, Sessio XLIV. habita est, in ea jussu Papæ Cardinalis de Chalanto legit Bullam hujus tenoris: *Martinus &c. Cupientes Decreto hujus Generalis Concilii satisfacere, pro loco proxime futuri Concilii celebrandi, consentiente & approbante Concilio, civitatem Papiensem deputamus.* Hanc urbem omnes congregati, & ipse quoque Imperator approbabant, dissentientibus Nationis Gallicæ Deputatis, qui huic sessioni non intererant, cum eorum genio hujus loci selectus non arrideret. *Labb. Conc. to. 12. p. 257.*

§. CXXXV.

Quædam Bullæ Martino V. adscriptæ.

Priusquam ad Sessionem ultimam progrediamur, referendæ sunt nonnullæ *Bzov. an. 1418. n. 2.*

Sæcul. XV. A. C. 1418.

Bullæ Martino V. attributæ. Prima decernit promptam, & liberam Apostolicorum Brevium executionem. Cum enim tempore Schismatis, vel Episcoporum negligentia, vel repugnantia, non raro Bullæ summorum Pontificum vel omnino non, vel tardius, quam S. Sedis auctoritas postularet, executioni datæ fuissent, Pontifex approbante Concilio præcepit, ut deinceps Bullæ confestim ad effectum perducerentur, etiamsi a nullo Prælato relectæ ac approbatæ fuissent. Altera omnino prohibet Mendicantibus, ne sub quovis prætextu ad aliam Religionem (Carthusianorum excepta) transirent, adjecta excommunicationis pœna, a qua solus Pontifex, ac non nisi in mortis articulo, absolvere valeat tam novum Ordinem ingressos, quam ad eum recipientes. Tertia dispensat in lege vitandi excommunicatos, saltem si nominati & a Judicibus publice denuntiati, vel notorii, & convicti Clericorum percussores non sint. An autem hæ Bullæ, præcipue ultima re ipsa a Martino V. emanaverint, dubitandi locus est.

§. CXXXVI.

Episcopus Leodiensis dimisso Episcopatu uxorem ducit.

Bzov. an. 1418. n. 8.

Certior est dispensatio Joanni de Bava-

ria

ria a Pontifice conceſſa, vi cujus, quamvis non niſi Sub-Diaconatus Ordine initiatus eſſet, viginti tamen octo annis Leodienſi Eccleſiæ præfectus, relicto Epiſcopatu uxorem duxit. Joannis enim Frater Guilielmus Hollandiæ, Hannoniæ, Friſiæque Comes, absque prole maſcula deceſſit, Jacobina vero, una e Filiabus, dicti Comitis, conſentiente populo, omnium ditionum regimen ſuſcepit. Joannes ergo illam imperio deturbare ſtatuens, præprimis Dordracum, Roterodamum, & Briellam occupat. Dein ſuos Legatos Conſtantiam mittit, qui cum Cæſare conferrent, & Pontifici Epiſcopatus ſui, utpote quem cum nubendi propoſito conciliare non poſſet, ceſſionem offerrent. Imperator prævie obtentis a Papa omnibus ad hoc neceſſariis, deſponſat eidem neptem ſuam, Antonii, Brabantiæ Ducis viduam, quam & uxorem Joannes Bavarus duxit, poſtquam a Sigismundo earum Provinciarum, quas petierat, ſupremum Dominium, ſalvis illarum privilegiis, obtinuerat.

Sæcul. XV. A. C. 1418.

Windeck cap. 14.

§. CXXXVII.

Archiepiſcopus Rigenſis in Epiſcopatu Leodienſi ſucceſſor.

Igitur cum Joannes Bavarus Epiſcopatum ſuum ita abdicaret, Martinus V. ſuc-

Sæcul. XV. A.C. 1418.

successorem nominabat Joannem de Wallenrod Rigensem Archiepiscopum; huic quippe Cardinales Leodiensem Ecclesiam jam tum promiserant, cum a Cæsaris ac Germanorum partibus deficeret, ac in electionem Pontificis reformationi Ecclesiæ præmittendam consentiret.

Vid. supr. §. 58.

§. CXXXVIII.

Sessio XLV. & ultima. Finis Concilii decima sexta Novembris Anno 1414. inchoati, & 19. Augusti hoc anno absoluti.

Labbe Conc. to. 12. p. 258.

Tandem Patres Synodo finem imposituri Sessionem XLV, & ultimam die 22. Aprilis præsente Imperatore celebrarunt. Ubi Cardinalis Aquilejensis Missam de Spiritu Sancto solemniter decantabat, qua absoluta Præsidis locum sibi proprium occupans, sermonem legit, dein vero Cardinalis *S. Viti in Macello* elata voce jussu Papæ ac Concilii hæc verba pronuntiavit: *Domini, ite in Pace,* & omnes adstantes responderunt: *Amen.*

§. CXXXIX.

Poloni condemnationem Libri Falckenbergii urgent.

Dlugoss hist. Polon. l. 11. p. 376.

Jamjam suggestum conscenderat Episcopus Cathanensis orationem dicturus, cum

cum Caſparus de Peruſio ſacri Conſiſtorii Advocatus, Legatorum Poloniæ adlatus ſuum ſtantium nomine, aſſurgens petit, ut Liber Joannis de Falckenberg publice damnaretur, eoquod hæreſes, atque propoſitiones Regno, & Poloniæ Regi exitioſas contineret, ac demum velut liber jam pridem damnatus declararetur, cum a Deputatis ad cauſſas fidei, necnon a quinque Concilii Nationibus, & a Cardinalium Collegio jam antea unanimi ſuffragio proſcriptus eſſet. Sæcul. XV. A.C.1418.

§. CXL.

Repulſa Polonis a Pontifice data.

Paulus Volodimirus, unus ex Poloniæ Legatis, cum Advocatum in ſuo libello ſupplici quædam omiſiſſe animadverteret, ſchedam hac ſuper reſcriptam lecturus ſurrexit. Aſt Pontifex indicto ſilentio declarabat: *Quod omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materia fidei per præſens Concilium, conciliariter* (id eſt ſynodaliter & in plena Seſſione) *& non aliter nec alio modo facta tenere, & inviolabiliter ſervare velit.* Quaſi dixiſſet, quod non intendat approbare, quæ duntaxat per Nationes decreta, nec tamen in generali Concilii conſeſſu fuere approbata, qualia ſunt, Decreta reformationis in Seſſione XXXIX. propoſita con-

Sæcul. XV. A.C. 1418.

demnatio errorum Joannis Parvi, & Falckenbergii (*). Interim hoc responso Legatus minime territus, lectionem suam prosequi voluit, verum cum Martinus V. ipsum cessare juberet, sub excommunicationis pœna, hic nomine Regis Poloniæ, & magni Ducis Lithuaniæ ad futurum provocavit Concilium, petiitque, interceſſionis suæ publicum confici instrumentum. Verum Pontifex ejusmodi Appellationibus jam antea obicem posuit, dum per Bullam superius relatam eas fieri prohibuit. Dupinus narrat, Bullam istam, in qua appellatio a summo Pontifice ad Concilium interdicitur, nec lectam, nec in ulla Seſſione approbatam, sed duntaxat in quadam particulari Cardinalium Congregatione promulgatam fuisse. Finita hunc in modum Polonorum causſa, Episcopus Cathanensis orationem dixit.

§. CXLI.

(*) Supple, *& Decreta Seſſionis IV, & V. quæ nequidem sacro Collegio ad deliberandum oblata fuere, & quæ Cardinales, natio Italica, ipsique Oratores Gallici annitente præsertim Imperatore Sigismundo expungi petierunt.* Vide Abbat. Panormit. Regest. Concil. Const. Schelstrat. in act. Conc. Const. fol. 2. & seqq. Galli. Vindic. Diss. 3. §. 4.

Sæcul. XV.
A.C. 1418.

§. CXLI.

Patribus discedendi facultas per Bullam data.

Absoluto hoc sermone, Cardinalis de Chalanto legit Bullam, qua Papa Concilium dissolutum declarat; En illius tenorem: *Martinus, Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Hoc etiam requirente præsenti sacro Concilio, ipsum Concilium absolvimus, omnibusque & singulis in eo existentibus ad propria remeandi licentiam impertimur. Item auctoritate Dei omnipotentis ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ejus, & nostra, concedimus omnibus, & singulis, qui in hoc sacro Concilio, & caussa ipsius interfuerant, absolutionem plenariam omnium peccatorum, semel in vita, ita, quod quilibet de prædictis infra duos menses, postquam ad ejus notitiam hujusmodi concessionis pervenerit, possit dictum beneficium absolutionis assequi in forma.*

Labb. Conc. tom. 12. p. 259.

Similem concessionem facimus in mortis articulo, & intelligimus tam de Dominis, quam de familiaribus eorundem: Sic tamen, quod a die notitiæ præsentium, pro absolutione in vita jejunent per annum feria sexta, & pro absolutione in mortis Articulo per alium annum, nisi legitime fuerint impediti.

Sæcul. XV. A.C. 1418.

diti. Quo casu debeant alia opera pietatis peragere. Post secundum vero debent etiam usque ad finem vitæ feria sexta jejunare, vel alia opera pietatis peragere. Nulli ergo liceat hanc paginam infringere &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Huic Bullæ Cardinalis Vivariensis consensit, ac totius Concilii nomine respondit, *Placet*. Ita ergo absoluta est Constantiensis Synodus, postquam illius Sessiones tres ferme annos cum dimidio tenuerant. Necdum tamen schisma radicitus extirpatum, alterum vero præcipuum curæ synodalis negotium, nempe reformatio, vix cæptum, ad aliud tempus remissum est.

§. CXLII.

Concordata Pontificis cum Nationibus.

Vander Hardt to. 4. p. 1567.

Synodo sic absoluta Imperator Tigurum diverterat, sed post brevem moram Constantiam rediit, accepto nuncio, Comitem de Schwarzenburg, primum ejus Ministrum obiisse, necnon proximum instare Pontificis discessum. Interea die secunda Maji Martinus V. concordata cum Nationibus inita promulgavit. Quibus Galli omnium virium contentione repu-

repugnabant, Papa tamen nullatenus ce- Sæcul. XV.
dere voluit; cum vero Atrebatensis E- A.C. 1418.
piscopus hæc concordata Parisios detu-
lisset, ea protinus Senatus regius rejecit,
ac libellum Pontifici exhibendum confe-
cit. Ceterum in hisce concordatis Papa
disposuit de numero, & qualitate Cardi-
nalium, de provisionibus Ecclesiarum, &
Monasteriorum, de reservationibus Sedis
Apostolicæ, de Collationibus Beneficio-
rum, de gratiis expectativis, de confir-
mationibus electionum, de Annatis, de
cautis in Romana Curia tractandis, de
Commendis, de Indulgentiis, & dispen-
sationibus. Hoc loco duntaxat Concor-
data Nationis Gallicæ recenseo, quæ
Germanorum, & Anglorum concordatis
haud absimilia sunt, etenim omnia secun-
dum normam Articulorum reformatio-
nis supra §. C. relatorum instruebantur.
Galli tamen ea non acceptarunt, utpote
Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus con-
traria.

§. CXLIII.

Decimæ ad annum Imperatori concessæ.

Cum Sigismundus pro unione Eccle- *Idem to. 4.*
siæ plurimas fecisset expensas, Pon- *p. 590.*
tifex ex Cardinalium consilio, atque ex
Germaniæ Præsulum consensu eidem

con-

Sæcul. XV. A.C.1418.

concessit, ut omnes unius anni reditus Ecclesiastici tam in suis Provinciis, quam in Trevirensi, & Basileensi necnon Leodiensi Diœcesibus percipere valeret, excepit tamen bona Cardinalium, Hospitalariorum S. Joannis, & Ordinis Teutonici, adeo ut nec obstarent quæcunque privilegia, aut exemptiones. Rigensi Archiepiscopo, Passavienſi, & Brandeburgico Episcopis per Breve Apostolicum imposita fuit decimas hasce colligendi provincia. Res tamen sua non caruit difficultate; Germanorum enim Ecclesiæ Commissariis ad exequendum hoc negotium deputatis sua exponebant onera, quo tamen successu, ignoramus, certum porro est, hanc collectam turbas excitasse, parumque abfuisse, quin hoc præmium Cæsari, utpote pacis conciliatori, indultum, cruenti in Germania belli fomes esset.

§. CXLIV.

Pontificis discessus Constantiæ promulgatus.

Platin. in Mart. V.

Martinus V. electionem suam a toto Christiano Orbe legitimam agnosci gavisus, reditum suum in Italiam maturare intentus erat; quapropter die quarta Maji, quæ erat feria quarta publice denuntiari jussit, se sine ulteriori mora proxima

xima die lunæ Conſtantia diſceſſurum. Imperator rei hujus novitate perculſus, impenſe Papam rogat, reſidua adhuc anni parte ibidem commorari vellet, plura enim, quæ deciderentur, ſupereſſe. Aſt repoſuit Papa, diſceſſum ſuum haud ultra moram pati, eoquod Patrimonium Eccleſiæ deprædationibus expoſitum, & Romana Civitas belli, famis, peſtilentiæ, necnon civilium diſſenſionum malis oppreſſa ingemiſceret. Quare enixe ſe obteſtari, ut harum rationum momentis, atque expoſitæ neceſſitati Cæſar cedere vellet, aliunde etiam, cum a toto Chriſtiano Orbe verus S. Petri ſucceſſor coleretur, juſtum, æqumque eſſe, ut hujus S. Apoſtoli Sedem occuparet, cum enim Romana Eccleſia omnium ceterarum Mater eſſet, oportere, ut ibidem Romanus Pontifex reſideret. Imperator Pontificem retineri poſſe deſperans, & ipſe abitum parat. Sæcul. XV. A.C. 1418.

§. CXLV.

Diſceſſus ſummi Pontificis.

Interea vero Martinus quindecim adhuc dies Conſtantiæ hærebat, tandem decima quinta Maji, re divina in Eccleſia Cathedrali peracta, poſtera die Conſtantia diſceſſit, comitantibus eum Imperatore, aliisque Principibus. Inſidebat equo *Monſtrelet. Vol. I. p. 192*

Sæcul. XV. A.C. 1418.

quo albo Pontificalibus indutus ornamentis, tectusque umbraculo, quod quatuor Comites deferebant. Sequebantur omnes Nobiles Viri Equestres tanta frequentia, ut horum numerus ferme ad quadraginta millia ascenderet, haud computata pene innumera pedestris comitatus multitudine; cum ad Urbis portas perveniret, ex equo descendens, & Pontificalem habitum deponens, rubram togam induit, aliumque equum conscendit, in quo sub comitatu Cæsaris ac Principum Gottlebiam pergebat, ubi Rheno sese committens, Scaphusiam tendit, Cardinalibus aliisque suis Aulicis terrestri itinere insequentibus. Inde vero Imperator cum ceteris Principibus Constantiam rediit, atque absente Papa suam præsentiam haud fore necessariam ratus, itineri sese accinxit.

§. CXLVI.

Discessus Sigismundi Imperatoris.

Nonnisi vigesima prima Maji die abiit Cæsar, iterque suum versus Argentoratum direxit, quasdam Alsatiæ urbes Imperio subditas visurus. Sunt, qui perhibent, illum Montisbeligardi cum Duce Burgundiæ consilium iniisse, quo pacto Galliam diffidiis scissam concordiæ restitueret, atque opportunis mediis Armeniacum

niacum Comitem, præcipuum publicæ pestis fautorem compesceret; verum divina Justitia severissimo flagello de cædibus in Franciæ regno perpetratis vindictam sumpsisse videtur, quippe a mense Junio usque ad finem Octobris pestilentia tam atrox sæviit, ut Parisiis plusquam quadraginta hominum millia, maximam partem de infima plebe, consumpta fuerint. Sæcul. XV. A.C. 1418.

§. CXLVII.

Continuati Gallorum tumultus.

Ex quo Delphinus a Franciæ Metropoli fuga se subduxerat, ejus fautores pro illo strenue dimicabant. Galli vero, qui neutri parti adhærebant, nec privatis commodis intenti erant, dubii fluctuabant, utrum vel Regis imperio, quem Burgundus genio suo obsecundantem habuit, vel potius proximi hæredis mandatis obtemperarent. Nam quo se verterent, periculum imminebat, ne tanquam rei ac rebelles proclamarentur. Interim Britanniæ Dux de pace agere cæpit, ejusque articuli ad S. Maurum prope Parisios instruebantur; Verum qui Delphini aures importunius occupabant, toti in eo erant, ne concordiæ pacta acceptarentur; quapropter non nisi trium septimanarum induciæ fuerunt initæ. *Juv. Ursin. Hist. Car. VI Monstrelet. c. 186.*

§. CXLVIII.

Sæcul. XV. A.C. 1418.

§. CXLVIII.

Discessus Electoris Brandeburgici, aliorumque Principum.

Paucis ante Cæsaris discessum diebus Elector Brandeburgicus Constantiam reliquit. Abierunt pariter Archiepiscopus Gnesnensis, ceterique Poloniæ Legati, ægre tamen ferentes, quod juxta merita causſæ, adversus seditiosum Joannis Falckenbergii librum nequidquam legis auxilium imploraſſent. Gersonius, qui ardentissimo juxta ac imperterrito zelo, quamvis frustraneo, Joannem Parvum condemnari instabat, ultroneo exilio semetipsum mulctabat, eoquod ob Ducis Burgundiæ potentiam tunc temporis formidandam in Gallias redire haud ultra auderet. Ergo sub peregrini habitu Rotenburgum in Bavaria sese recepit, ubi a Duce Alberto perbenigne exceptus, in sui defensionem varia scripsit opuscula. Tandem anno Domini milleſimo quadringentesimo decimo nono Lugdunum in Cœnobium Cœlestinorum, in quo frater ejus, nomine Nicolaus, Prioris officium sustinebat, se contulit.

Richer. apol. pro Gers. p. 304. &c.

Ceterum Galli, antequam per suos Legatos Martini V. electionem canonicam fuisse comperissent, eundem revereri cunctabantur, veriti, ne obsequium illegitimo

timo præstarent Pontifici, vulnusque, quod curare veniſſent, periculoſius redderent. Poſtquam vero Carolus VI. Rex intellexiſſet, hanc electionem juxta SS. Canonum præſcripta fuiſſe inſtitutam, Martinum ut legitimum Pontificem coluit, atque a toto ſuo Regno eundem agnoſci juſſit; nihilo ſecius fortiter inſtitit declarationi, ineunte menſe Aprili a ſe datæ, qua Eccleſiam Gallicanam in ſuis libertatibus conſervari, econtra vero Annatas, reſervationes, ſubſidia, aliaque ejusmodi onera admodum odioſa aboleri, contenderat. Verum nequicquam adhibitis, quibus ſuam declarationem tuebatur, mediis, illa haud diu ſubſtitit. Sæcul. XV. A C. 1418.

§. CXLIX.

Dux Burgundiæ Pontificis fautor.

Burgundus enim, cujus nutui non modo Pariſienſis civitas, regisque animus ancillabatur, ſed etiam ſumma rerum ad genii ſui imperium, ac privati commodi ſtudium adminiſtrabatur, altefatam declarationem anno nondum evoluto revocari juſſit, eo conſilio, ut Pontificem, & Cardinales ſibi devinciret, quorum favorem in cauſſa Joannis Parvi manifeſte expertus eſt. Quocirca omni tempore, quo bellum cum Anglis flagrabat, Pontificum auctoritas in confe-

Secul. XV. A.C. 1419.

rendis Galliæ beneficiis eadem erat, qualem ante edicti promulgationem Anno Salvatoris milleſimo quadringenteſimo ſexto exercebant.

§. CL.

Mortuo Wenceslao Imperator Bohemiæ Rex electus; Ziſcha electionis adverſarius.

Cochl. Hiſt. Bohem.

Wenceslao Anno Domini quadringenteſimo decimo ſeptimo ſupra milleſimum e vivis erepto, Bohemiæ regnum jure hæreditario Sigismundo Cæſari obtigit. Ziſcha vero Huſſitarum Princeps, ac ſupremus eorum Bellidux ad Bohemiæ Proceres ab Imperatoris electione provocavit, etſi cum omnibus ſolemnitatibus peracta fuiſſet. Præterea Sigismundum omnino ſceptri indignum eſſe proclamabat, eoquod ſupplicium Joannis Huſſi, & Hieronymi Pragenſis approbaſſet; Ergo Sectatorum ſuorum turmam convocat, Regni comitia agendi prætextu uſus, atque ab eis ſibi in mandatis dari poſtulat, ut bellum Sigismundo nunciaret, quo impetrato copias ſuas in bina dividit agmina, quorum illud adverſus arcem Viſſegrad nullo ferme negotio occupatam, alterum vero contra Pilſenæ oppidum educit, ubi cives in diverſa ſtudia abeuntes, atque aliunde præſidiario mili-

milite destituti, ad primos insultus dedi- Sæcul. XV.
tionem fecerunt. Opportunam equidem A. C. 1419.
Imperator ad cohibendos Hussitarum progressus, & ad extinguendam hæresin, tunc nactus fuisset occasionem; cum autem pertimesceret, ne Turcæ Albamgræcam, unde abscesserant, simul ac Sigismundum adversus Bohemos arma moviſſe cognoscerent, reverterentur, rebus suis male consulit; inde enim factum, ut neglecta hac opportunitate Bohemiam amitteret, Hungariam vero infaustis armis tueretur, infidelibus magnam illius partem dire devastantibus.

§. CLI.

Papa Mantuam, & Florentiam profectus.

Mense Decembri ad finem vergente, elapso anno Martinus V. Genua discedens, superatis Alpibus Mantuam pervenit, inde Mense Februario currentis anni Florentiam contendit. Quo in itinere a recta via studiose devius, Bononiam declinavit, quam urbem sub libertatis revocandæ prætextu Antonius Bentivolius in sua adhuc potestate tenebat. Florentini vero summum Pontificem præclaris honorum significationibus exceperunt, apud quos non modo reliquam anni, sed etiam potiorem sequentis partem transe- *Platin. in Martin. V.*

Sæcul. XV. A. C. 1419.

git, præstolaturus, donec salvo Pontificiæ dignitatis honore Romam repetere, ibidemque tuto commorari sibi liceret; nondum enim Patrimonium Ecclesiæ ab hostili metu liberatum erat, arce S. Angeli, Ostia, ac urbe veteri sub Imperio Joannæ Siciliæ Reginæ adhucdum constitutis.

§. CLII.

Martinus V. a Joanna Siciliæ Regina agnitus.

Regina cum Pontificem Florentiam venisse intellexisset, eo decrevit summum Sicilianæ Curiæ Prætorem, qui Martino V. Pontificios honores ejus nomine gratularetur, obsequiumque præstaret: Papa vicissim Cardinalem Petrum Maurocenum patria Venetum ad eam ablegavit, ut eidem Neapoli coronam imponeret, ea tamen lege, ut Jacobum Borbonium Maritum suum e custodia liberum dimitteret; quem jam longo tempore captivum detinebat, cum illa interim pudoris immemor turpissimis præfati Prætoris, aliorumque amplexibus indulgeret. Jacobus obtenta libertate pie usus, in Gallias rediit, & sæculi vanitates, atque adversos fortunæ suæ casus admodum pertæsus, S. Franciſci institutum professus est, ibique usque ad annum

num Salvatoris noſtri milleſimum qua- Sæcul. XV.
dringenteſimum trigeſimum ſextum regu- A. C. 1419.
lari obſervantia aliis præluxit, ſanctam-
que vitam coluit, quamvis ejus conjux
illius exemplo minime ſaperet, nec ad ſa-
niora rediret.

§. CLIII.

Epiſtolæ Poloniæ Regis ad Martinum Papam.

Cum Pontifex Florentiæ ageret, allatæ *Vonder*
ſunt literæ, quas Poloniæ Rex in- *Hardt to. 4.*
eunte hoc anno ad eundem perſcripſerat.
Querebatur injuriam ſibi occaſione litis
cum Equitibus Teutonicis a Synodo illa-
tam, eoquod Nuncii Papales, etiamſi dun-
taxat ad conciliandam pacem, non vero
ad decidendam Equitum Pruſſorum cauſ-
ſam mandata accepiſſent, nihilominus Re-
gem nec auditum, nec per ſe, nec per
alium ſuo nomine præſentem condemnaſ-
ſent, quinimo ſententiam in eum, prius-
quam ſibi exhiberetur, promulgaſſent.
Idem exponit, quod, quamvis ejusmodi
ſententia, ita opinante ſummo Pontifice,
juri ſuo non derogaret, nihilo tamen ſe-
cius ejus famam læderet, cum ſaltem
calumniatoris, atque iniqui litigatoris no-
tam ſibi aſpergeret, ſe quidem, addebat,
haud ægre ferre, Papæ Nuncios plus Equi-
tibus, quam ſibi propenſos fuiſſe, non ta-

Sæcul. XV. A. C. 1419.

men dissimulare posse, quod illi existimationem suam apud omnes ejusmodi sententia tam inique denigrassent, hacque suffulti eo audaciæ, ac temeritatis processissent, ut nec de pace, nec de induciis ultra mentionem fieri paterentur.

Subjungebat demum, ipsum quoque Joannem Falckenbergium ab hisce Equitibus incitatum fuisse, ut Regiam suam personam velut Ecclesiæ, ac Christianæ Religionis eversorem ubique proclamaret, quamvis inviolabile suum erga utramque studium facta luculenter demonstrarent: Equites econtra omnia pacta violasse, variis licet præliis devictos, itentidem tamen ad arma rediisse, se vero, licet frequentem de Equitibus victoriam reportasset, ad primum tamen Papæ, Cæsarisque nutum victricibus suis armis finem imposuisse, spe fretum, tandem firmam, solidamque pacem, eorum opera, stabiliendam esse; Ceterum se haud ignorare, Nuncios illos aperto partium studio abreptos fuisse, se tamen iisdem Conciliatoribus usurum, ac de pace cum Teutonicis acturum, dummodo Sanctitas sua injuriam iniqua hac sententia sibi illatam reparare, suumque honorem redintegrare dignaretur. Dlugossus, qui hanc Epistolam Historiæ suæ Polonicæ integram inseruit, testatur. Pontificem, tam suorum Nunciorum, quam Equitum agendi rationem

Lib. XI.

nem vehementer improbasse; unde haud temere conjicimus, eodem tempore Papam in gratiam rediisse cum Polonorum Legatis. Sæcul. XV. A. C. 1419.

§. CLIV.

Perusium a Papa recuperatum.

Post hæc summus Pontifex Florentiæ adhucdum agens nullum non movit lapidem, ut Mediolani Ducem Pandulfo de Malatestis reconciliaret; nec piis Martini studiis optatus defuit eventus. Interea Braccius Mantuanus, qui nomen Defensoris Romanæ Urbis sibi arrogaverat, a Sfortia inimico suo, & Reginæ Neapolitanæ Connestabili urbe pulsus est, ac præter Perusium, aliasque nonnullas Patrimonii D. Petri civitates, reliquas omnes amisit, quas ab obitu Ladislai Ecclesiæ ditionibus ereptas possederat. Hic, cum studiosissimus esset Joannis XXIII, arma adversus Martinum V. movit, cujus anathema adeo petulanter vilipendit, ut per ludibrium ipsus quoque summum Pontificem excommunicare præsumeret. Quapropter Martinus infensissimi hujus hostis vires fracturus, urbes, quæ adhucdum ejus tyrannidi subditæ erant, recuperare aggressus est, Florentinis Pontifici validam opem ferentibus, quorum opera tandem Braccius ad *Anton. in tit.* 22. c. 7.

Sæcul. XV. A. C. 1419.

pedes Pontificis procumbere compulsus fuit, relictis ei duntaxat quibusdam oppidis, atque pagis, quos tanquam Papæ Vicarius teneret; quamquam haud diu ferox illius animus quiesceret. His peractis Martinus illico Bononiam ingressus, cum Venetis fœdus inibat.

§. CLV.

Balthasar Cossa Martino V. adhærens.

Platin. in Mart V. Onuphr. de Rom. Pontif.

Die decima septima Martii quatuor Cardinales Petri de Luna, qui ante exauctorationem suam Benedictus XIII nuncupabatur, Martinum V. adibant, illum velut legitimum, ac unicum agnoscentes Pontificem, quos Papa admodum benevole excepit, ob eorum reditum ingenti perfusus lætitia, quæ tamen vix non immense creverat ex Balthasaris Cossæ, antehac Joannis XXIII, submissione. Hic jam quartum ferme annum captivus detinebatur, tandem Florentini, quos semper sibi addictos experiebatur, Martinum supplices adibant, ut pietate motus Virum libertati assereret. Constat etiam Balthasarem eodem tempore liberum evasisse, sive ex pacto, quod Martinus ipsemet cum Comite Palatino de ejusdem libertate inierat, cum nihil ultra ab illo timeret, si intra Italiæ fines detineretur,

sive

sive demum ex triginta aureorum mil- Sæcul. XV.
lium lytro, quo libertatem suam redemis- A. C. 1419.
se, Ciaconius, aliique existimant. Certum insuper est, quod Balthasar in Parmæ finibus ad veteres Amicos suos inviserit, eorumque non paucos numeraverit, qui eum, si forte ad Papatum redire cuperet, consilio, opibusque juvare pollicebantur; quinimo haud deerant, qui illum, ut denuo Papalia insignia assumeret, fortiter urgebant, sive affectu erga illum, sive odio adversus Neo-electum Papam stimulati, sive demum novitatum studio, aut melioris fortunæ spe animati; unde parum abfuit, quin schismatis cicatrix recens obducta, iterum refricata fuisset.

§. CLVI.

Balthasar ante Pontificis pedes prostratus illum tanquam Papam veneratur.

Equidem tam ampla Amicorum suorum pollicitatio, gravis, eaque periculosa erat ambitioso homini tentatio; cum enim Balthasar honorum cupiditate arderet, vel saltem passim talis ab aliis haberetur, facile inde nactus quoque fuisset injurias hucusque perpessas ulciscendi occasionem; præterea non sine veritatis specie illa omnia, quæ tam Constantiæ, quam in carcere egisset, nonnisi vi ac metu

Sæcul. XV. A. C. 1419.

tu extorta, denuo nulla declarare potuisset. Nihilominus contemptis hisce omnibus, quasi novum hominem induisset, nonnisi suo consilio usus, inconsultisque amicis suis, pridie ad festum Corporis Domini die decima quarta Junii Florentias contendit, solus ferme, nullisque securitatis literis munitus; moxque, cum adveniisset, in pleno Patrum consessu ad Martini V. pedes provolutus, ejus clementiam exorat, illum tanquam verum & unicum Christi Vicarium veneratur; atque insuper singula, quæ in Synodo acta fuissent, confirmat. Hoc spectaculum adstantium oculis lacrimas expressit, ipsiusque Pontificis viscera tanto miserationis sensu commovit, ut illum humi prostratum manibus suis elevans, pluribus paternæ benevolentiæ, ac tenerrimi amoris significationibus complecteretur, utque omni, quo posset, modo ab ejus mente exutæ dignitatis memoriam aboleret, illum eo honoris gradu auxit, qui parum a priori, a quo exciderat, abesset. Itaque non modo in Cardinalium numerum adoptatus, ac S. Collegii Decanus creatus est, sed insuper in omnibus publicis functionibus, Consistoriis, aut Congregationibus secundum a Papa locum obtinuit, atque in subsellio ceteris sublimiori sedit.

§. CLVII.

§. CLVII.

Sæcul. XV.
A. C. 1419.

Obitus Balthaſaris Coſſæ, dicti Joannis XXIII.

His tamen honoribus exiguo admodum tempore utebatur; quippe vigeſima ſecunda Decembris die ſexto expoſt Menſe mortalitatem exuit. Senex Coſmas de Medicis inſignis ejusdem Amicus, ſuique ævi non modo in Italia, ſed forte in univerſo Orbe divitiis, atque magnificentia celebratiſſimus, Balthaſaris exequias tam ſplendida decoravit pompa, ut ſummorum Pontificum funeribus majori honore ac Majeſtate parentari haud potuiſſet; idemque defuncto celeberrimum in Eccleſia S. Joannis monumentum poni curavit. *Platin. in vit. Pontif. Martin. V.*

§. CLVIII.

Manfredus Dominicanus.

Cum Papa Florentiæ ageret, Dominicanus quidam, nomine Manfredus, Vercellenſis, vir pietatis fama clarus Antichriſtum proxime venturum annuntiabat, argumentis ex Apocalypſi mutuatis, quibus magnam Virorum, mulierumque copiam tanto percutit timore, ut relictis omnibus ſuis bonis, tertium S. Dominici Ordinem amplecterentur, atque Viri a conjugibus ſeparati, ſub diſciplina *Antonin. tom. 20. c. 7. §. 8.*

Sæcul. XV. A.C. 1419.

plina dicti Manfredi, ex labore manuum victum quærentes, novum vitæ genus instituerent, divinum officium magna cum devotione persolventes. Pontifex autem veritus, ne successu temporis ejusmodi Congregationes in Ecclesia Dei nova afferrent mala, eas abolevit, & singulos sodales domum suam repetere jussit, eisque Eleemosynas conferri prohibuit, nec tamen hoc institutum funditus evellere potuit, ob ferventissima populi in Manfredum studia, quamvis S. Bernardinus Senensis Ordinis S. Francisci, illum in Concionibus suis impugnasset.

§. CLIX.

Mors S. Vincentii Ferrerii. Ejus opera.

Ap. Surium 5. April.

Sanctus Vincentius Ferrerius quinta Aprilis hujus Anni Venetiæ in Britannia ad cœlos migrasse creditur. Jam pluribus in locis hujus Sancti mentionem fecimus, impræsentiarum duntaxat de ejusdem scriptis loquimur, quæ omnia typis excusa, & pluribus editionibus Ulmæ, Coloniæ, Argentorati, Lugduni, & Venetiis publicæ luci data fuere. Potior eorum pars sermones complectitur, qui gravitate Apostolici ministerii, ac Viri sancti-

sanctitate minus digni videntur *. Præter hosce sermones eidem quoddam attribuitur opusculum, de vita spirituali, seu de homine interno; item de Oratione Dominica; tractatus de fine mundi, seu de ruina vitæ spiritualis; de dignitate Ecclesiastica & de fide Orthodoxa; necnon de duplici adventu Anti-Christi, qui varias continet Prophetias, seu comminationes, præter *tractatum consolatorium in tentationibus fidei.* Exstant quoque aliquæ illius Epistolæ, una ad Benedictum XIII, de qua jam superius, altera ad Joannem Puteanum Ordinis FF. Prædicatorum Generalem, tertia ad Bonifacium fratrem suum, qui Ordinis Carthusianorum erat Præpositus numero vigesimus quintus, & quarta ad Gersonium, quæ duæ postremæ incompletæ prostant, binæ ad Infantem Arragoniæ, Petri IV Regis Filium, & alia denique ad Ferdinandum I. Arragoniæ Regem. Ceterum Vir ille a Calisto III. Divorum fastis Anno Salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto adscriptus est.

Sæcul. XV. A. C. 1419.

Bullar. tom. 1.

§. CLX.

* *De his Natalis Alex. ad Sæcl. XV. fol. 178. scribit:* has Conciones ipsius esse, ut editæ sunt, ægre mihi persuasero, quamvis doctrinam ipso non indignam contineant.

Sæcul. XV.
A. C. 1419.

§. CLX.

Dux Britanniæ in custodiam datur.

Galliæ ingentes, quibus identidem agitabatur, tumultus vix non ultimam ruinam comminabantur. Equidem Dux Britanniæ dudum dissidentium animos componere intentus erat, irrito tamen conatu, unde in terras suas rediit, ac propriæ suæ securitati consulturus, cum Anglis fœdus pepigit, quo sibi de mutuo contra aggressores auxilio cautum esset. Margarita enim Clissonia Joannis Blessensis, Pontiverii Comitis vidua, Britanniæ Ducatum sibi vindicare meditabatur, prætendens, eundem hæreditariam esse quatuor suorum filiorum portionem; hos ergo, ut Britanniæ Ducem caperent, instigat, in cujus consilii partem etiam venit Delphinus, ægre ferens, quod altefatus Dux in Anglos nullatenus arma vertere, sed neutras partes sequi meditaretur. Hi igitur telam, quam exorsi sunt, perfecturi, Ducem quam plurimis amicitiæ signis demulcent, animique relaxandi gratia ad Castrum-celsum, quod prædium in Andegavia possidebant, invitant. Venit ille cum fratre suo Richardo inermis, ac cum exiguo suorum comitatu, ast Oliverii jussu, qui inter hosce quatuor fratres natu major erat, a quadraginta Equitibus armatis comprehenditur, & vinculis, loris-

Pentievre.

Chantoceaux.

lorisque arcte constrictus, ad castrum Pa- Sæcul. XV.
ludelli in Pictavienſi agro ſitum abſtrahi- A.C.1419.
tur, inde vero ad varia alia loca raptatur, ſparſo interim ubique rumore, Ducem præ nimio animi mærore mortuum, aut undis ſubmerſum periiſſe. Tam atroci facinore univerſa Britannia vehementer commota, ad arma convolat, Ducisque conjugi plusquam quinquaginta hominum millia ſubmittit, quorum præſidio Maritum libertati reſtitueret.

§. CLXI.

Aggreſſores hujus Ducis capitali ſententia damnati.

Ergo Caſtrum-celſum obſidione cingitur, in quo tamen haud amplius Dux, prout credebatur, ſed ſola Margarita Cliſſonia cum unico Filio ſuo morabatur. Hæc vero, cum jamjam pars muri tormentorum vi everſa eſſet, ob imminens vitæ periculum tam vehementi perceliebatur timore, ut animo fracta, morbi, mortisque anguſtiis oppreſſa, in ſingula ferme momenta nuncios ad Oliverium Filium ſuum ablegaret, ſollicitans, ut, ſi Matris ſuæ vitam caram, ſalvamque vellet, Ducem e cuſtodia dimitteret. Annuit quidem Oliverius, ſed Britanno, antequam eum libertati reſtituiſſet, iniquum obtrudit pactum, ac quascunque de-

Sæcul. XV. A.C. 1419.

mum libebat, conditiones ab eo extorsit, unde factum, ut illud a Britannis nullo modo acceptaretur. Hinc quatuor istorum Fratrum caussa in judicium deducitur, ipsique capitali sententia mulctantur, castra eorum solo æquantur, ac bona publicata, ne amplius ad dejectos possessores redire possent, Viris potentia præcipuis traduntur.

§. CLXII.

Rothomagum ab Angliæ Rege oppugnatum, captumque.

Polyd. l. 22.

Ferventibus hisce diffidiis Rex Angliæ ineunte Mense Junio Rothomagum obsidione premit. Nobilitas loci, & probata civium fides merito exposcere videbatur, ut ad solvendam obsidionem extrema adhiberetur sollicitudo; varia proin tentabantur media; nunc quippe per Papæ Legatos connubium Catharinæ de Francia cum Henrico V. offerebatur, nunc collectis quibusdam copiis vim vi repellere cæptum est; sed incassum omnia; Rex enim tales Anglis proponebat conditiones, quas acceptare abs re fuisset, aliunde Delphinus hanc urbem potius Burgundicam, quam Gallicam reputans, parum anxius erat de obsessorum fletibus, quamvis jamjam ad incitas redacti essent. Nam ferme triginta hominum millia

millia fame consumpta, & plusquam vi- Sæcul. XV.
ginti millia grassante lue perierunt; hinc A.C.1419.
cives deditionem fecerunt, ea lege, ut Anglis nonnisi trecenta aureorum millia penderent, simulque tres primæ Nobilitatis Viros traderent, quos inter Blanchardus capite truncatus est. Adimpletis hisce conditionibus Henricus V. incolas suis legibus permisit vivere, ac die decima nona Januarii currentis anni millesimi quadringentesimi decimi noni urbem ingressus est, qua capta Anglorum armis tota cessit Normannia.

§. CLXIII.

Angliæ & Franciæ Regum consultatio.

Omnium sollicitudo in id intenta erat, *Juven. Urs.*
ut non modo ambo Reges, sed etiam *Hist. Car. VI*
Armeniacus, & Burgundiæ Dux firmo fœdere conjungerentur. Hunc in finem præprimis Galliam inter, & Angliam trimestres sanciuntur induciæ, quibus transactis uterque Rex in vicinia Meloduni convenirent, & tam de pace, quam de futuro connubio conferrent. Actum pariter de intestinis Gallorum tumultibus, quibus regnum in duas factiones scindebatur, ad quos sedandos Delphinus trium annorum, Burgundus vero duorum nonnisi mensium inducias postulabant, quarum

Sæcul. XV. A.C. 1419.

rum fiducia Dux fretus, si cum Delphino in gratiam rediturus esset, vel Anglos communibus armis aggredi, vel fœdere cum illis inito, atque eorum subsidio auctus, totam belli molem in Delphinum transferre moliebatur. Ergo locus, in quo uterque Rex ad colloquium ex pacto congrederetur, nominatur silva quædam muris septa, ac Meloduno parum dissita. Cum vero Carolus VI. Pontisaræ morbo impeditus hæreret, Regina ejus vices supplens, secum Catharinam de Francia adduxit, quam Henricus Angliæ Rex sibi desponsari cupiebat.

§. CLXIV.

Delphini cum Burgundo pacis compositio.

Monstrelet. vol. 1. c. 26.

Ubi vero illi, qui Delphino a consiliis erant, de futuro colloquio edocebantur, Burgundiæ Ducem sibi devincire, ac denuo cum illo in gratiam redire festinabant; unde sinceræ reconciliationis spes affulgere videbatur, quam ipsemet Burgundus anxiis votis exoptabat, perceptisque primis concordiæ pactis eo inducebatur, ut obfirmato magis animo ferme omnia Anglorum postulata rejiceret, quo factum, ut pristina cum Anglis amicitia multum deferveseceret, quinimo exiguo post tempore mutuum inter eos odium

odium palam fieret. Ergo Dux Pauliaci, quod altero lapide Meloduno distat, Delphinum convenit, atque ambo sub dio inter utriusque exercitus ordines sibi invicem occurrunt, ac singuli decem Nobilibus stipati, fœdus ibi percutiunt, quo amicitiam, & mutua auxilia juramenti religione firmata spondent, & si fors data fides frangeretur, sese S. Sedis judicio subjiciunt. Itaque pacis conditionibus Sacramento firmatis, decernunt, se decima octava Augusti die Monterigoli ad pontem Icaunii, comitantibus ex parte utriusque duntaxat decem Viris, denuo congressuros, ut reliqua diffidiorum capita amice componerent, ita tamen, ut durante pacis conventione Burgundus in castro, Delphinus autem in urbe habitaret, atque in ipso ponte, qui castrum ab urbe dividit, bini ponerentur cancelli duabus portis instructi, quos inter medius daretur locus undique bene septus, qui uno tramite aditum ad castrum, altero vero ad urbem panderet, per eosque ad congressum convenirent Principes. Tanaquilus de Castello, & Joannes Luvetus Provinciæ Prætor non alio ex consilio hoc colloquium urgebant, quam ut Burgundiæ Ducem eo facilius e medio tollerent, quem Pauliaci morti tradere ausi non fuerant, nunc vero hi ipsi cancelli commodius sanguinario

Sæcul. XV. A.C. 1419.

Pouily-le fort

Sæcul. XV. A.C.1419.

eorum propoſito favebant. Delphinus præſtituto die Monterigolum ſe confert, Duce ultra quindecim dies moras trahente; Nam quominus hunc locum accederet, obſtabant ſuorum Amicorum monita, terrebat propria proximi fati ſui præſaga mens, ac Judæi cujusdam vaticinium; hic enim, nomine Magiſter Muſca, inter Ducis domeſticos alebatur, eidemque prædixerat, illum quidem Monterigolum iturum, ſed nunquam redieturum: nihilominus Burgundus ſpretis his omnibus cujusdam fœminæ de Gyac, quam turpi amore deperibat, ſuaſionibus ceſſit.

§. CLXV.

Burgundus in ponte Monterigoli ex inſidiis trucidatus.

Monſtrelet. c. 212.

Tandem die decima Septembris Burgundiæ Dux advenit, quem Delphinus jam a vigeſima ſexta Auguſti expectabat. Ergo ex pacti lege in caſtro habitat, inde vero in pontem deſcendens, ad aditum, quo locum clauſum intraverat, excubias ponit, ac demum Delphini pedibus provolvitur; cum autem ſurgere juſſus cum eo loqueretur, Tanaquillus de Caſtello cum ſuis cancellos tranſiliens, in Ducem irruit, pluribusque haſtæ ſuæ ictibus ſaucium interimit. Burgundi Ducis milites ſicariorum impetus molli

molli brachio repellebant, excepto solo Nobili de Nouailles Buchiensis Dynastæ fratre, qui cum strenue sese parricidarum gladiis objiceret, vulnere affectus, tertio expost die animam efflavit. Multi Delphinum hujus cædis conscium fuisse affirmabant; Juvenalis tamen Ursinus in Historia Caroli VI. omnibus viribus eum ab hoc crimine absolvere nititur: Alii econtra horrendum hoc facinus, vel jussu, vel consilio cujusdam Principis, proximi Gallicæ coronæ hæredis patratum fuisse, asseveranter testantur. Utut res se habeat, hoc flagitium honori, ac famæ Delphini teterrimam notam inussit. Sæcul. XV. A.C. 1419.

§. CLXVI.

Philippus paternæ cædis vindex.

Philippus unicus defuncti Ducis hæres Patris sui cædem ulcisci parabat, nec consilio suo vires deficiebant, cum omnes Burgundicæ Domus Amici, cunctique Gallis male affecti validum offerrent auxilium. Quinimo facinoris atrocitas etiam magis imbelles animabat, & Parisienses antiqua sua renovabant studia; Philippus quoque populi amorem sibi conciliaturus, Anglos ad ineundas inducias induxit, exclusis Delphini Deputatis, licet eadem ex caussa Rothomagum venissent. Eo ex temporis articulo Galli, Juven. Urs. l. c.

Sæcul. XV. A.C. 1420. Angli, & Burgundi perinde, acsi unius Patris filii, eademque gens essent, mutuam coluere amicitiam, atque anno sequenti Henricus V. Anglorum Rex Catharinam de Francia matrimonio sibi copulavit.

§. CLXVII.

Emanuelis Imperatoris Filii Catholicorum Principum Filiabus desponsati.

In Oriente Emanuel Constantinopoli adhuc sceptrum rotabat. Princeps erat apprime doctus, præcipue tamen schismaticorum erroribus, eorumque partibus usque adeo addictus, ut ad tuendas illorum opiniones ipsus calamum suum exercuerit. Verum successu temporis fervor decrevisse videbatur, sive ex eo, quod veritatem agnoverit, sive quod eam agnovisse, in sui commodum simulaverit. Hic, dum Isthmum Corinthiacum clausserat, ut Turcas Peloponesi aditu arceret, Latinorum fidei unacum Euthymio Patriarcha, Theologo præstantissimo iterum accedere decreverat; cum ergo comperisset, demortui Patriarchæ successorem, Josephum Metropolitam Ephesinum paria fovere desideria, petiit a Martino V. nuper in Constantiensi Synodo electo, ut senos, quos habebat, Filios,

Joan-

Joannem, Theodorum, Andronicum, Conſtantinum, Demetrium, & Thomam Principum Catholicorum Filiabus connubio locare poſſet, quod & ejus precibus datum eſt. Sæcul. XV. A.C. 1420.

§. CLXVIII.

Joannes Palæologus Emanuelis Filius in conſortium Imperii adſcitus.

Quod ubi impetravit Emanuel, hoc ipſo anno Joannes ejus Filius natu major Sophiam Marchionis Montferratenſis Filiam uxorem duxit. Poſtea Emanuel ſenio, atque adverſa valetudine plurimum viribus exhauſtus, Joannem in ſocietatem imperii vocavit, utque data occaſione de Latinorum auxilio certior eſſet, animo conſtituit, denuo ad eorum unionem reverti. Compulerant Imperatorem ad capeſſendum ejusmodi conſilium calamitoſæ ævi ſui rationes; cum enim Muſtaphæ partibus adverſus Amuratem II. Turcarum Sultanum ejusdem fratrem faveret, ab illo ſatis gravi premebatur bello, cui utpote hoſti potentiſſimo Emanuel, cum imparem ſe eſſe cerneret, ad Papam confugit, ejusque auxilium imploravit.

Sæcul. XV.
A.C. 1420.

§. CLXIX.

Emanuelis Legatio ad Pontificem.

Ergo ad ſubeundam hanc provinciam Legatos nominat, Epiſcopum Theodorum, & Nicolaum Eudemonem Joannem celeberrimum, ac maximæ apud Græcos auctoritatis Virum. Hos Papa Florentiæ cum ingenti lætitia excepit, cognoſcens, quod Græciæ Imperatores, Emanuel, & Joannes Palæologus, hujus nominis tertius, Filius natu maximus, nuper in imperii conſortium vocatus, Eccleſiæ latinæ cum omnibus ſubditis ſeſe aggregare decreviſſent, atque hujus rei cauſſa Synodum Conſtantinopoli convocari petiiſſent. Quare ſummus Pontifex Cardinalem S. Angeli ad perficiendum hoc ſalutare conſilium Legatum deſignat, præmiſſo prius Patre Antonio Maſſano ſupremo FF. Franciſcanorum Præpoſito, qui præliminaria tractaret negotia. Fidem quoque Pontifex utrique Imperatori dedit, quod Chriſtianos Principes ad auxilia adverſus Turcas ferenda ſollicitaturus eſſet, interim eos hortatus, ut ſincero ad Eccleſiæ ſinum reditu Deum ſibi propitium redderent.

§. CLXX.

Sæcul. XV.
A.C. 1420.

§. CLXX.

Neapolitani Regni jura Ludovico a Pontifice asserta.

Quamvis Papa Martinus V. Joannam II. pro Siciliæ, & Neapolis Regina agnoſceret, utpote cui etiam utriusque regni poſſeſſio ſuffragabatur, nihilominus Ludovico III. jus ad hanc coronam diplomate ad finem anni milleſimi quadringenteſimi decimi noni dato confirmavit. Infauſtum hoc conſilium Pontifici ſuggeſſit Joannes Caracciolus ſupremus Neapolitanæ Curiæ Prætor, Joannæ Reginæ ante omnes alios gratiſſimus, cui illa non modo liberam regni, ſed & corporis ſui poteſtatem indulſerat. Hanc autem turpitudinem quidam Neapolitani Proceres permoleſte ferentes, ſub hoc prætextu Ludovici Andegavenſis factionem denuo ſuſcitarunt, jamque Sforția, inſignis ille conjuratorum Princeps ab eis in auxilium vocatus, Reginam in extremas redegit anguſtias; cum ſubito Caracciolus, vir prompti conſilii, improbæ licet vitæ, in Procidam Inſulam ſponțaneo exilio ſemetipſum mulctaret, ut Dominam ſuam ab exitio tempeſtive liberaret. *Raynald an. 1420. n. 8.*

§. CLXXI.

Sæcul. XV.
A. C. 1420.

§. CLXXI.

Caracciolus a Regina Legatus ad Papam missus.

Eo in exilium deportato pax rediit, & Sfortia supremus totius regii exercitus renuntiatur Præfectus; Regina vero, quæ in cunctis a Caraccioli, licet exulis, arbitrio atque consiliis semper pendebat, eundem tanquam oratorem suum ad Martinum V. etiamnum Florentiæ commorantem decernit, eo consilio, ut illum remotiori adhuc exilio castigasse crederetur.

§. CLXXII.

Pacta Pontificem inter & Neapolis Reginam.

Caracciolus tanta dexteritate gratiam Pontificis aucupari, illumque in suas partes pertrahere noverat, ut fœdere inito Martinus non modo Reginæ auxilia adversus quoscunque, sed etiam ejusdem coronationem a Legato Pontificio peragendam sponderet: Illa vero vicissim arcem S. Angeli, Ostiam, urbemque veterem, quas civitates a Rege fratre ejus defuncto illa adhucdum tenebat, Pontifici restituere, ac Columnensibus amplissimas in regno suo ditiones concedere pollicebatur, fide etiam data, se sanctitati

suæ,

Sæcul. XV. A.C.1420.

ſuæ, quam citiſſime, adverſus Braccium, qui Peruſium, aliaque loca ſubegerat, validiſſimo exercitu ſuppetias laturam.

Hoc pacto utrinque executioni dato, Martinus Cardinalem Maurocenum, Venetum, Neapolim Legatum decrevit, qui Reginam ſolemni ritu coronaret, hac tamen lege, ut illa Maritum ſuum e cuſtodia dimitteret; cui etiam obtemperavit Regina; Sfortiam vero, ut a regno ſuo amoveret, cum ſubſidiariis copiis adverſus Braccium ad Papam miſit. Jamque prælium utrinque committitur, & Sfortia, quamvis nullam impigri Ducis partem omitteret, ſuaque animi fortitudine partam ubique gloriam comprobaret, hac tamen pugna devictus eſt, per ſummam perfidiam a Nicolao, & Gilberto Urſinis proditus; hi enim, dum prælium acrius inſtaret, ex condicto cum ſuis copiis propius ad hoſtium vexilla tranſibant. Papa clade percepta Reginam impenſe hortatur, ut ad redintegrandum Sfortiæ exercitum ſupplementa militum ſubmitteret, illa vero ſurdas præbuit aures; Caracciolus enim denuo Neapolim redux Reginæ auctor fuit, ut amplis quidem, inanibus tamen promiſſis Papam detineret; quippe Sfortiam opprimere animo conſtituerat. Hic autem haud ignarus, quæ faba ſibi cuderetur, ad priſtina Neapolitanorum Procerum conſilia rediit, ac conſen-

Sæcul. XV. A.C 1420.

consentiente Papa secretarium suum ad Ludovicum III. Andegavensem, qui tum in Provincia agebat, ablegavit, impense rogans, ut Regni, quod omni jure ipsius esset, habenas capesseret.

§. CLXXIII.

Neapolis a Sfortia Ludovici Andegavensis nomine obsessa.

Tam opportunam occasionem Ludovicus avide prehendit, atque altefatum Sfortiæ Secretarium cum ingenti pecuniarum vi, qua bellum inchoaret, redire jubet, pollicitus, se quoque cum valida classe, quam mox Massiliæ instrui curaret, proxime venturum. Sfortia his firmatus subsidiis, recto tramite copias suas Neapolin ducit, ipsique Reginæ baculum, militaris imperii signum, reddit, declarans, bellici sui sacramenti tempus expirasse, proin se imposterum sub Ludovico Rege stipendia meriturum. Igitur Proceribus, qui Andegavensis partes tuebantur, sese adjungit, omnesque Neapolis aditus sedulo intercludit, ne terrestri itinere in amplam hanc urbem quidquam commeatus invehi posset. Carracciolus proximi periculi conscius, nulla mora Antonium Caraffam ad Pontificem Florentiæ agentem ablegat, rogans, ut auxilio esset, priusquam Classis ex

ex Provincia appelleret. Ubi vero Antonius intellexit, Papam Sfortiæ, & Ludovici Andegavenſis partibus adverſus Reginam adhærere, proin in eo nullius præſidii ſpem eſſe repoſitam, clam conſilia agitat cum Arragoniæ Legato, qui pariter Pontifici infenſus erat, eoquod Regis ſui poſtulatis repugnaſſet. Sæcul. XV. A.C. 1420.

§. CLXXIV.

Conſilia cum Arragoniæ Legato de liberanda Neapolis urbe.

Huic Caraffa proponit, quod magis expediret, Neapolitanæ urbi ſuppetias ferre, quam in Corſicam Genuenſium Inſulam expeditionem movere, maxime, cum jam aliunde Alphonſus illam validiſſima claſſe oppugnaret, his addit, certo Regem a Regina adoptatum, regnique Neapolitani ſucceſſorem nominatum iri, ſi eidem in extremo hoc diſcrimine opem ferre haud cunctaretur. Ad hæc reſpondit Legatus, Alphonſum, dummodo Caraffa Reginæ ſuæ mandatum exhibere valeret, haud ægre conſenſurum. Quam ob rem nuncius Neapolin ablegatur, ac ſeptimo abhinc die Reginæ mandatum obtinetur, unde fœdus, quamvis Hiſpana gravitas negotio moram ingerere timeretur, tanta tamen celeritate confectum eſt, ut ſimul ac Caraffa auctoritate & nomine

Sæcul. XV. A C 1420.

mine Joannæ Neapolis Reginæ Alphonsum Arragoniæ Regem adoptaſſet, hic e veſtigio Reginæ ſexdecim triremes optime inſtructas cum ingenti navium numero, ductore Raymundo Pariglios ſupremo rei navalis Præfecto tranſmiſerit, ipſe etiam paulo poſt cum validiori adhuc exercitu ſubſecuturus.

Interea vero Ludovicus Andegavenſis cum tredecim triremibus, & ſex navigiis Maſſilia ſolvit, ad oſtium Sebethi fluminis, alias *Fornello*, ſeu *Rio della Magdalena* dictum, exſcenſione facta Sfortiæ copiis ſeſe adjunxit. Quo facto ambo Neapolin tanto impetu terra marique cinxerunt, ut ampliſſimam hanc urbem omni commeatu intercluderent, & Neapolitanos de deditione paciſci compellerent.

§. CLXXV.

Obſidio a Sfortia, & Ludovico Andegavenſi ſoluta.

Verum priusquam urbs deditionem faceret, die ſexta Septembris opportuna celeritate Alphonſi exercitus advenit, quo conſpecto mox omnis mutata eſt rerum facies. Hæ enim copiæ Andegavenſibus numero longe ſuperiores, eadem die portum occupant, maris liberum aperiunt aditum, urbemque præſidio, atque annona abunde inſtruunt; unde Ludovicus

dovicus obsidionem solvere cogitur; Regina vero, ut hostibus validius resisteret, conditiones pacis cum Braccio iniit, huic maxime proficuas. Ergo ille confestim cum copiis suis ingentem Sfortianorum Equitum stragem edidit, non sine acerbo Pontificis dolore, qui experiri cogebatur, quod Regina Braccium, juratum S. Sedis hostem, ad suas traxisset partes; quocirca aperto Marte adversus eam pugnare decrevit, & Ludovico Andegavensi militum subsidia sub Duce Tartaglia submisit. Sæcul. XV. A.C.1420.

§. CLXXVI.

Alphonsus Arragoniæ Rex a Joanna adoptatus.

Hæc dum geruntur, ipse Alphonsus cum potenti classe viginti quinque triremium, ac plurimarum navium bellicarum apparatu Neapolis portum ingreditur, Victoris adinstar a Regina incredibili lætitia exceptus; Ergo ex pacti legibus castri novi, & castri Ovi possessionem accipit, Regina vero adoptionem Alphonsi solemni ritu confirmat, eumque utpote Regni successorem, Calabriæ Ducem proclamat. Hinc Papa veritus, ne Alphonsus, (ita enim minabatur) ad obsequia Petri de Luna rediret, duos Cardinales Legatos ad eum misit, qui Ludovicum *Marian. l. 20 c. 11.*

Sæcul. XV. A.C. 1420.

Andegavensem Alphonso reconciliare studerent; Hi vero nil nisi inducias impetrabant, quæ tamen primum anno sequenti suum sortitæ sunt effectum.

§. CLXXVII.

Victoria Zischæ.

Balb. Epit. rer. Boh.

Zischa, Hussitarum Dux, insignem prorsus in Bohemia reportavit victoriam, atque Catholicorum equestribus copiis penitus deletis, pedestres, qui nimio terrore perculsi, ne quidem primos hostium impetus sustinebant, in fugam egit. Zischa, ut ad victoriæ summam perveniret, feria tertia pridie ad diem cinerum Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo, noctis beneficio Auscam invaserat; ambo enim hujus urbis Toparchæ Copejus, atque Ulricus, incolas suos, utpote Hussitas, ex illa propulsabant. Copejus vero cum ingenti præsidiarii militis numero trucidatus est, Ulricus autem ad castrum Litium auffugit, quem tamen ibidem Zischa manu sua interemit, omnesque, quotquot armati occurrerent, promiscue jugulari præcepit.

§. CLXXVIII.

Copiæ a Sigismundo in Bohemiam missæ.

Simulac Imperator de prosperis Hussitarum

rum succeſſibus edocetur, mille haſtatos, Equeſtris exercitus robur, in Bohemiam mittit, ut victricia Huſſitarum arma prohiberent, ne ultra Auſcam procurrerent. Verum omnes hi equites nocte, quæ Paraſceves diem præcedit, qua interfecti, qua ab Huſſitis capti fuerunt. Ipſe quoque eorum Dux ægre admodum fuga ſaluti ſuæ conſuluit. Demum vero Vogliſæ oppidum a victoribus expoliatum, flammis conſumptum eſt. Sæcul. XV. A.C.1420.

§. CLXXIX.

Urbs nova a Ziſcha condita, ac Thabor appellata.

Poſtquam Huſſitarum exercitus ſat virium habebat, ut Ducis ſui ad altiora aſpirantis imperia exequi valeret, hic urbem condere ſtatuit, in quam ſui Sectatores, velut ad opportunum adverſæ fortunæ præſidium ſeſe recipere poſſent; præſenſerat enim, ſibi brevi cum toto Cæſaris exercitus robore confligendum. Ergo montem quemdam Peninſulæ haud abſimilem ſeligit, quem hinc amnis alluit, illinc torrens non ignobilis rigat. Aditum urbis profunda foſſa, ac triplex murorum ambitus non minoris latitudinis quam firmitatis claudit. Novæ huic Urbi nomen Thabor indidit, eique ſectæ ſuæ ſtudioſiſſimos incolas dedit; novæ *Æn. Sylv. hiſt. Bohem. c. 43.*

Sæcul. XV. A. C. 1420.

autem Pragæ, quam aſtu cæperant Huſſitæ, Ceuchonem præfecit, quem Imperator oblata perduellionis venia, ut dictum locum cederet, compulit. Ziſcha vero re comperta, quantocius copias ſuas urbi admovet, cujus tamen arx adeo valide munita erat, ut facile omnes Huſſitarum impetus eludere poſſet, donec Cæſar exercitum ſuum contraheret. Ergo Sigismundus recto itinere Pragam contendit, atque Huſſitas novæ Pragæ obſidionem ſolvere cogit, non modo urbem Thabor expugnaturus, ſed etiam eodem victoriæ curſu totum ſectariorum agmen extincturus. Quapropter mediam exercitus ſui partem caſtra movere jubet, ac Roſſenio & Cragero Comitibus belli imperium demandat. Ziſcha vix horum adventum intelligens, mox Huſſinetzio Cæſareos inſequi præcipit, a quo etiam cæſi fugatique fuerunt.

§. CLXXX.

Cæſaris exercitus ab Huſſitis cæſus.

Cochl. l. 5.

Cæſar acceptam cladem ulturus, Ziſchæ caſtra in eminenti monte, quem Villechonem appellant, poſita expugnare conatur. Ergo Huſſitas omni ex parte aggreditur, jamque Miſniæ Marchio in caſtra irruit, ſectariis nequidquam reſiſtentibus. Ziſcha perſuaſus, de ſuorum ſalute

salute actum fore, nisi Cæsari reliquas quoque suas copias admovendi spacium præriperet, eumque ex occupato loco propulsaret, tanto furore ac impetu instare cæpit, ut Cæsarei post trinam irruptionem in partem montis maxime præruptam acrius protruderentur, atque ex alto deturbati, per abrupta præcipites agerentur. Qua clade tantopere fracti erant Imperatoris milites, ut Zischa novam Pragam recuperaret, atque victor urbem ingrederetur. Cæpit etiam arcem Wissegrad, Cæsare jam quarta vice prosligato, qui die vigesima Martii Bohemia excedens, ad compescendos Moravorum rebellium insultus Silesiam contendit. Sæcul. XV. A.C. 1420.

§. CLXXXI.

Secta Horebitarum.

Post hæc Zischa suos sectariis recens natis coinquinatos comperiens, illos ab hac fæce purgandi consilium cæpit. Hi Orebitarum, seu Horebitarum nomen sibi arrogabant, eoquod fingerent, se fidem sectari, quæ æque sancta esset, ac lex a Deo Moysi in monte Horeb data. Ceterum ab Hussitis non discrepabant, nisi quod Sacerdotes ac Religiosos quovis sævitiæ genere divexarent, credentes, se ingens Deo præstare obsequium, si illos inter atrociissima tormenta neci darent,

Sæcul. XV. A. C. 1420.

rent. Hinc quosdam igne crudeliter comburebant, alios vestibus penitus nudatos, & binos ac binos invicem colligatos rigente hyeme super stagna glacie constricta projiciebant. Hos tamen penitus extirpare Ziscka non audebat, veritus, ne vel minima suorum divisio hostium potentiam augeret, eos nihilominus adstrinxit, ut junctis suis quoque armis cum eo bellum gererent, vicissim illis spondens, se imposterum nullis Catholicorum Sacerdotibus vitæ gratiam concessurum.

§. CLXXXII.

Sacra militia adversus Hussitas.

Æn. Sylv. l. c. Dubrav. lib. 24. in fin.

Die prima Martii hujus anni Papa adhuc Florentiæ commorans, cognitis Hussitarum in Bohemia violentiis, ad Imperatoris preces contra eos, eorumque asseclas sacrum bellum indixit. Verum nec hoc anno Sigismundus benigniorem fortunam expertus est, postquam enim adversus Monasterium Claronense, quod Ziscka ob opportunitatem loci in munitam arcem converterat, copias suas admovisset, nescio, an Zischæ adventus, vel potius victoriarum, quas reportavit, memoria Cæsareos tanto terrore oppresserit, ut nec justitia caussæ, nec proprii honoris studium, nec Sacramenti fides

fides, nec ipsa Cæsaris salus in discrimen acta, eos absterrere sufficerent, quin signa relinquerent, atque una omnes turpi fuga elaberentur. Hac ignominia, ac siniſtro fato Imperator adeo perculsus erat, ut & ipse citato pede Bohemia excesserit; cujus absentia Ziscka ad immania quævis perpetranda liberam nactus copiam, plane inauditas crudelitates exercere cæpit. Sæcul. XV. A.C.1420.

§. CLXXXIII.

Concordiæ pacta Gallos inter & Anglos.

Philippus Burgundiæ Dux Patris sui cædem ulciscendi cupidine adeo impotenter stimulabatur, ut nulla habita ratione extremi periculi, cui regnum illud exponeret, ad quod tamen deficientibus proximioribus hæredibus jure vocaretur, nuptias Regis Angliæ cum Catharina Caroli VI. Filia ab illo expetitas promovere decerneret. Itaque eo animo cum Henrico Trecas in Campaniam venit, ubi Galliarum Rex, qui ingenio parum valebat, & Regina ejus conjux Henrico addicta morabantur. Mox pacis fœdus ineunt, quod omnes, qui aderant, Optimates, cunctæque liberæ urbes, quæ huic factioni adhæserant, jurejurando firmabant. Quibus peractis in Ecclesia

Sæcul. XV. A.C. 1420.

S. Joannis secunda die Junii nuptiæ Henrici V. Angliæ Regis cum Catharina solemni pompa celebrantur, Henrico de Savoisy Senonum Archiepiscopo Regios sponsos sacris cæremoniis conjungente, ipsoque Carolo VI. futurorum malorum ignaro, ejusque Conjuge Regina præsentibus, quæ in hac occasione contra Delphinum proprium Filium suum potius sese Novercam, quam Matrem exhibuit.

§. CLXXXIV.

Hujus pactionis Articuli.

Juven. Urs. Hist. Car. VI

Hujus fœderis leges erant: *Henricum a Carolo in Galliarum regno successorem agnoscendum, liberos masculos hoc matrimonio nascituros in Gallia successuros, si Pater socero superstes esset; vivente autem Carolo Henricum nomine Galliæ Regis non usurum; ast administraturum eum Rempublicam cum titulo Hæredis & Gubernatoris; utraque Galliarum, & Angliæ Regna unienda, & ab uno tantum capite tenenda esse, nimirum ab Henrico, ejusque mascula progenie, verumtamen salva utriusque independentia; utrumque Regnum particulares leges suas conservaturum, salvis quoque omnium harum Provinciarum, omniumque Personarum juribus, ac privilegiis. Cæterum pacem cum Delphino ineundam non esse, nisi uterque Rex, Burgundiæ Dux,*

&

& ſtatus utriusque Regni conſenſiſſent. Juvenalis Urſinus teſtatur, alia capitula adeo iniqua & inſana fuiſſe addita, ut potius ſilentio premi deberent. Sæcul. XV. A C. 1420.

§. CLXXXV.

Expugnatio Senonum, Monterigoli, & Meloduni.

Poſt hæc ambo Reges, & Burgundiæ Dux, Senonibus, & Monterigolo captis, Melodunum obſidere parant. Arcis hujus Præfectus erat Dominus de Barbaſan, qui præſidiarios numerabat Equitum quam plurimos, vinci neſcios, ac pro viribus reſiſtere paratos. Equidem invicta horum virtus Henricum docuit, quantæ molis eſſet totam expugnare Galliam; nam quarto jam menſe civitas fruſtra oppugnabatur. Delphinus locum ab obſidione Anglorum liberare tentabat, aſt cum horum caſtra undique validiſſime munita eſſent, a propoſito deſiſtere compellebatur; unde obſeſſi famis violentia expugnati deditionem fecerunt, quibus data eſt vitæ ac libertatis gratia, nullo lytro ab eis exacto. Nihilominus his conditionibus non ſtetit Victor, ſed plurimi in cuſtodiam dati ſunt, ſub obtentu, ipſis nil niſi vitæ veniam fuiſſe promiſſam. Ceterum de violata fide Angliæ Rex poſtulabatur. *Juv. Urſin. ibid.*

Sæcul. XV. A.C. 1420.

§. CLXXXVI.

Uterque Rex cum Reginis Lutetiam ingressus.

Walsing. in Henric. V.

Quibus confectis ambo Reges Lutetiam veniunt, & prima Dominica Adventus ingenti pompa urbem ingrediuntur, sequenti vero die non minori solemnitate utraque sequebatur Regina, festivis populi acclamationibus excepta, Die sexta Decembris tres Regni Ordines conventum agentes, censum argenti selibrarum imponebant, quo Cives, Mercatores, & Clerici octavam bonorum partem conferre jubebantur. Adiit Angliæ Regem Parisiensis Universitas, supplicans, ut ab hoc onere eximeretur, sed surdas pulsabat aures, & Deputati precibus suis pertinacius insistentes, inhumaniter repellebantur; additis quoque carcerum minis; quocirca, ne in suspicionem etiam adducerentur, ac si Armeniacorum fautores essent, protinus recesserunt.

§. CLXXXVII.

Delphinus a sententia in eum lata provocat.

Monstrelet. Vol. I. c. 224.

Die vigesima tertia ejusdem Mensis Philippus Burgundiæ Dux, præsente utroque Rege, eorumque Senatoribus in

in æde S. Pauli cauſſam ſuam in judicio proſequitur, perorante Magiſtro Nicolao Raulino Parlamenti Advocato. Allegatis Burgundiæ Ducis Patris ſui cædem, atque adverſus Delphinum, ceterosque parricidii reos procedi poſtulat. Cauſſa ingenti animorum, vocisque contentione utrinque agitatur. Petrus de Marigny, Advocatus Generalis, & Joannes Haqueninus ſupremus Procurator Delphinum ſceleris reum proclamant; hinc more conſueto ad tabulam marmoream (*) appellatur, quo facto Delphinus perinde ac ſi confeſſus, & de cæde convictus eſſet, omni ſucceſſionis jure, nominatim hæreditariæ Galliarum coronæ indignus, ac regno in perpetuum proſcriptus pronunciatur. Delphinus ab hac ſententia contra jura, regnique leges, ac ab incompetentibus judicibus lata ad Deum, ſuumque gladium provocat, & Parlamentum, ipſamque Univerſitatem Pictavium transfert, quo illuſtriora utriusque Ordinis membra ſeſe contulerunt. Unde in toto regno duplex erat rerum ſtatus, nempe duo Reges, duæ Reginæ, duo Parlamenta, duo Conneſtabiles, duo Cancellarii, totidemque rei navalis Præfecti, imo in quolibet digniori officio duo numera-

Sæcul. XV. A.C. 1420.

(*) *Ita in Galliis quoddam judicium appellari, jam ſupra obſervavimus.*

Sæcul. XV. A. C. 1420.

merabantur Miniſtri, nil dicam de Mareſcallis Franciæ. Itaque Henricus V., re proſpere in Gallis geſta, cum novella ſua Conjuge in Angliam rediit, ubi a ſubditis ſuis ingenti gaudio exceptus eſt.

§. CLXXXVIII.

Cardinalis S. Angeli Legatus Conſtantinopolim profectus.

Hoc anno Cardinalis S. Angeli ad Imperatorem Græcorum Legatus Conſtantinopolim abiit, duabus munitus Papæ epiſtolis, una ad Joannem Palæologum, altera ad Joſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum, quem ſummus Pontifex novæ Romæ Archiepiſcopum, Fratremque ſuum appellabat. Has literas Imperatori reddidit Eudemon Joannes, qui pluribus deprædicata ſincera Pontificis voluntate, Imperatorem, & Patriarcham, ut ejus votis annuerent, permovere conabatur. Jam trigeſimus effluxerat annus, a quo nullus Papæ Legatus Conſtantinopoli viſebatur.

Ceterum Imperator & Patriarcha Martino V. in hanc ſententiam reſcripſere: Unicum optatæ unionis medium eſſe œcumenicum ac liberum Concilium Conſtantinopoli, & non alibi celebrandum, atque ab ipſomet Imperatore juxta antiquam conſuetudinem convocandum.

dum. Hæ literæ ſequenti anno in Occidentem perlatæ ſunt. Papa hanc propoſitionem, etſi minus arrideret, penitus non rejecit, ſed ſe conſentire reſpondit, dummodo Joannes Imperator itineris ſumptus, atque expenſas Prælatis neceſſarias ſuppeditaret; non enim Papam latebat, Joannis Palæologi vires adimplendæ conditioni impares eſſe, cum illum Turcæ bello premerent, ac ſuæ etiam Regiæ Metropolis expugnationem minitarentur, prout nonnullis poſt annis factum perſpiciemus. Sæcul. XV. A.C. 1420.

§. CLXXXIX.

Braccii obitus.

In hunc annum Spondanus refert, Braccium vivis ereptum fuiſſe; cum enim in quadam pugna, etſi ſub alieno habitu dimicaret, a proſcriptis tamen Peruſinis in eum ſolum intentis agnoſceretur, occiſus occubuit, caruitque ſepultura, utpote Eccleſiæ hoſtis, & excommunicatus. Non deſunt tamen, qui mortem illius quarto ex poſt anno ſub Franciſco Sfortiæ Filio contigiſſe teſtentur. Hujus Viri obitus Pontificem ab hoſte admodum terribili liberavit, qui jam eo inſolentiæ pervenit, ut non modo Eccleſiæ ſtatum ſeſe everſurum, ſed etiam Papam ad tantas anguſtias redacturum jactitaret, *Spond. an.* 1420. *n.* 10.

Sæcul. XV. A. C. 1420.

ret, ut pro uno Bajoco, (ſpecies eſt monetæ Italicæ valentis ſex obulos Turonenſes, ſeu decimam unius Julii partem) ex ſingulari favore Miſſam dicere cogeretur.

§. CXC.

Madera Inſula cum Indiis Orientalibus detecta.

Interea temporis Luſitani magna Henrici, qui Joannis Luſitaniæ Regis filius erat, liberalitate ſtimulati, illo ævo novas Inſulas, novasque Nationes in Oceani vaſtitate detexerunt. Hi enim inſtructa claſſe ad ignotæ felicitatis ſpem in Occiduum pelagus ſeſe commiſerunt, ac præprimis Ulyſſiponem inter & Inſulas Fortunatas quamdam aperuerunt Inſulam, latitudine quidem exiguam, eximia tamen cœli, ſolique clementia pergratam, hanc pro jure ſuo Maderam nominarunt, quod cæduis lignis abundaret. Inde extima Africæ litora obliquo curſu legentes, ad ultimas Orientis plagas penetrant. Atque inſuper Orientales Inſulas detegunt, quæ ſaltem, ſi loca ſpectentur maritima, hucusque incognitæ delitescebant. Inter præcipuos periculoſæ navigationis hujus Duces potiſſimum tres celebrantur, nimirum Joannes Conſalvus, & Triſtanus, qui Maderam Inſulam Luſita-

Lusitanorum imperio adjunxere, necnon Ægidius Annius; qui Christianæ fidei aditum ad Hesperias, Æthiopes, aliasque inaccessas antehac Nationes nunc feliciter inventas, primus aperuit. Postea Henricus Dux, ut Lusitanos ad iterata ejusmodi itinera magis accenderet, a summo Pontifice Martino V. impetravit, ut quicquid Lusitaniæ Reges a Granatensi promontorio ad ultimam usque Indiam detecturi essent, Lusitanorum ditioni cederet, fuitque idipsum ab aliis deinde Pontificibus confirmatum, ut ex diversis eorum diplomatibus elucet. Sæcul. XV. A. C. 1420.

§. CXCI.

Concilium Salisburgense.

Sub idem tempus Eberhardus Salisburgi in Germania Archiepiscopus, in sua Metropoli celebravit Synodum, eo fine, ut durante schismate pene collapsam morum disciplinam restitueret. Omnia ergo statuta, quæ antehac Guido, & Joannes Cardinales ac Sedis Apostolicæ Legati, necnon Fridericus Conradus, & Pilgrinus Eberhardi Antecessores condiderant, denuo confirmata fuere. Præterea in hac Synodo triginta quatuor articuli promulgabantur, quorum primo tanquam erronea damnatur illorum opinio, qui docent: *Quod Presbyter seu Sacerdos curatus* *Labbe Conc. to.12. p.380.*

Sæcul. XV. A. C. 1420.

tus in peccato mortali existens non possit conficere corpus Christi vel absolvere, eadem damnatione rejicitur eorum error, qui asserunt, *Episcopum vel Sacerdotem curatum tali peccato gravatum non posse absolvere Presbyteros fornicarios a fornicationis reatu.* II. Decernitur, *Synodos Provinciales & Diœcesanas celebrandas esse, prout antiquis Canonum Decretis ordinatum.* III. *Consuetudines, quæ gravamen Ecclesiis inducere dignoscuntur, invalidas esse censendas.* IV. *Nullum ad S. Ordines admittendum, nisi recenter confessus fuerit omnia sua delicta idoneo Sacerdoti.* V. & VI. *Omnes illegitime natos ab Ordinibus suscipiendis arcendos.* VII. Prohibetur, *ne Judices inferiores ad superiores appellent* (*). VIII. Præcipitur, *ut Ecclesiarum Rectores suis Vicariis sufficientem & honestam portionem assignent.* IX. *Nec sine gravi causa aut præter justitiam sententia interdicti feratur.* X. Explicantur obligationes Prælatorum in suis visitationibus. XI. Capellani in capellis privatorum celebrare

(*) *Continuator manifeste halucinatus est, nam Canon iste VII. prohibet omnibus superioribus judicibus*, ne subditis suis litigantibus coram eis impedimentum præstent, quominus causas suas appellationum ad examen superiorum libere deferre possint.

brare prohibentur, *nisi antea Archiepiscopo loci obedientiam fecerint manualem.* XII. Statuitur, eos, qui absolutionem a censuris per vim extorquerent, ejus fructu privandos. Nec deinceps excusatos haberi, qui *ob rerum amissionem, metum corporis, aut subditi inobedientiam, mandatum Prælati exequi detrectarent.* XIII. Minus *ullum metum excusare in illis præceptis, quæ in non faciendo consisterent.* XIV. Decernitur, *cessiones actionum in præsentia Episcoporum seu Officialium suorum esse faciendas, ac a cedentibus jurandum, quod vere cederent.* XV. Præscribitur, qualiter citandi sint illi, quos Parochi ob potentiam eorum citare non auderent. XVI. Innovantur Canones de modestia in habitu Clericorum, & statuitur, *ut Religiosi Episcopi suæ Religionis habitum aperte deferant.* XVII. Declaratur, Clericos ad fora sæcularia non esse trahendos. XVIII. Concubinarios vero beneficiis suis privatos & ad quæcunque assequenda inhabiles esse. XIX. Nullum Clericum ad curam animarum admittendum, nisi prius coram Episcopo juraverit, quod nullam in adeptione sui beneficii commiserit simoniam. XX. A Patronis & beneficiorum collatoribus nullam decimarum &c. partem sibi esse retinendam, sub quocunque obtentu. XXI. Excommunicatos esse, qui ablatum infra mensem non re-

Sæcul. XV. A. C. 1420.

Sæcul. XV. A.C. 1420.

restituereret, XXII. si quis prædium suum, cui jus competit Patronatus, cuiquam obligaverit indistincte, ipsum jus obligasse non censeri. XXIII. Clericis concedendam esse testandi libertatem. XXIV. A Sacerdotibus pro Archiepiscopo defuncto in omnibus Episcopatibus sibi subditis, & pro Episcopo in omnibus Diœcesis suæ Parochiis unam Missam esse celebrandam. XXV. Sacramenta alieno Parochiano a Sacerdotibus non esse administranda, saltem non obtenta proprii sui Parochi licentia. XXVI. Spoliandos esse jure Patronatus illos, qui Ecclesias, Rectoribus eorum defunctis, rebus mobilibus vel immobilibus vel dote exspoliarent. XXVII. Convivia a Sacerdotibus, qui primam Missam celebrant, non instituenda. XXVIII. Parochianos a suis Parochis formam Baptismi edocendos esse. XXIX. Indebitas Ecclesiarum exactiones omnino vitandas. XXX. In Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis ter in anno publice promulgandam esse Constitutionem Concilii Constantiensis de Simonia. XXXI. Anathemati subjiciendos, qui tempore interdicti mortuos in Cæmeterio sepeliverint. XXXII. Impugnantur Hussitæ. XXXIII. Jubentur Judæi pileum cornutum, fœminæ autem Hebræorum nolam sonantem deferre, ut a Christianis discernantur. XXXIV. Præcipitur, luxum

xum & illicitum mulierum cultum esse reprimendum. Sæcul. XV. A.C. 1420.

§. CXCII.

Statuta & Ordinationes ejusdem Synodi.

In actis ejusdem Concilii post præfatos articulos reperiuntur plura statuta, quæ disciplinam respiciunt. Igitur I. statuuntur pœnæ contra concubinarios notorios. II. Prohibetur Clericis, ne secum mulieres juvenes, ac de incontinentia suspectas habeant. III. Ne in domibus suis tabernas teneant, aut laicorum convivia accedant. IV. Ne venationem exerceant, aut taxillorum lusum. V. Præscribitur, quales Presbyteros debeant sibi assumere Plebani, in adjutorium curæ animarum. VI. Obligandos esse ad Provincialium & Synodalium constitutionum observantiam, & ad deferendos habitus modestos a laicorum vestibus distinctos. VII. Sacramenta sine conventione vel pactione gratis esse ministranda. VIII. Publice delinquentes non esse tolerandos, nec Prælati potestate absolvendi a casibus reservatis abutantur. IX. Pro sepultura nihil extorquendum. X. Statuitur, qualiter adulteri, & concubinarii publici sint admonendi, & ab ingressu Ecclesiæ arcendi. XI. Qualiter se gerere *Labbe Conc. Gen. to. 12. ibid.*

Sæcul. XV A.C. 1420.

rere debeant Plebani erga eos, qui ad auctoritatem ſuperiorem remiſſi ſunt. XII. Matrimonia clandeſtina prohibentur. XIII. Præcipitur, Matrimonia in Eccleſiis coram Presbytero eſſe contrahenda, & ante Benedictionem nuptialem conſummare prohibentur, XIV. Patrinos Baptiſmales non eſſe multiplicandos ſtatuitur. XV. Jubetur, ut Presbyter populum doceat, qualiter contrahatur affinitas ſpiritualis ex Baptiſmo & confirmatione. XVI. Forma juramenti præſcribitur, quod præſtare tenentur teſtes ſynodales in manibus Archi-Diaconorum. XVII. Statuta ſynodalia bis in anno prælegantur populo. XVIII. Sequentes quinque articuli perſtringunt uſurarios, atque eorum pœnæ præſcribuntur. XXIV. Agitur contra viarum graſſatores, XXV. Et illos, qui ſcienter furto ablata coemunt. XXVI. De decimis perſolvendis, & de pœnis eas uſurpantium. XXVII. De his, qui nova exigunt pedagia. XXVIII. Declaratur, etiam in lecto ægritudinis teſtamentum condi poſſe. XXIX. Fœminis illicite veſtitis Communionem eſſe negandam. XXX. Innovantur pœnæ contra eos, qui tempore interdicti in cæmeteriis mortuos ſepeliunt. XXXI. Decernitur contra eos, qui occidunt, verberant, & violentas manus in Clericos injiciunt, XXXII, XXXIII, & XXXIV.

De

De eadem disponunt materia, & statuunt pœnam in eos, qui percutiunt Legatorum, vel alicujus Judicis nuntios literas judiciales deferentes. Idem quoque decernitur XXXVI. & XXXVII. Constitutione. Tres sequentes puniunt eos, qui bona decedentium Clericorum occupare præsumunt. XLI. Agitur de his, qui imponunt tributa capitaria, & alias exactiones Ecclesiasticis. XLII. Idem statuitur. XLIII, XLIV, & XLV. Contra usurpatores bonorum Ecclesiæ, XLVI. Contra eos, qui ad vacantes Ecclesias mittunt armatos, & faciunt ibi expensas. XLVII. Contra Laicos recipientes & occupantes beneficia Ecclesiastica. XLVIII. De Advocatis Ecclesiarum ultra debitum exigentibus tractatur. XLIX. De eodem. L. Contra Ecclesiarum Patronos, qui Superiores impediunt in collatione. LI. Contra Patronos partem decimarum sibi retinentes. LII. De eodem. LIII. Contra Laicos, qui sine consensu Prælatorum bona fabricæ Ecclesiasticæ administrant. LIV. Contra eos, qui Ecclesias in castella, & arces convertunt, & milites in eis locant. LV. Contra illos, qui recursum ad Judices Ecclesiasticos impediunt, aut statuta condunt contra Ecclesiasticam libertatem. LVI, LVII, & LVIII. Contra eos, qui Clericos ad sæculares Judices trahunt. LIX. Prohi-

Sæcul. XV. A. C. 1420.

Sæcul. XV. A.C.1420. betur, ne ad prædicandum admittantur de Huſſitarum hæreſi ſuſpecti, ſed ſuperioribus denuntientur.

§. CXCIII.

Bononia a Pontifice recuperata.

Platin. in Mart. V. In Italia Joanne XXIII. Bononia egreſſo, cives antehac ſeditione mota ſummorum Pontificum imperium excutiebant, nec ullo Pacto ad officium redigi poterant. Hoc autem anno Bentivolii auctoritas apud populares ſuos tantum valebat, ut ejus hortatu ad Martini V. fidem reverterentur. Ceterum Florentini longioris, quam ibi Papa fecerat, moræ pertæſi, perſæpe famoſos libellos divulgabant, puerique publice cantabant: *Papa Martino non val un quadrino* id eſt, *totum Martini meritum, nec unum valet obulum.* Qua de re Pontifex haud parum indignabatur, exiſtimans, ſeſe ab ipſis quoque civibus contemptui haberi, atque pueros ab eorum Parentibus ejusmodi cantilenas didiciſſe. Verum Leonardus Aretinus Martini, cui a ſecretis erat, animum mitigavit, in memoriam revocans, quantis honoribus Florentini eum hucusque proſecuti fuiſſent, ac ſummam, qua Pontificis dignitatem colerent, reverentiam ſatis teſtatam feciſſent; præterea illum monuit, ne proſperitatum obli-

obliviſceretur, quæ, quamdiu in hac urbe manſiſſet, percepiſſet. Sæcul. XV. A. C. 1420.

§. CXCIV.

Papa Epiſcopatum Florentinum ad Archiepiſcopatum elevat; Romam venit, ejus ingreſſus in urbem.

Nihilominus Florentia Romam petere decernit, ut tamen pro tot obſequiis, quibus eum Florentini cumulaſſent, gratum exhiberet animum, Eccleſiam hujus Urbis Cathedralem ex Epiſcopali ad Metropolitanam evexit, eique Volateranum, Piſtorienſem ac Feſulanum Epiſcopos ſuffraganeos dedit. Tandem aſſiduis Romanorum votis obſecuturus, Florentia abiit, & Romam die vigeſima ſecunda Septembris hujus anni ingreſſus eſt, civium jubilis, & feſtivis populi acclamationibus ſalutatus. Tam incredibilis erat Romanorum lætitia, ut ad perpetuam rei memoriam ingreſſus hujus diem faſtis inſcriberent. Ceterum Martinus Urbem reperit incolis orbatam, & vix non ruderibus ſuis, atque ruinis ſepultam; Eccleſiarum, atque ædium luctuoſa erat facies, plateæ deſertæ, ac in ſolitudinem veluti redactæ, noviſſimis factionum tumultibus eas potiſſimum infeſtas reddentibus. Tanto autem ſtudio, ac ſollicitu-

Antonin. tit. 22. c. 7. §. 2

Sæcul. XV. A.C. 1421. dine Martinus urbem reſtaurare, incolas ad cultiores reducere mores, atque ædificia pene collapſa reparare cæpit, ut brevi priſtina ſua illi redierit Majeſtas, imo novo ac majori, quam antehac celebrata fuerit ſplendore.

§. CXCV.

Ziſcha altero etiam oculo orbatus.

Cochl. Hiſt. Huſſit. Hoc anno Ziſcha Rabium, ignobile quoddam Bohemorum oppidum, cingens, accepto vulnere oculorum lumen penitus amiſit; cum enim hujus urbis ambitum emetiretur, exploraturus, qua parte illam cum minori ſuorum diſpendio expugnaret, die decima quinta Martii alterum etiam oculum, quo ſolo adhuc utebatur, ſagitta quædam temere emiſſa excuſſit, caputque tam alte penetravit, ut ſemianimis in terram corruens, in tentorium deportaretur, inde vero mortis periculo indies creſcente, Pragam deferretur; cum tamen corpore admodum robuſtus, ac ferme aeneus eſſet, intra trimeſtre convaluit, & ſupremum, licet cæcus, rei militaris imperium denuo ſuſcepit, Huſſitarum precibus victus, qui potius ſigna deſerere, quam alium Ducem ſequi conſtituerant.

§. CXCVI.

Sæcul. XV.
A.C.1421.

§. CXCVI.

Comitia Norimbergenſia adverſus Huſſitas.

Imperator ſecundis Huſſitarum progreſſibus conterritus, Norimbergam Imperii Ordines convocat; & periculum omnibus Germaniæ Principibus ob Ziſchæ ſuorumque potentiam proxime imminens exponit, unicum vero, ajebat, ſalutis medium ſupereſſe, ſi junctis viribus prompte ſuppetias ferrent, ac rebellium audaciam reprimerent, ne malo per longas moras invaleſcenti fero nimis medicina pararetur, addebat, Ziſcham in id intentum eſſe, ut in Bohemia Regimen quaſi Anarchicum introduceret; ſolemne enim ei eſſe Principium, quod quilibet Princeps in peccato mortali exiſtens juribus ſuis excideret; jamque a ſeditioſis iſtis hunc errorem ut ſolidiſſimam ſectæ ſuæ legem paſſim adoptari, ac fidiſſimos quosque ad rebellionem concitari, eorumque partes usque adeo augeri, ut impune quævis audere præſumerent, niſi ad promptum horum excidium manus admoverentur. Nec optato caruit exitu Sigismundi adhortatio. Fidem enim dant Imperii Ordines, ſe copias conſcripturos, atque ex Occidentali plaga ir-

Sæcul. XV. A.C.1421.

ruptionem in Bohemiam tentaturos; interea vero Cæsar valido Austriacorum, atque Hungarorum milite Orientale latus penetraret. Ergo cuncti Principes, atque Electores, Trevirensi excepto, utpote quem infirmitas lecto affixerat, ad militiam sese accingunt, & Mense Augusto in Occidentales Bohemorum fines infestis armis irrumpunt. Imperatoris tamen, utpote præpediti, expeditio tardius processit.

§. CXCVII.

Sozium a Cæsareis obsessum; soluta obsidio.

Cochl. Hist. Hussit. lib. 5.

Zischa intra Taborensis oppidi munimenta quietus substitit, haud abs re veritus, ne sibi, si numerosum adeo Germanorum Principum exercitum incautius aggrederetur, certa suorum clades immineret; unde stupebant Germani, quod Zischam in acie nullibi viderent; id autem eo consilio ab illo factum, ut Catholicorum copias obsidionum laboribus frangeret, spe fretus, cum omnes arces munitissimæ juxta ac instructissimæ essent, fore, ut longior oppugnationum mora, tardior stipendiorum solutio facile militum animos, & numerum diminueret, atque ad deserenda signa compelleret. Nec spem fefellit exitus: Imperiales

riales enim copiæ Sozium, locum valde munitum, omnibusque abunde provisum obsident, validoque impetu oppugnant, sed postquam cives obsidione jamjam septimam in hebdomadam excurrente viginti sex Germanorum impetus invicto robore retudisset, Catholici annonæ penuria pressi die decima sexta Octobris obsidionem solvere coguntur. Imperator vero, quamvis Mense Augusto in Bohemiam se venturum spopondisset, primum sub finem Decembris comparuit, eoquod Hungaros atque Austriacos invitos educere desperans, multum temporis impenderet, donec utriusque Nationis Proceres, qui copias ducerent, ad suas partes pertrahere posset. Sæcul. XV. A.C.1421.

§. CXCVIII.

Hussitarum conventus ad vindicanda eorum gesta coactus.

Sub idem tempus Imperator, cum non sine gravi animi sui mærore perpenderet mala, quæ & justissima quævis bella insequuntur, Hussitas adhortatus est, ut humano sanguini parcentes, saltem diuturnas, easque firmas inirent armorum inducias. Verum rebelles quascunque pacis conditiones aspernabantur, nisi ante omnia ipsis quatuor Religionis capita concederentur, nimirum: 1. *Verbum Dei* *Dubrav. lib. 24. in fin.* *Cochl. Hist. Hussit. lib. 5.*

Sæcul. XV. A.C. 1421.

Dei per totam Bohemiam libere absque cujuscunque interpellatione a Sacerdotibus annuncietur. II. *Libere Eucharistia sub utraque specie omnibus Christi fidelibus peccato mortali haud obnoxiis, ministretur.* III. *A Clero bonorum externorum possessio, & in iis jurisdictio aufferatur, & ordo illorum ad vitam Evangelicam & Apostolicam redigatur.* IV. *Omnia peccata mortalia, ac præcipue publica, & alia legi Dei contraria vitia in quovis statu, rite, & & cum ratione per eos, ad quos pertinent, corrigantur, & prohibeantur.* Porrecti sunt articuli Sigismundo, quibus perlectis, adstantibus dixit: *Latet anguis in herba, plena veneno insanabili, nos fallere volunt perfidorum animi sub vulpe latentes.* Quocirca eos acceptare dedignatus est.

Paucis ex post diebus Hussitæ, nomine Conradi Pragensis Archiepiscopi, fautoris sui, necnon nomine Baronum, urbium, & Bohemiæ familiarum literas perscribunt ad quosdam Principes, ut objecta hæresis ac perduellionis crimina diluerent. Binæ ejusmodi exstant Epistolæ die sexta Julii datæ, in quibus acerbe in Sigismundum invehuntur, eidemque supplicium Joannis Hussi, indictam a se sacram militiam & plura alia ejusmodi conficta objiciunt. Præterea Cæsarem criminantur velut omnium Bohemiæ calamitatum auctorem, se vero nonnisi

nisi pro defensione fidei, suorum bonorum ac vitæ arma sumpsisse, demum hortantur omnes, ut in eandem cum illis opinionem abirent, adjectis etiam minis adversus eos, qui præfatis quatuor Articulis refragari ausi fuerint. Sæcul. XV. A.C.1421.

§. CXCIX.

Hujus conventus Articuli.

Præter istas literas, insuper die septima Julii ejusdem anni celebre cogebant conciliabulum, quod ipsi sacram Synodum appellitant. Condiderunt in eo viginti duos articulos, qui eorum complectuntur errores de Sacramento Eucharistiæ, Ceremoniis Missæ, & Clericorum reformatione, docentque, nullam civilem seu profanam legem locum habere. In hisce articulis confessionem auricularem non rejiciunt, imo alios nonnullos proferunt, qui doctrinæ & usui Ecclesiæ haud absoni esse videntur, alios vero terminis ambiguis, atque obscuris ita involvunt, ut inde ingentes inter eos natæ fuerint dissensiones. *Cochl. ibid.*

§. CC.

Anglorum exercitus a Delphino profligatus.

Interea Henricus V. Angliæ Rex, postquam anno priore ad finem vergente ad *Jov. Ursin. Hist. Car. VI*

Sæcul. XV. A.C. 1421.

ad Insulam suam rediisset, nova militum ac pecuniarum subsidia collecturus, in Galliis vices suas gerentem reliquit Clarentiæ Ducem fratrem suum. Delphini vero partibus favebant, easque strenue tuebantur Andegavenses, Turonii, Pictavienses, Arverni, Bituricenses, Delphinatus, atque Occidania. Harum Provinciarum auxilio Delphinus jus suum in Galliæ Regnum vindicare aggrediebatur. Eidem quoque Scotiæ Rex ductore Comite de Bouchaim seu Bukan submisit tria aut ferme quatuor armatorum millia, omnes selectioris militiæ viros. Ergo Galli Scotis conjuncti castra movent, atque adversus Clarentiæ Ducem, qui cum decem millibus Balgium Andegaviæ urbem obsidere meditabatur, arma vertunt, manus conserunt, & Anglorum exercitum fundunt, ipsumque eorum Ducem unacum duobus suorum millibus, & amplius trucidant, reliqua exercitus parte per agrum Cenomanensem in Normanniam fugere compulsa. Parta est hæc victoria in vigilia Paschatis, & Comes de Buckan, qui summa virtute rem gessit, in fortitudinis suæ præmium Conneſtabilis gladio per Delphinum condecoratus est. Prospero hoc eventu penes Gallos victoriæ summa stetit, & Delphinus in Perchiensi, & Carnutensi districtu quædam etiam loca recuperavit.

Baugé

§. CCI.

Sæcul. XV.
A.C. 1421.

§. CCI.

Rex Angliæ Lutetiam redux.

Henricus Rex comperta Anglorum clade in Gallias remeare compellebatur, novo, ingentique militum ſupplemento illatum reparaturus damnum, ſimulque fratris ſui mortem ulturus. Nulli ergo parcebat induſtriæ, ut Delphino occurreret, eoque conſilio haud longe a Carnuto, atque Caſtelloduno exercitum duxit, tandemque ad Aureliæ ſuburbia reſedit, Delphinum, fruſtra tamen præſtolaturus. Dum autem violento alvi fluxu plusquam tria ſuorum millia periiſſent, vim ſuam non niſi in Drocenſem exerit urbem, & Reginam conjugem ſuam tum gravidam, ut fœtum eniteretur, Angliam repetere jubet. *Polyd. l. 22. & ſeq.*

§. CCII.

Monita cujusdam Eremicolæ ad Regem Angliæ.

Regem in obſidione Drocenſi occupatum Eremita quidam ignotus acceſſit, immaniſſima exprobrans damna, quæ Religioni inferret, injuſta ſua ſtimulatus ambitione, quæ eum ad Galliæ Regnum contra jus fasque, ac Dei voluntatem uſurpandum induxiſſet. Inſuper proxime imminentem, eamque ſeveram comminabatur *Walſing. in Henr. V.*

Sæcul. XV. A.C. 1421. nabatur pœnam, nisi a proposito desisteret. Henricus monitum istud ex emota Viri mente, vel potius ex suggestione Fautorum Delphini oriri existimans, illud velut fabulam explosit. Attamen paucis ex post mensibus obeunte Rege vaticinii veritas comprobata est.

§. CCIII.

Inducia inter Arragoniæ Regem, & Ludovicum Andegavensem.

Legati Cardinales, quos Martinus V. ad Alphonsum Regem in Arragoniam ablegaverat, eum ad inducias ea lege ineundas inducebant, ut Ludovicus Andegavensis omnia loca a se occupata, excepta Aquila, Pontifici restitueret, donec de firma pace utrinque ageretur. Quare Ludovicus Romam ad Martinum profectus est, Alphonsus vero Neapolin contendit, qui simul ac eo perveniisset, ut Pontifici timorem incuteret, eumque in suam sententiam raperet, more suo antiquam illam timoris larvam objecit, nimirum aperte comminando, se Petri de Luna obsequio omnes suos subditos subjecturum. Enimvero Petrus, Alphonso connivente, jamjam in Arragonia tanquam Papa colebatur, ipsumque Constantiense Concilium ibidem publice in invidiam trahebatur.

§. CCIV

§. CCIV.

Sæcul. XV. A C. 1421.

Urbes ab Andegavensi occupatæ Alphonso a Pontifice restitutæ.

Quam ob rem summus Pontifex nuperam executurus transactionem, consentiente Andegavensi Duce, omnia loca ejus fidei in depositum concredita, ac Alphonso sublata, quantocius restituit. Unde Sfortia intelligens, potissima omnium studia in Joannam, & Alphonsum conversa, haud ultra assiduis, iisque vehementibus, quæ nomine Neapolis Reginæ interponebantur, precibus refragaturus, & ipse Reginæ acquievit, ejusque studia prosecutus est.

§. CCV.

Alphonsus a Papa Neapolis Rex agnosci postulans.

Alphonsus, ubi animadvertit, tam prospere sibi cessisse minas, quibus, si Petro de Luna obedientiam restitueret, Papam territum fuisse existimabat, crescente audacia, crebrisque suis comminationibus Martinum iterum iterumque compellere aggressus est, ut se Neapolis Regem agnosceret. Tum demum Pontifex Alphonsum sua patientia, nimiaque facilitate abuti, atque eum æquitatis limites transgredi intellexit, acriusque in

Platin. in Mart. V.

Sæcul. XV. A.C. 1421.

illum agere ſtatuit; unde ei ſignificari juſſit, ſe nunquam, ut illi complaceret, tantæ patrocinaturum injuſtitiæ, Joannam quidem eum adoptaſſe, non vero Regnum deferre potuiſſe, quod Ludovico, paterno jure, competeret, & cujus jus Alexander V. ac ipſe etiam Joannes XXIII. confirmaſſet.

§. CCVI.

Alphonſus ut Rex a Papa non agnitus.

Subjungit Pontifex, nihil eſſe in Ludovico, quo a Sedis Apoſtolicæ benevolentia excludi promereretur, nec ideo gratiam illi conceſſam revocandam eſſe, minus vero regnum Principi, qui ſuorum Majorum exemplo Eccleſiæ defenſor exſtitit, ea duntaxat ratione aufferendum, ut ejusdem Eccleſiæ perſecutori conderetur. Alphonſus hoc reſponſo exacerbatus, haud diſſimulanter ſe Pontificis hoſtem, & Petri de Luna fautorem profeſſus eſt, omnemque navavit operam, ut hic non modo in Arragonia, ſed etiam in univerſo Neapolis regno tanquam legitimus agnoſceretur Pontifex; nec tamen integre ſpe ſua potitus eſt.

§. CCVII.

§. CCVII.

Sæcul. XV. A.C.1421.

Bohemiæ Regnum ab Huſſitis Poloniæ Regi oblatum.

Huſſitæ Sigismundum e ſolio deturbaturi, Bohemiæ regnum Ladislao Polonorum Regi offerunt, utpote tunc in Imperatorem male affecto, eoquod Equitibus Teutonicis adverſus Polonos favisſet. Ziſcha ſuos nequicquam hortabatur, in quemcunque demum regiam coronam deferrent, ſemper propriæ obfuturos ſe libertati, ſi tamen jugum ferre omnino expoſcerent, unicum ſupereſſe, ut ſaltem non alium, quam purioris Evangelii veritatibus imbutum (ita nempe Huſſitarum doctrinam compellabat) Regem ſibi conſtituerent. Sed ſurdis fabulam Ziſcha canebat; nam Proceres Bohemi, quamvis Huſſitæ Catholicos numero ſuperarent, ſuos ablegabant, qui Ladislao Bohemiæ ſceptrum offerrent, ut Sigismundum ſolio ejicerent. *Cromer. lib. 18. & 19.*

§. CCVIII.

Repulſa a Ladislao Huſſitis data.

Verum reſpondit Rex, ſe quidem haud levia a Sigismundo perpeſſum, nollе tamen ſe in re tanti momenti quicquam, inconſulto Witholdo amitino ſuo, decernere. Ergo nonnulli ex hiſce Pſeudo- *Neugeban. hiſt. rer. Pol. concin. l. 5. p. 263. &c.*

Sæcul. XV. A.C.1421.

Legatis in Lithuaniam ad Ducem proficiscuntur, quibus tamen post iteratas eorum preces, nomine utriusque Principis, in responsis datum, quamvis neutri æqua de Sigismundo conquerendi causſa deesſet, sibi tamen animum non esſe, fraudum subsidio juribus, rebusque suis consulere; scire se, Bohemiæ regnum hæreditario nomine Cæsaris esſe, de cetero velle se lubenter eos tam cum illo, quam cum Papa reconciliare; si vero cum Imperatoris consensu alium Regem postularent, nec Ladislaum, nec Witholdum regni coronam aspernaturum, dummodo ipsi ad veram Ecclesiæ Catholicæ fidem redirent, & Pontificis consensus accederet.

§. CCIX.

Bohemiæ Regnum oblatum & a magno Lithuaniæ Duce acceptatum.

(Cromer. l. 28. & 29.

Post hæc Ladislaus Sigismundum de oblato sibi diademate certiorem facit, enixe petens, ut cum Bohemis pacem componeret, eosque sincero studio in obsequium Ecclesiæ reduceret, secus enim, se eos in clientelam suam recepturum. Sigismundus laudato Regis zelo, negleſtoque proprio commodo se, quantum in viribus esſet, partibus suis minime defuturum spopondit. Verum auctis indies obsta-

obſtaculis, & Witholdo iteratis precibus pulſato, hic coronam Bohemiæ ſe acceptaturum promiſit; cum autem eo tempore Moſcovitarum bello implicaretur, ipſus Bohemiam accedere prohibebatur, & referunt Scriptorum nonnulli, Witholdum recens erectum hoc regnum judicaſſe indignum, ut illius poſſeſſionem perſemetipſum caperet. Quæ utcunque ſint, miſit tamen ſelectioris militiæ copias, ductore Sigismundo Coributo Patruele ſuo. Hic Princeps, fauſto fœdere Majeſtatis ſeveritatem cum ſuavitate morum aſſocians, non minus ſui amorem inſtillare, quam metum ingerere noverat, ac ideo regnum civili bello tanto tempore deſolatum trium menſium ſpatio pacatum reddiderat. Poſtmodum Witholdum in Bohemiæ ſolio firmaturus, non modo Catholicos, ſed & Huſſitas induxit, ut junctis viribus ei in expugnando Caroloſteinio oppitularentur. Arx erat totius Bohemiæ natura & arte longe munitiſſima, ac Cæſareo inſtructa præſidio. Obſeſſi ſexto jam Menſe adeo invicta virtute oppugnantium impetus ſuſtinebant, ut Coributus obſidionem ſolvere compelleretur, Electori Brandeburgico occurſurus, qui adverſus Bohemos recentem militiam educebat, & pagos, aliaque loca in itinere obvia, ac reſiſtendo imparia ferro flammaque devaſtabat. Sæcul. XV. A C. 1421.

Sæcul. XV A.C. 1422.

ſtabat. Elector vero jam contentus, quod Lithuanum ad interrumpendam obſidionem compuliſſet, pedem retulit, quo recedente Coributus denuo arcem obſidere decrevit; Aſt a Witholdo ad preces Poloniæ Regis, qui occaſione homagii Pruſſici cum Cæſare in gratiam rediit, revocatus eſt. Quare Huſſitarum copiæ ultra dimidiam partem attenuatæ, haud amplius obſidionem proſequi poterant.

§. CCX.

Witholdus a Bohemorum clientela per Papæ literas abſterritus.

Cochl. hiſt. Huſſit. l. 5.

Diſplicuit ſummo Pontifici, Witholdum Ducem Bohemis ſuppetias tuliſſe; quapropter die vigeſima prima Maji ad eum literas dedit, adhortatus, ut illorum defenſione omiſſa potius illos ad id induceret, ut Sedis Apoſtolicæ Legati hac ex cauſſa in Germaniam miſſi conſiliis obtemperarent. Hanc legationem obiit Cardinalis Placentinus, nomine Branda de Caſtellione, patria Mediolanenſis. Hiſtorici in hoc Viro ardentiſſimum tuendæ Religionis ſtudium ſummis laudibus commendant, quo etiam Presbyterum quemdam, natione Hungarum, ab eo ad ſinum Eccleſiæ reductum referunt; Hic utrumque Teſtamentum, Sacramenta, cunctasque Eccleſiæ Ceremonias reproba-

probabat, licet interdum, ne hæresis convinceretur, sacris operatus esset, atque abjecta omni Religione quascunque sectas ludibrio habebat, id solum fidei caput existimans, quod solo naturæ lumine comprobari posset, adeo erroris sui tenax, ut nequidem suppliciorum metu ad saniora reduci posse crederetur. Hunc Legatus solidis adeo confutabat argumentis, ut in se reversus, ac de humani intellectus imbecillitate convictus, errores suos publice detestaretur, quos ut seria expiaret pœnitentia, Ordinem Fratrum S. Pauli Eremitæ, tum in Hungaria percelebrem, ingrediebatur. Sæcul. XV. A. C. 1422.

§. CCXI.

Ordinis Franciscanorum Præpositus Constantinopolim missus.

Cum Cardinalis Legatus in Orientem missus morbo in itinere correptus, tardius Constantinopolim perveniisset; Antonius Massanus, Ordinis Fratrum S. Francisci Minister Generalis, cum prior discessisset, summo honore, plurimisque in S. Sedem reverentiæ, ac obsequii signis ab Emanuele exceptus est. Cum vero sub idem tempus Imperator in gravem morbum Paralysi non absimilem incidisset, ejusque violentia e vivis ereptus esset, Massanus nonnisi cum Joanne

Sæcul. XV. A.C. 1422.

Palæologo, & Josepho Patriarcha negotia sibi commissa pertractare poterat. Die decima sexta Septembris in Ecclesia S. Stephani publice auditus est Massanus, & postquam pluribus mala per funestum hoc schisma Græcorum imperio illata exposuisset; simulque ingens desiderium, quo Pontifex illius extinctionem per sanctam ac stabilem utriusque Ecclesiæ unionem exoptaret, hunc in modum peroravit.

§. CCXII.

Synopsis Orationis, a Massano coram Imperatore Græcorum dictæ.

Quoniam Domino & sanctissimo Papæ Martino V. dixistis voluntatem esse Patriarchæ Constantinopolitani & Imperatorum procurare, ac curare sine fraude, & dolo sanctissimam unionem Ecclesiæ Græcorum cum Ecclesia latina . . . ideo Dominus noster merito ut bonus Pastor requirit, invitat vos justum ad promissum servandum... propter quæ sanctissimus Dominus noster Papa illico Florentiæ creavit Legatum ex latere, pro Concilio Constantinopoli fiendo; sine enim Concilio visum fuit Græcorum & Latinorum præfatam unionem sequi non posse, & ipsis satis erat ad hoc faciendum. Fuit autem prædictus D. Cardinalis gravissima infirmitate in Hispania detentus..... Ne autem longum iter diu-

turna

turna legati mora esset sine fructu, D. N. Papa habito maturo Consilio deliberavit, præmittere me nuntium suum apostolicum, ut præordinarem congregationem Prælatorum Græcorum. Expedit quidem hoc ad tollendum vetustissimum malum. Hoc sciam, quatenus quo possum clarissime informare D. N. Papam & Legatum, scilicet quo tempore fieri debeat istud Concilium, quo loco, & ex quibus Græcorum Prælatis, & ad quem finem Concilium intendit . . . . in certitudine promissi, quæro, si vos intenditis realiter operari, quod unio fiat sub fide, quam Sacrosancta Romana Ecclesia tenet & servat, & obedientiam ad eandem Romanam Ecclesiam; istud idem enim D. Episcopus Theodorus & D. Nicolaus Eudemon Joannes obtulerunt Florentiæ pro parte Reverendissimi Patriarchæ, & Serenissimi Imperatoris Emanuelis SS. D. N. Papæ & Legato, qui promittit certissime, uti promisit, promptum adjutorium Principum glorioſissimorum pro fidei triumpho. Diu Græci, quid responderent deliberabant. Tandem vero die decima quarta Novembris Maffano literas dabant Joannis Palæologi Imperatoris ad Papam, in quibus huic mentem suam sequentibus expressit.

Sæcul. XV. A.C. 1422.

Sæcul. XV. A.C. 1422.

§. CCXIII.

Epistola Imperatoris Græcorum ad Papam.

Ex parte mea dixit Nicolaus Eudæmon, & Episcopus Theodorus, quod volumus unionem simpliciter cum Romana Ecclesia, sed affirmamus etiam per literas nostras expresse, quod non solum aliquid tale commisimus, sed neque omnino unquam ipsum in mente dicere habuimus. Sed quod scripsimus, istud & non aliud nostri Ambasciatores impositum habuerunt implere, & enucleare propriis sermonibus; videlicet fieri Concilium universale secundum ordinem, & consuetudinem septem S. universalium Conciliorum, & quod concesserit Spiritus Sanctus ad pacem, istud firmare, & tenere. Circa sermones autem Magistri Antonii Ambasciatoris, de loco quidem respondemus, Constantinopolim esse, cum Imperium nostrum in præsenti, neque aptiorem locum habeat, neque possemus ire alio propter necessitatem . . . . Concilii expensas omni præterito tempore faciebat Imperium, quod tamen nunc non potest ullo modo, qua de caussa sanctitatem vestram rogamus, ut circa hanc rem provideatur sufficienter; de tempore autem optamus, & desideramus, ut taliter essent res, quod hodie hoc divinum opus unionis, & nobis placitum principium accipiet; sed cum sint circa

nos

nos res ſub periculo, & gladio & hæc Civitas & omnia noſtra, dicimus, quod, Deo dante pacem & firmitatem rebus noſtris, ſtatim ſcribemus vobis. Dicimus & hoc, quod etiam exiſtente guerra infidelium, ſi ſanctitas veſtra fecerit talem pro ſecuritate noſtrorum neceſſariorum locorum, & feceritis excomunicationem inſolubilem contra quoscunque veſtros homines, ut non relinquant nos ſolos in guerra infidelium, & ipſi in pace ſint cum ipſis, ſed auxilientur nobis contra infideles, ita quod ipſi infideles non habeant facultatem inferre contra nos armatas naves ipſorum. Sicque hoc unionis negotium ab Emanuele cœptum pro tunc optato caruit ſucceſſu. Sæcul. XV. A.C.1422.

§. CCXIV.

Henricus morbo correptus, & Lutetiam cum Regina ingreſſus.

Ineunte hoc anno Henricus V. Angliæ Rex incognito prorſus clunium morbo, atque acutiſſimis ex ventris profluvio doloribus oppreſſus, Sylvanecti Medicorum quidem curæ ſe commiſit, nullius tamen ope ſanitati priſtinæ reſtitutus. Nihilominus, graviter licet affectus, cum conjuge ſua, quæ expleto puerperii tempore ex Anglia in Gallias rediit, Lutetiam ingreſſus eſt. Poſtmodum in ipſo Pentecoſtes die celebrem Procerum egit conven-

Sæcul. XV. A.C. 1422.

conventum in Regia, quæ *Lupara* dicitur, ibique ipse, ejusque conjux coronam Regni acceperunt. Hæc dum Parisiis aguntur, Delphinus Conam urbem ad Ligerim sitam obsidet, quæ diu hostium impetus fortiter sustinens, tandem deditionem pacta est, ea tamen lege, nisi intra præfixum temporis spatium opportunæ advenirent suppetiæ; Burgundus re comperta, quotquot potuit, milites coegit, opemque obsessis tulit; Delphinus vero cognito Ducis adventu obsidionem solvit.

§. CCXV.

Henrici V. Angliæ Regis obitus.

Polyd. Virg. lib. 22. Harpsfeld. Sæcul. 15. c. 4

Die, quo Burgundus castra movebat, Rex Angliæ nulla adversæ suæ valetudinis ratione habita, prælii discrimen imminere suspicatus, Conam lectica vehitur; Morbo autem magis ingravescente Meloduni subsistere cogitur, inde cum mali vis nonnihil remitteret, Vincenam defertur, ubi, si Juvenali Ursino fides, die ultima Augusti, vel juxta alios, vigesima octava ejusdem Mensis, satis functus est, anno ætatis suæ trigesimo sexto, regni autem nono cum dimidio. Corpus ejus comitatu funebri Vincena ad oppidum S. Dionysii perhonorifice delatum, ibidem repositum est, donec in Angliam

Angliam transportaretur, Weſtmonaſterii Regum tumulo inferendum. Henricum Regem magnanimitate, fortitudine, prudentia, ac militaris ſcientiæ laude præſtantiſſimum fuiſſe, nemo unus inficiari audet; Aſt minor in eo ambitio, & majus pacis ſtudium deſiderabatur. Unicum duntaxat poſt ſe reliquit unius anni Filium, Henricum nomine, cujus educationem Wintonienſi Cardinali Patruo ſuo Rex morti proximus commendavit, qui & illum in Anglia optimis moribus inſtituit. Regni hujus adminiſtratio Gloceſtriæ Duci Regis fratri demandata eſt, Galliam vero gubernavit Joannes de Bedfordia alter Henrici frater, quem ſummis precibus obteſtabatur, ut Burgundiæ Ducis partes pro viribus tueretur, nec unquam, niſi prius Normannia cum pleno dominio Anglis aſſerta eſſet, pacem cum Delphino iniret, nec etiam eos, qui in prælio ad Azincurtium capti fuerant, libertati reſtitueret, priusquam Henricus ejus filius pubertatis annos attigiſſet.

Sæcul. XV. A.C.1422.

§. CCXVI.

Caroli VI. Galliarum Regis extrema.

Haud diu Anglo vita ſuperſtes erat Carolus VI. Francorum Rex, quippe die vigeſi-

Sæcul. XV. A.C. 1422.

vigesima Octobris Lutetiæ Parisiorum in suo Palatio S. Pauli, ubi primo lucem aspexit, extremum vitæ diem clausit, nemine assistente præter primarium ejus Cubicularium, Confessarium, & Eleemosynarium. Annum ætatis suæ agebat quinquagesimum secundum, Regni vero quadragesimum secundum, mensem unum, ac quinque dies. Postera mortis suæ die horis pomeridianis Canonici, comitantibus Regiæ Ministris, corpus Defuncti ad Ecclesiam Sancti Pauli detulerunt, & cadavere usque in alteram diem exposito, solemnis Missa dicta fuit, dein per alios novem dies ibi requievit, quibus expletis ad Ecclesiam Cathedralem, inde vero ad fanum S. Dionysii translatum est, in Majorum suorum tumulo consuetis exequiarum solemnibus deponendum. Comitatui funebri nullus Regiæ stirpis Princeps intervenerat, nequidem ipse Burgundiæ Dux, eoquod Bedfordiæ Duci primas cedere recusaret.

Juven. Urs. Hist. Car. VI Monstrelet. vol. I. c. 267.

Anno MCCCLXXXV. mense Julio Carolus VI. Galliarum Rex nuptias celebravit Ambiani cum Isabella Bavara, ex quo conjugio sex susceperat Filios, quorum tres primos immatura Mors sustulerat, reliqui tres, nimirum Ludovicus, Joannes, & Carolus, omnes subinde Delphini nomen sortiti sunt, & aliquamdiu fama inclaruerunt; solus vero natu minimus

mus ceteris vita functis superstes, Thronum conscendit. Totidem quoque Filias numerabat Carolus, nempe, Isabellam, Joannam, Mariam, & alteram Joannam, Michaelinam, & Catharinam. Primogenita Richardo II. Angliæ Regi juncta, illo decedente Carolo Aureliæ Duci desponsata est. Secunda, in cunabulis morte sublata fuit. Tertia vero mundo nuntium misit, & Deo se dicavit in cœnobio Pisiacensi, quod sexto ab urbe Parisiensi lapide distat. Quarta, nupta est Joanni VI. Britaniæ Duci. Quinta, Philippi uxor fuit, qui Patri ex insidiis Monterigoli interempto in Ducatu Burgundiæ successit. Postrema tandem Henrico V. Anglorum Regi Matrimonio copulata fuit.

Sæcul. XV. A.C. 1422.

§. CCXVII.

Carolus VII. a suis Rex proclamatur.

Postquam Carolo VI. extremis honoribus, ac funebri obsequio parentatum est, Bedfordiæ Dux, Henricum adhuc infantem, Nepotem suum, Regem salutari jussit. Econtra vero Delphinus, cum de Regis Patris sui obitu ad castrum Epeliaci prope Podium in Velaunis, ubi tum agebat, accepisset nuntium, se quoque postera die sub consuetis solemniis Regem Galliæ proclamari voluit, cunctis Proce-

Juven. Urs. Hist. Car. VI & Chatier. Histor. Car. VII.

Sæcul. XV. A.C. 1422.

Proceribus ipsi adstantibus, ac festive acclamantibus: *Vivat Rex.*

§. CCXVIII.

Mahometis I. Turcarum Imperatoris obitus.

Phranz. l. 1. c. 39.

Hoc eodem anno Mahometes I. Turcarum Imperator, postquam, demptis paucis diebus, octavum regni sui annum explesset, vitæ suæ cursum Adrianopoli emensus est. Is paucis ante obitum diebus ab Emanuele petierat, ut sibi Asiam petenti Constantinopolin transire liceret, hanc enim Metropolin in reditu suo oppugnare decreverat. Ast a proposito suo destitit, victus Emanuelis magnanimitate, utpote qui nec prohibuit transeuntem, nec redeuntem intercepit, prout tamen commode potuisset. Fatis proximus successorem nominavit Amuratem tunc in Asia degentem, e quatuor Filiis suis, natu maximum, jussitque mortem suam quadraginta diebus usque ad illius adventum silentio premi. Intermedio hoc tempore magna contentione Constantinopoli disceptatum, utrum Amuratis potius, quam Mustaphæ, Bajazetis Filii amicitia expetenda esset. Præplacuit Emanueli primus: non idem sensus erat Joanni Palæologo ejus filio, captus enim erat promisso, vi cujus Mustapha amplam ei

ei juxta ac munitam Thraciæ urbem Calliopolim pactus erat, quam tamen postmodum dare negavit, cauſſatus, Turcas huic ceſſioni acriter obluctari, eoquod hæc urbs in Europæ partibus prima eſſet, in qua Mahometani prima religionis ſuæ fundamenta jeciſſent. Sæcul. XV. A.C.1422.

§. CCXIX.

Amurates Mahometis I. ſucceſſor.

Muſtapha, poſtquam omnes, quibus Turcæ in Europa potiti ſunt, Provincias ſuo ſubegiſſet imperio, reliquas quoque occupaturus, in Aſiam movit. Occurrit eidem Amurates, qui Muſtapham fuſis fugatisque illius copiis, captivum Adrianopoli laqueo ſuffocari juſſit. Bello ſic abſoluto Amurates Conſtantinopolim obſidet; cum vero urbs invicto robore reſiſteret, quarto demum menſe re infecta, obſidionem ſolvere cogitur. Quo factum, ut ad frangendas Amuratis vires alius vocaretur Muſtapha frater illius, quem trucidari juſſit, natu minimus, qui, quamvis necdum tertium decimum ætatis annum attigiſſet, jamjam Nicææ urbis in Bithynia domitor exſtitit, aſt hic ipſe Amurati in prædam ceſſit, & eodem, quo frater ſuus ætate major, ſupplicio interemptus eſt; Hujus morte Amurates ſolium ſuum tam in Aſia, quam *Phranz. l.5. c. 50.*

Sæcul. XV. A.C. 1422. Europa firmabat, ab eoque tempore Græcorum res semper in deterius ruebant.

§. CCXX.

Fœdus Bedfordiæ & Britanniæ Ducum aliorumque contra Carolum VII.

Joannes Chartier. Histor. Caroli VII.

Æmulorum invidia Carolo VII. recens impositum Regni Diadema jamjam excutere paraverat. Nam Dux Britanniæ ægre ferens, mandati literas in scriniis Dominorum de Pentiveriis inventas fuisse, quibus ipse comprehendi, ac in carcerem trudi jubebatur, circa medium mensem Martium unacum suo fratre Arturo, Comite Richemundo Ambianum se contulit, ubi cum Bedfordiæ & Burgundiæ Ducibus contra Regem Galliæ fœdus pepigit. Firmarunt quatuor hi Principes suum pactum bino connubio, quippe Bedfordiæ Dux Annam, quæ ex sex illis Ducis Burgundiæ sororibus quinta erat, & Arturus Ducis Britanniæ frater Margaritam sororem Burgundi natu maximam, & Ludovici Delphini viduam sibi copulaverant. Post initum fœdus omnes junctis viribus Meulanum, Crotoriam, Compendium, & Vasatas in Vasconia vi occupant, denique, ne quid malorum cumulo deesset, regiæ Caroli copiæ apud Crevenum, quam urbem

urbem haud procul ab Antisiodoro sitam Saresberiensis Comes obsidebat, profligatæ fuerunt, Buckano Conneſtabili, & Severaco Mareſcallo, qui oppidanis ſubſidio venerant, devictis, ac mille ſelectiſſimæ militiæ Viris gladio interemptis, totidemque in captivitatem abſtractis, quos inter ipſe quoque Conneſtabilis, & Ventadori Comes erant. Nihilominus inter tot ſiniſtræ fortunæ caſus unicum Regi ſolamen obvenerat ex primo Filio ſibi die quarta Julii Biturigibus progenito, cui Ludovici nomen dedit.

Sæcul. XV. A.C. 1422.

§. CCXXI.

Initia Concilii Papienſis, ſeu Ticinenſis.

Cum Conſtantienſis Synodus in Seſſione quadrageſima quarta decretum condidiſſet, ac ipſe quoque Pontifex in eadem Seſſione ex Cardinalium ſententia declaraſſet, quod Synodus Papiæ celebranda eſſet; Martinus præſtituto tempore jamjam evoluto illuc ablegavit Oratores, nimirum Petrum Abbatem Roſatium, Aquilejenſis Diœceſis, & Leonardum ſupremum Ordinis FF. Prædicatorum Præpoſitum. Intererant etiam nonnulli Franciæ, Germaniæ, & Angliæ Deputati, datumque eſt Synodo initium in menſe Majo, quamvis Ultramontani

Naucler. gener 48. p. 448.

Sæcul. XV. A. C. 1423.

necdum adeſſent, exceptis duobus Burgundiæ Abbatibus, & Joanne Baſtone Carmelita, qui a Clero Anglicano miſſus fuerat. Itaque duobus propemodum menſibus fruſtra transactis, Abbas S. Ambroſii Mediolanenſis Ducis ſui nomine expoſuit, luem Papiæ graſſari, proin ſe ex parte Domini ſui reliquas omnes ditionis ſuæ urbes Synodi Patribus offerre, exceptis Mediolano & Brixia. Hujus conſilio permoti Patres ſtatuerunt, mutationem loci pro futura Synodo neceſſariam fore, quibus acceſſit, quod Alphonſus Rex in nonnullis Seſſionibus, quæ jam habitæ erant, cauſſam Petri de Luna Anti-Papæ per ſuos Legatos reſuſcitare cæperit, invidiam creaturus Martino V. qui eidem Neapolitani regni inveſtituram denegaverat.

§. CCXXII.

Agitur de Synodi Translatione.

Platina in Martino V.

Papa translationem Synodi ratam habuit, quæ & die vigeſima ſecunda Junii decreta eſt. Difficultatis cardo verſabatur circa locum, de quo necdum Patres convenerant. Tandem vero poſt crebras hac de re diſceptationes Andreas Poſnanienſis Epiſcopus ſuo, ac quatuor Nationis Germanæ Deputatorum nomine loci Electionem Legatis Pontificiis per-

permiſit, cui adſtipulatus eſt Philibertus, Episcopus Ambianenſis pro Natione Gallica, quæ ſex Deputatos miſerat; Pro Natione Anglica, quæ ceteris numero major erat, Richardus Lincolnienſis Episcopus in eandem abiit ſententiam, & ſe jam pro nunc locum, quem legati deſignaturi eſſent, acceptare declaravit. Nec Hiſpanorum, nec Italorum Deputati, exceptis Papæ Legatis, aderant. Prævia hac deliberatione, ſole jamjam inclinante, Congregatio remiſſa eſt in craſtinam diem, ubi mane, convenientibus ceteris, Episcopus Poſnanienſis peracta re divina in abſentia Archiepiſcopi Spoletani præſedit, & ex ſuggeſtu ſcriptum legit ſequentis tenoris. Sæcul. XV. A. C. 1423.

§. CCXXIII.

Concilium Senas translatum.

Sacroſancta Synodus Generalis Papienſis in Spiritu S. legitime congregata, cauſſa peſtis inibi notorie graſſantis ipſam civitatem Papienſem mutat, & loco ipſius urbem Senarum in natione Italica conſiſtentem, tanquam habilem & locum ſufficientem pro continuatione ejusdem Concilii tenore præſentium eligit, atque deputat. Lecto hoc decreto, Petrus Archiepiſcopus Cretenſis pro Italica Natione reſpondit: *Placet*, quamvis hæc Natio, cum hoc ſcriptum Labbe Conc. to. 12. p. 356.

Sæcul. XV. A.C. 1423.

omnino ignoraret, consentiendi potestatem Archiepiscopo non tribuisset. Idem etiam pro Natione Germana Nicolaus de Susato Theologiæ Doctor, & Richardus Lincolniensis pro Anglica respondebant. Quid egerit natio Gallica, ex Synodi actis non liquet; in his enim duntaxat indicatur, Gallos schedam a Posnaniensi Episcopo lectam, minime perspectam habuisse. Postquam vero plures Prælati, Doctores, & Principum Deputati Senis advenerant, habitæ sunt quædam Sessiones die octava Novembris: aliorum tamen Scriptorum fide discimus, eas incæpisse vigesima secunda Augusti; Ast cum inter Patres suborirentur jurgia, & Pontifex, qui Mense Septembri Senas se venturum promiserat, ob pestilentiam ibi grassantem, certo certius autem ob metum Alphonsi Arragonum Regis non compareret, auctoritate Pontificis præsentibus Prælatis ad sua redeundi facultas data fuit; extra dubium tamen est, Synodum Senis cæptam, ibidem, atque ab iisdem Prælatis, aliisque ex post advenientibus continuatam fuisse.

Marian. l. 20 c. 14.

§. CCXXIV.

Decreta circa fidem, & contra Wiclefistas ac Hussitas.

Ceterum Patres reformationi Ecclesiæ ac

ac ſtabiliendis fidei fundamentis apprime intenti, confirmarunt damnationem hæreſum Conſtantiæ proſcriptarum, ſimulque condiderunt decretum, quo renovarunt pœnas adverſus fautores Wicleſiſtarum & Huſſitarum jure ſancitas; Hancque in rem omnibus plenarias concedunt indulgentias, qui hæreticos iſtos perſequerentur, & hujus ſectæ extirpationi adlaborarent, innovantes Conſtitutionem Bonifacii VIII, vi cujus Ordinariis ac Inquiſitoribus præcipiebatur, ut hæreticos, vel horum fautores comprehenderent, damnarent, ac punirent, ſub pœna ſuſpenſionis per quatuor menſes negligentibus infligenda, quibus additum eſt præceptum, hoc decretum in ſingulis Eccleſiis publicandi prima & quarta Dominica quadrageſimæ, & diebus Nativitatis Dominicæ ac Paſchatis.

Sæcul. XV. A.C. 1423.

§. CCXXV.

De reunione Græcorum.

In alio decreto de Græcis Eccleſiæ reconciliandis actum, ſancitumque eſt hunc in modum: *Quemadmodum ſummi Pontifices operam dederunt Eccleſiam Orientalem cum Eccleſia Univerſali quoad fidem in JEſum Chriſtum, Salvatorem noſtrum uniendi, & Martinus V. Papa, paterna ſua bonitate enixe omnia egit, ut tam ſanctum pro-*

Labbe Concil. to. 12. p. 369. & ſeq.

Sæcul. XV. A. C. 1423.

Vid supr. §. 176.

propositum exequeretur, hujus autem optatum exitum per præsentem rerum statum sperare non licet, ita sancta Synodus perspecta necessitate reformandi Ecclesiam Catholicam statuit, fore procedendum ad hanc, reunione Græcorum tempori magis opportuna data occasione reservata. Absoluto hoc decreto, Epistola Patriarchæ Constantinopolitani latino & græco idiomate exarata, a duobus Secretariis in utraque lingua perlecta est. Relata quoque fuere gesta Antonii Massani Franciscanorum Generalis ad Græcos ablegati, item oratio, quam habuit in consessu Græcorum, & horum responsum. Recitatum denique est decretum tertium, quo condemnationis ac depositionis sententia contra Petrum de Luna, olim Benedictum XIII, lata confirmabatur, & acerbiores pœnæ contra Schismatis promotores, aut qui illud post ejus mortem tueri vellent, statutæ fuerunt.

§. CCXXVI.

Consilium Pontificis de Synodo in aliud tempus & locum transferenda.

Labb. Conc. to. 12. p. 379.

Verum, priusquam causa reunionis Græcorum decideretur, ac proposita Ecclesiasticæ disciplinæ restauratio discuteretur,

teretur, Martinus V. de Synodo in aliud tempus differenda, necnon de loco mutando consilia agitabat, caussatus, paucos admodum confluxisse Prælatos, imperium belli tumultibus turbatum, atque inter ipsa Synodi membra graves exortas esse dissensiones. Vera tamen mutatæ sententiæ caussa erat, quod pertimescret Pontifex, ne Legatus ab Arragonum Rege ad Synodum missus, quicquam contra Sedis Apostolicæ auctoritatem attentaret, aut Synodus decreta Curiæ Romanæ pernicioſa sub reformationis obtentu conderet; non enim ignorabat Pontifex, Legatum eo fine missum esse, ut moras nectendo ad caussam Petri de Luna, Panisscolæ adhucdum agentis, firmandam tempus lucraretur, ipsumque Anti-Papam potiora Concilii membra tam promissis, quam largis muneribus sollicitasse. Sæcul. XV. A.C. 1423.

§. CCXXVII.

Neapolis Regina a Rege Alphonso graviter offensa.

Papa tamen ante initium sequentis anni voti sui compos fieri haud poterat. Obstabat enim Alphonsus Rex, qui de Pontifice repetitas habebat querelas, eoquod genio, suisque desideriis velificantem non sensisset. Præterea supremam *Blond. 1. dec. 31. in fin.*

Sæcul. XV. A.C. 1423.

authoritatem, & despoticum in Neapolis Regno dominium exercere cæperat Alphonsus, ipsamque Joannam Reginam non modo a regiminis cura excluserat, sed omnino obsidione pressam tenebat in arce Portæ Capuanæ, ad quam ipsa comperto Alphonsi consilio, quo eam in Cataloniam relegare meditabatur, auffugerat. Verum tota civitas indignitate facti commota, adversus eum ad arma conclamat; Sfortia Benevento Joannam liberaturus accurrit, & cæsis quinque vel sex Arragonum millibus, qui urbe eruperant ei aditum præclusuri, ipsum Alphonsum in novum Castrum non sine gravi libertatis suæ periculo fugere compellit.

Cum vero Joannes de Cardonna opportune admodum Regi novam classem Barcinone adduxisset, denuo urbem ingressus est, quam ejus copiæ immaniter devastantes, quicquid obvium habebant, interemerunt, ac deprædationibus, atque incendiis civium ædes hostilem in modum depopulatæ sunt; Favebat illis vel maxime Sfortiæ absentia, qui eo tempore Aversam obsedit, expugnavitque, eoque Joannam Reginam opportuna adhuc celeritate conduxit, ut adversus imminens periculum securum illi præsidium præberet.

§. CCXXVIII.

§. CCXXVIII.

Sæcul. XV.
A.C.1423.

Alphonſi adoptio a Neapolis Regina ſolemniter reſciſſa.

Poſt hæc Regina Alphonſum, ſummam ejus ingratitudinem exoſa, velut inſenſiſſimum hoſtem habuit; quocirca hujus adoptionem revocavit, ac publico, eoque ſolemni diplomate omnibus Principibus declaravit, Alphonſum ab omni jure in Neapolis regnum excidiſſe. Aberat tum Alphonſus, jam enim Menſe Octobri in Hiſpanias profectus erat, Henricum Fratrem ſuum liberaturus e carcere, in quem Caſtellæ Rex eum conjici jubebat, ulturus non modo infauſtas nuptias, quas Henricus utraque parte invita a Catharina ejus ſorore extorſerat, ſed etiam injuriam, quam ab eo per aliquod tempus in vinculis detentus antea perpeſſus erat.

Antonin. tit. Ro.c.7.§.6.

§. CCXXIX.

Maſſilia ab Alphonſo expugnata.

Arragonum Rex, ut erat magnanimus, intrepidus, impiger, & audax, in itinere ſuo aggreſſus eſt facinus, quo ſane, niſi audaciæ adſpiraſſet fortuna, inſolitæ temeritatis notam non effugiſſet; quippe de Ludovico Andegavenſi vindictam ſumpturus, Maſſiliam ex parte, quæ portu

Sæcul. XV. A.C. 1423.

tu cingitur, invadit, ac cum tota classe sua portum, rupta, qua claudebatur, catena, ingreditur, inde in aggerem ad ripam descendit, primisque obviis ædibus ignem infert, & totam urbem inopino metu perculsam, paucis duntaxat civibus, iisque ignave resistentibus, occupat. Ergo, postquam tribus integris diebus eam vastavit, diripuitque, tandem urbis opulentissimæ spoliis onustus, cum partam tueri posse desperaret, iter suum in Hispaniam prosecutus est, ablatis inde S. Ludovici Episcopi Tolosani reliquiis, quæ Massiliæ extra muros in Ecclesia Franciscanorum asservabantur, postea vero ab eo in Valentina Cathedrali Ecclesia magno honore collocatæ fuerunt.

§. CCXXX.

Ludovicus Andegavensis a Regina adoptatus.

Equidem Alphonsus ægerrime tulit, adoptionis suæ tabulas a Regina fuisse resciſſas, longe vehementiori tamen dolore Neapolitani Regni jus in Ludovicum Andegavensem translatum intellexit, quo nihilominus nuncio summus Pontifex non modice lætabatur; unde Ludovici adoptionem diplomate prima Octobris dato confirmabat, eidemque suas submittebat copias, quibuscum Ludovicus nulla mora

mora ad Reginam se contulit. Subidem quoque tempus Sfortia Braccium aggressus est, qui Alphonsi partes tuebatur, & Aquilam, quæ urbs unica Ludovico adhucdum parebat, oppugnavit. In quo bello ambo isti tam insignes, Heroes perierunt. Sfortia quidem sub initium anni proximi in transitu fluvii Pescariæ solus ex toto suo exercitu aquis submersus, Braccius autem in prælio, quod infausto Marte contra Franciscum Sfortiam prioris Filium commiserat, trucidatus est. Ludovicus subsidiariis Genuensium, & Mediolanensium copiis auctus omnia ab Arragonensibus capta recuperavit, & Regni Neapolitani possessionem tenuit usque ad ultimum vitæ suæ diem, qui ei post decem annos funestus illuxit. Sæcul. XV. A. C. 1423.

§. CCXXXI.

Bellum Ducis Mediolanensis contra Florentinos.

Hoc anno novum bellum in Italia ortum est Florentinos inter, & Philippum Mariam Mediolanensium Ducem. Hic enim Genua, & Liguria haud ita pridem suæ potestati subactis, Principatus sui limites insaturabili cupiditate in detrimentum Florentinæ Reipublicæ extendere nitebatur, & Forojulium antehac fœdere junctum Florentinis, quibus Papa minus *Blond. 3. Dec. 1.2.3. Pogg. lib. 5.*

Sæcul. XV. A. C. 1423.

minus favebat, jamjam eripuerat. Bellum hoc terra marique gestum non nisi post longum temporis intervallum extinctum est; nec segnius Gallos inter & Anglos dimicatum. Quamvis enim Carolus VII. Scotos & Longobardos sibi fœdere junctos haberet, & Britanniæ Ducem, utpote Vasallum in partes suas traxisset, queis etiam accesserat frater ejus Arturus, Comes Richemundius, cujus amicitiam sibi conciliaverat, concessa eidem, in locum Buckani in Vernolienſi prælio trucidati Connestabilis dignitate, nihilominus Anglorum armis succubuisset, nisi Deus eorum victoriis metam præfixisset.

§. CCXXXII.

Bellum Flandriæ in caussa Jacobinæ Brabantiæ Ducis.

Monstrelet. l. 2.

Tandem etiam in Flandria bellum exarsisse legimus, cui fomitem subjecit

Meyer l. 16.

Matrimonium, quod Jacobina unica Comitis Hannoniæ Filia, defuncto Joanne Galliarum Delphino primo ejus conjuge, cum Joanne Brabantiæ Duce annorum sex & decem adolescente contraxerat, accedente summi Pontificis dispensatione, cum Dux Sponsæ suæ Patruelis esset. Magna fuit Jacobinæ contentio cum Joanne Bavaro, avunculo suo, qui, quamvis Sacerdo-

cerdotio initiatus non esset, viginti tamen & octo annis Episcopatum Leodiensem tenuit, atque indulgente Papa uxorem duxit. Præterea eadem cum altero conjuge suo infaustas habuit nuptias; hinc eo relicto in Angliam migravit, & Duci Gloceſtriæ, Henrici V. fratri nupsit. Inde diuturnioris belli flammæ erumpebant illum inter & Brabantiæ Ducem, a Burgundo strenue adjutum. Mortuo Joanne, priore ejus Marito, Gloceſtriæ Dux, ex Pontificis sententia uxorem suam dimittere jussus est. Itaque Jacobina solutis matrimonii sui vinculis bellum adversus Burgundum omnibus viribus prosequebatur, donec inita cum eo pace, atque amissis marito, opibusque suis Viro cuidam Nobili, ac prædiviti, nomine Franco, connubio jungeretur, quem Burgundus comprehendi jussit, nec prius libertati restituit, donec ei maximam bonorum suorum partem cessisset, retentis sibi duntaxat aliquibus, iisque ignobilioribus terris, ut cum conjuge sua vitam sustentare posset, quæ tandem improlis decessit. Sæcul. XV. A.C. 1423.

§. CCXXXIII.

Concilium Colonienſe.

Hoc anno Coloniæ sub Theodorico ejusdem urbis Archiepiscopo, qui per totam Italiam Imperii Cancellarius erat, Syno- *Labbe Conc. to. 12. p. 360.*

Sæcul. XV. A.C.1423. Synodus celebrata est, in qua undecim decreta condita sunt. Primum Concubinarios Clericos a divinis officiis deponendos statuit, si admoniti intra novem dierum spatium non resipiscant. II. Contra Dominos subditis suis interdicentes, ne civilia & necessaria commercia cum Clericis habeant, aut solita eis obsequia præstent. III. Præcipit, ut Officialis in causis appellationum jura communia observet. IV. Sub pœna excommunicationis prohibet, ne abrogentur, piæ fidelium consuetudines, v. g. in septimis, & tricesimis defunctorum Missas celebrandas constituere, panem, carnem, caseum, pisces, vinum, cerevisiam, cereos vel pecunias offerre. V. Disponit, ne quis populo prædicet, aut Indulgentias promulget, nisi in sacris ordinibus sit constitutus. VI. Ne Canonici aut beneficiati in Ecclesia deambulent, aut fabulentur, quamdiu ibi divina peraguntur, sub pœna privationis fructuum ad octo dies. VII. Ne Curati fratres Mendicantes pro Vicariis assumant, si alii idonei possint haberi. VIII. Circa concubinarios publicos Bullæ Carolinæ sanctionem observandam esse decernitur. IX. In hæresin Wiclefi & Joannis Hussi invehitur. X. Statuitur, ut singulis feriis sextis circa meridiem campana pulsetur; & quotidie mane, iique, qui tempore pulsus tria

Pater

Pater noſter & Ave Maria recitaverint, indulgentiis fruantur. XI. Tandem ſancitur, ut feſtum compaſſionis B. Mariæ ſingulis annis feria ſexta poſt Dominicam *Jubilate* celebretur, niſi aliud feſtum eodem die intervenerit, in quo caſu ad proximam ſextam feriam remittatur. Sæcul. XV. A.C. 1424.

§. CCXXXIV.

Senenſe Concilium Baſileam a Papa translatum.

Martinus V. Papa Legatis ſuis poteſtatem dederat, Synodum Senenſem transferendi Baſileam, conſentientibus Prælatis. Itaque Patres præſenti Synodo finem imponere, & futuram indicere decreverunt, nominatis Nationum Deputatis, qui de loco deliberarent. Diverſis in diverſa abeuntibus, tandem poſt crebras diſſenſiones die decima nona Februarii Anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quarto convenerunt, ut Synodus, quæ juxta Conſtantienſis Concilii decretum proxime celebranda eſſet, in civitate Baſileenſi convocaretut. Hæc ſententia in pleno conſeſſu primo a Papæ Legatis, poſtea a primariis Nationum Deputatis approbata fuit. Diſſenſit ſolus Archiepiſcopus Toletanus nomine Na- *Lab. Conc. tom. 12. p. 376.*

Sæcul. XV. A.C. 1424.

tionis suæ, cujus mandatum sibi deesse dixerat, sed tandem acquievit ut Archiepiscopus, & Hispaniæ Primas; ideo autem prius hanc Synodi dissolutionem approbare cunctatus erat, eoquod studio quæsita, & ad eludendam reformationem excogitata sibi videretur.

§. CCXXXV.

Epistola Pontificis ad Archiepiscopum Toletanum.

Labbe Conc. to. 12. p. 377.

Martinus ergo, ut Archiepiscopi animum permulceret, sequentia ad eum perscripsit: *Voluissemus, ut agi potuisset de reformatione Ecclesiæ Universalis in Senensi Concilio, sed postquam tanta rerum perturbatio secuta est, ut vidisti, in animo nobis est, hanc reformationis materiam non relinquere, sed ad prosecutionem debitam intendere in curia nostra. In quo sancto opere te optaremus esse præsentem, sed cum tibi,* prosequitur Papa, *necessarium sit tuam Ecclesiam visitare, & ad ipsius regimen prudentiæ tuæ commissum curas tuas, cogitationesque dirigere, contenti erimus, ut satisfacias muneri, ad quod specialiter es vocatus a Domino, hortantes nihilominus ipsam fraternitatem tuam, ut in quibuscunque locis tua vox, tuaque valebit auctoritas, laborare*

borare non tædeat pro honore, & Romanæ Ecclesiæ dignitate, sicut in devotione tua plene confidimus, & speramus. Præter Toletanum Archiepiscopum alii quoque Prælati aperte querebantur, a Pontifice reformationem Ecclesiæ impediri; quocirca Legati necessarium duxerunt, Prælatis declarare, quod neutiquam per hanc translationem Senense Concilium dissolveretur, sed Concilii Præsides unacum Nationum Deputatis sinceram Ecclesiæ emendationem omni sollicitudine promovere intenderent. Sæcul. XV. A. C. 1424.

§. CCXXXVI.

Decretum de Synodi dissolutione promulgatum.

Idem quoque declararunt Nationum Præsides, & demum die 26. ejusdem mensis Februarii dissolutæ Senensis Synodi decretum promulgatur, atque ad valvas Ecclesiæ Cathedralis dictæ urbis affigitur. Pontifex has dissolutionis causas produxit, scilicet, tempore novem propemodum mensium pauciſſimos Præsules Senas veniſſe, plures legitime impeditos, alios rursum inde digressos; hos vero, qui præsentes essent, in diversa abire consilia, ita ut nec publica haberi *Ibid. p. 378.*

Sæcul. XV. A.C.1424. Seſſio, nec ullus Articulus communi conſenſu ſtabiliri valeret. Has ob cauſſas Concilii Præſides die ſeptima Martii Prælatos ad ſuas Diœceſes redire jubent, prohibentque, ne ullos cœtus agant, per quos Concilium Senenſe, ſic diſſolutum adhuc videretur continuari.

§. CCXXXVII.

Synodi diſſolutio a Pontifice confirmata.

Cum Pontifex diſſolutionem Synodi, ac Baſileenſis urbis deſignationem, in qua præſtituto tempore proximum celebraretur Concilium, ratas haberet, Bullam deſuper die duodecima dicti menſis edidit, qua etiam prohibitionem de Senenſis Synodi continuatione innovat, jubetque, Archiepiſcopi, Epiſcopi ac Locorum Ordinarii præfatam Bullam in ſuis promulgarent Eccleſiis. Denique eodem die vi alterius Bullæ tres Cardinales, nimirum Antonium, Portuenſem Epiſcopum; Petrum Cardinalem Presbyterum tit. S. Stephani in monte Cælio; & Alphonſum Cardinalem Diaconum S. Euſtachii nominavit, dato negotio, ut omnes informationes, conſilia, vel monita, quæ quisque in reſtaurandæ diſciplinæ negotio

negotio ſuggerenda cenſeret, ipſi excipiant, atque diſcutiant. Tandem hoc ipſo die Martinus V. Baſileenſibus per Breve, Senenſes Seſſiones ſolutas eſſe ſignificat, honorem vero, qui ob ſolemnem omnium Chriſtiani orbis Epiſcoporum concurſum huic civitati obveniret, gratulatus eſt, additque, quod Apoſtolica Sedes Decretum Patrum Senenſium ratum habuiſſet, ac confirmaſſet, dein hortatur eos, ut ſupremi Pontificis nomen honorarent, & Eccleſiaſtici Ordinis dignitatem tuerentur, ſeque univerſalis Eccleſiæ in eorum urbe congregatæ præſentia dignos exhiberent. Sæcul. XV. A.C.1424.

§. CCXXXVIII.

Obitus Petri de Luna, dicti Benedicti XIII.

Alphonſus adverſus Papam ira in dies magis commotus, eoquod illi inveſtituram Regni Neapolitani diſertis verbis denegaſſet, atque inſuper in ejus præjudicium Ludovici Andegavenſis jura, atque adoptionem confirmaſſet, prætenſas haſce injurias vindicaturus, mortuo Petro de Luna ſchiſma reſuſcitare decrevit. Hic enim Pſeudo-Papa die prima Junii in Pentecoſtes feſto, vel ut memorant alii, in menſe Septembri, brevi poſt *Mariana l. 20. c. 14.*

Sæcul. XV. A.C. 1424. Alphonsi in Hispanias reditum, in arce sua Paniscolæ e vita migravit. Mirum sane, qua ratione Vir ille tot, tantisque calamitatibus undique pressus, solus, ut ita dicam, unica manu sua contra manus omnium pugnans, dies suos vix non usque ad nonagesimum ætatis annum protraxerit. Quinimo si Hispanorum nonnullis fides habenda, diutius adhuc vitam prorogasset, nisi Monachus quidam Petro admodum familiaris bellariis, quibus pro more, absoluto prandio, vescebatur, venenum immiscuisset, nec desunt, qui etiam referunt, quod sicarius ille, cum scelus suum fassus esset, quatuor in partes dilaceratus fuerit. Cardinalis quoque Pisanus in Arragonia legatus, quod in eum primo criminis suspicio caderet, celeri in Italiam fuga saluti suæ prospexerit, Roderici & Alvaresii de Luna iram declinaturus, qui Patrui cædem ulturi, presso pede Cardinalem insequebantur. Nihilominus longe certius est, non venenum, quod eidem absque firma ratione propinatum asseritur, sed decrepitam Viri senectutem mortis suæ veram extitisse caussam. Corpus ejus in Ecclesia arcis Paniscolensis nulla pompa terræ mandatum, & sexto expost anno incorruptum, suavemque spirans odorem repertum est. Inde jussu Joannis de Luna ex fratre Nepotis

potis Igluecam Arragoniæ urbem, & Lunensibus subditam translatum fuit, ibique, ut ajunt, in hanc usque diem a corruptione liberum asservatur, quod vel aromatibus ad curandum ejus cadaver adhibitis, vel naturali causſæ, quamvis ignotæ, non autem sanctitati ejus adscribendum est. Hic adeo persuasum habebat, se solum legitimum esse Pontificem, ut fallaci hac opinione usque ad extremos vitæ suæ dies delusus, duos Cardinales, qui ei adhæserant, nempe Julianum Dobla, & Dominicum de bona spe Carthusianum sub juramenti fide, ac æternæ maledictionis comminatione adstrinxerit, ut eo fatis functo alium in Papam eligerent. Mortuo illo Alphonsus Arragoniæ Rex religionem utilitati propriæ accommodare solitus, eos quoque compellebat, ut Martino V, in quem vindictæ cupidine ardebat, dignitatis Pontificiæ æmulum crearent. Sæcul. XV. A.C. 1424.

§. CCXXXIX.

Petri de Luna Successor a duobus Cardinalibus creatus.

Ergo hi duo Cardinales Pseudo-conclave ingrediuntur, Papam nominaturi; cum autem neuter horum, deficiente majori suffragiorum parte eligi posset, nisi unus eorum sibimetipsi suffragium daret, quem- *Surita, Marian. Ciaconius.*

Sæcul. XV. A.C.1424. dam extra prætenſum hoc conclave eligere ſtatuunt.

§. CCXL.

Ægidius Munio in Papam electus, ſub nomine Clementis VIII.

Itaque Ægidium Mugnos, ſeu Munionem, Nobilem Arragonenſem, Barcinonæ Canonicum, & juris Pontificii Doctorem, Virum prudentiæ, ac doctrinæ fama celebrem, Anti-Papam creant. Munio electioni ſuæ, quam invalidam, ac S. Canonibus adverſam probe cognoverat, primo obluctatus eſt; cum vero Alphonſus, cujus imperio ſubjectus erat, ut Papatum acceptaret, præcepiſſet, tandem acquievit, & Paniſcolæ Pontificalia ſumpſit inſignia, nomenque adoptavit Clementis VIII; omnibus ſummi Pontificis muneribus publice functus; ut vero ſuum Conſiſtorium numero magis conſpicuum redderet, aliquos etiam creavit Cardinales, quibus ſuum quoque Nepotem accenſuit; cupiebat enim in hoc etiam puncto ſeſe quorumdam Pontificum Succeſſorem exhibere.

§. CCXLI.

Pacis conſilia Imperatorem inter & Ziſcham.

Cochl. Hiſt. Huſſit. l. 5. Interea cum Ziſcha Pragam quoque occupas-

cupaſſet, facile Sigismundus, Bohemiæ armorum vi recuperandæ vix ſpem ſibi ſupereſſe proſpexit; haud enim ignorabat, quod terribilis hoſtis ſuus, quantumvis cæcus, proſpero tamen Marte, & conſtanti (quod rarum eſt) fortunæ favore pugnaret; hinc tecto nomine pacem offerri curavit Ziſchæ, pactionibus propoſitis, quibus Cæſar præter hujus Regni, & Provinciarum, quæ annexæ ſunt, adminiſtrationem, Ziſchæ etiam ſupremum rei militaris imperium, regnique jura ac proventus promitteret, dummodo Sigismundo nomen Regis ſalvum relinqueretur, & ipſe Bohemos induceret, ut jurarent, ſe nullum præter Cæſarem pro legitimo eorum Principe unquam agnituros. Hæ pactiones, inquit Æneas Sylvius, *in magnam profecto Regiæ Majeſtatis ignominiam, & imperialis gloriæ dedecus, atque infamiam Chriſtianæ Religionis cedebant.* Ziſcha has conditiones acceptavit, forte tædio affectus diuturnioris imperii in populum, cui potius arridebat regimen Ariſtocraticum, ac cuidam Belliduci ea fidelitate ſubeſſe, quam præſentis temporis ratio poſtulaſſet. Præterea conſultius ſibi fore judicabat verbis Imperatoris, ac Domini ſui fidei, quam ſeſe triginta millium ſeditioſorum levitati committere, & ſi illis habenda fides, qui Ziſcham mortis ſuæ

Sæcul. XV. A.C. 1424.

Sæcul. XV. A.C. 1424.

præscium fuisse referunt, magis glorioſum vitæ ſuæ finem ſeligere haud potuiſſet, quam quod ſola illius Monarchæ, quem Chriſtianus Orbis omnium ſupremum venerabatur, & ipſe octies in præliis devicerat, clementia tandem ſe victum profiteretur.

§. CCXLII.

Ziſchæ obitus.

Æn. Sylv. hiſt. Boh. c. 46.

Tanta auctoritate apud ſuos pollebat Ziſcha, ut Huſſitas non modo ad amplectendas, quas iniiſſet, pactiones, ſed etiam ad fidem Cæſari repetito jurejurando obſtringendam induceret. Dum vero ipſus ſe fidei ſuæ teſtem Sigismundo exhibere meditabatur, in itinere peſtilentia correptus, ſexta Octobris die hoc anno in caſtello Piſcoviæ obiit, jure ſummos inter ævi ſui Heroes numerandus. Militarem animum, quem fovebat, produnt extrema agonizantis Ziſchæ verba; ferunt enim, illum, cum a quodam, qui morienti aſſiſtebat, interrogaretur, ubinam corpus ſuum ſepeliri vellet, juſſiſſe: *Cadaveri meo pellem adimite, carnes volucribus ac feris objectate, ex pelle tympanum facite, eoque ſonante bella gerite; arripient enim fugam hoſtes, quamprimum ejus tympani ſonitum audient.*

§. CCXLIII.

Sæcul. XV.
A C.1424.

§. CCXLIII.

Huſſitæ in Taboritas & Orphanos ſeparati.

Mortuo Ziſcha Huſſitæ in duas ſcindebantur factiones. Prima, Thaboritarum nomen ſub Duce Procopio magno aſſumpſit, altera vero Orphani appellari voluit: hi, cum crederent, nullum inveniri poſſe ſucceſſorem Ziſcha dignum, ſingulis annis novos elegerunt Duces, quorum ſumma eſſet poteſtas, exceptis iis, in quibus cum hoſte confligendum, diebus; in illis enim ſoli Procopio, cognomine Parvo, parebant. Nihilominus hæ duæ factiones, etſi inter ſe diſſentirent, ubi tamen Catholicorum vicinas Bohemiæ Provincias deprædandi occaſio nata erat, junctis viribus, iisdemque caſtris pugnarunt, & ſingulis annis omnes haſce regiones miſere devaſtarunt. Hi quoque pactum Cæſarem inter & Ziſcham initum haud diu obſervabant, temerarie præſumentes, quod adverſus quoscunque demum hoſtes ſecuri forent, eoquod hyemali tempore Thaborenſis arcis munimentis defenſi ſubſiſtere, & in æſtate pro libitu ſuo Germaniam, Hungariam, & Poloniam depopulari poſſent. Devaſtarunt etiam ſuperiorem, & inferiorem Auſtriam,

Kranz. 11.
Wandal. 9.

Sæcul. XV. A.C. 1424.

ſtriam, vicerunt in acie Albertum Auſtriacum, Imperatoris Generum, dum eos apud urbem Schutlendam aggredi meditabatur, & præterea binis vicibus exercitum, quem Julianus Cardinalis comitabatur, profligarunt.

§. CCXLIV.

Angli Montargium obſident, & obſidionem ſolvunt.

Joan. Chartier. Hiſt. Car. VII.

Nec ſegnius in Galliis bellum cum Anglis flagrabat. Hi, Warwici & Suffolciæ Comitibus agmen ducentibus, Montargium, quod Carolo VII. parebat, obſidione cingunt. Arturus Richemundii Comes, Galliæ Conneſtabilis contractis ſuis copiis, ad liberandam urbem accurrit, nec infelici ſucceſſu; fuſi enim fugatique Angli, tormenta ac impedimenta Victori cedere coacti ſunt. Non multo poſt Retzius & Bomanorius Lusdum, urbem Andegaviæ ad ligerim ab Anglis poſſeſſam, recuperarunt. Sed minus proſpera fuit Gallis Fortuna, dum Cenomanum occupare tentant; Talbotus enim Anglis, qui ad turrim, portæ S. Vincentii vicinam, convolabant, ſuppetias ferens, paulo ante Urbis Victores, jam victos expulit. Adduxerat quidem in auxilium Dugloſſius Comes quatuor millia Scotorum,

rum, miserat quoque Mediolani Dux sex- Sæcul. XV.
centos hastatos equites, & fere duo mil- A. C. 1424.
lia peditum, sed vix hæ copiæ advenerant, jam cæsæ fuerant. Unde Regis potentia nimium labefactata fuit.

§. CCXLV.

Bedfordiæ Dux Iberium capit, & Gallos profligat.

Dux Bedfordiæ captis quibusdam urbibus Iberium obsidet, moxque cives ad diem 20. Augusti deditionem pollicentur, nisi interea tam validum copiarum auxilium, ut fors Urbis prælii fortuna dirimi possit, submitteretur; Equidem Conneſtabilis, Dux Alensonius, aliique Belliduces adducunt subsidiarios milites; ast illi, cum prælium inire non auderent, Vernolium abeunt, rumorem spargantes, quod Anglorum copias Iberium obsidentes fugaverint, ac deleverint. Ementitæ hujus Victoriæ fama territos Vernolienſis præsidii Præfectos, qui sub Anglorum vexillis pugnabant, induxerat, ut Vernolienses urbis suæ portas Gallis aperirent; Sed paulopost Bedfordiæ Dux, capto Iberio, Gallos Vernolii castra metantes aggreditur, atque profligat, cæsis quatuor millibus & amplius, captisque Duce Alensonio, Marescallo de Fayette,

Sæcul. XV. A.C.1424. Fayette, Ludovico de Gaucour, & plusquam trecentis aliis Illuſtribus Viris. Bukan Franciæ Conneſtabilis in prælio occubuit, & inter mortuorum ſtrues inventi erant Comes Duglaſſius, & Narbonnenſis Vicecomes, cujus cadaver, quia cædis in Joannem Burgundum perpetratæ complex erat, quadratim diſſectum eſt, ejusque partes in diverſis locis palo affixæ exponebantur.

§. CCXLVI.

Coronatio Reginæ Poloniæ.

Cromer. l. 39 Eodem anno Februario vix ineunte Coronatio Sophiæ Polonorum Reginæ ſuperbo apparatu celebrata eſt; Auxit ſolemnitatis ſplendorem Sigismundi Imperatoris præſentia, qui fœdus cum Ladislao, Poloniæ Rege, & Erico Daniæ, Sueciæ ac Norvegiæ Regibus innovaverat, qui ultimus huic pompæ intereſſe voluit, Sigismundum imploraturus, ut pacis inter eum, & Slevicenſes Duces conciliator eſſet. Aderant præterea Cardinalis Placentinus S. Sedis Legatus adverſus Huſſitas nominatus, Julianus Cæſarinus Cameræ Apoſtolicæ Auditor, & poſtmodum Cardinalis, multique alii Germaniæ, Hungariæ, Lituaniæ, ac Ruſſiæ Principes. Abſolutis Coronationis ſolemni-

solemnibus sumptuosum instruebatur convivium, in quo Cæsar primum locum occupabat, a dextro sibi assidentem tenens Poloniæ Regem, a sinistro Ericum; idem dextrum latus post Polonum occupabant Cardinalis Placentinus, & reliqui Prælati ordine suo succedentes; ad lævam autem Principes sæculares confederunt. Principes isti ad preces Cardinalis Legati, antequam discessissent, conventum egerunt, in quo sancitum, quod Ladislaus, præter milites voluntariam militiam professos, quorum ingens erat numerus, insuper quinque Equitum millibus Sigismundo ad prosequendum Bohemiæ bellum subsidio adesset. Ipse Ladislaus arma in Bohemos convertere decreverat, eoquod Coributus jamjam Bohemicum iter aggressus esset, regni hujus insignia susceperus, quem ideo Rex Poloniæ publicatis ejus bonis proscripsit.

Sæcul. XV. A.C. 1424.

Vid. supr. §. CCXXVI.

§. CCXLVII.

Jacobus I. Scotiæ Rex, e vinculis liberatus.

Hoc anno Jacobus I. Scotiæ Rex, postquam octodecim omnino annis in Anglia carceri mancipatus esset, libertati assertus dicitur. Filius erat Roberti III, Anno Domini millesimo quadringentesimo

Boet. l. 16. & 17.

Sæcul. XV. A.C. 1424. mo sexto ab Anglis in Gallia captus, Patre suo adhuc vivente, qui accepto tristi nuntio paucis diebus superstes erat. Jacobo libertas concessa non fuit, nisi ea lege, ut Joannam Comitis de Sommerseto Filiam sibi desponsaret, ex cujus dote centena millia Marcarum argenti tanquam libertatis suo lytrum, prout conventum erat, Anglis soluta fuerunt. Die 21. Maji hujus anni regium diadema sumpsit, & ubi in Comitiis generalibus a Scotiæ Ordinibus Rex agnitus fuit, nonnullos, qui captivitatis suæ tempore indignos Regni administratores sese exhibebant, severe coercuit.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CV.

MARTINUS V. PAPA.

SIGISMUNDUS OCCIDENT. EMANUEL II. JOAN. PALÆOL. ORIENT. IMPERATORES.

§. I.

Cardinalis de Fuxo in Arragoniam a Papa ablegatus.

Alphonſus Arragoniæ Rex ſchiſma in Hiſpania ſtudioſe nutrire ſatagens, illud quoque in Italiam invehere moliebatur, eamque compoſitis domi negotiis, quibus in Arragoniam revocabatur, cum omnibus ſuis copiis repetere ſtatuebat. Sæcul. XV. A. C. 1425.

Acta legation. Card. Fux. apud Bzov. an. 1425.

Sæcul. XV. A.C. 1425.

tuebat. Papa adeo formidandi hostis odium, ac mala inde secutura pertimescens, nullum non movit lapidem, ut Regis iram placaret, hancque in rem Cardinalem de Fuxo in Arragoniam ablegavit, qui octava Januarii hujus Anni amplissima potestate instructus, illuc profectus est, Legati Apostolici munere functurus.

§. II.

Cardinalis ab Alphonso tanquam Legatus minime receptus.

Mariana l. 20. c. 14.

Cum Cardinalis Occitaniam pervenisset, eidem Alphonsus, qui hanc legationem in rem suam vertere sperabat, nunciari jussit, haud ulterius progrederetur, nunquam enim fore, ut eundem pro Legato exciperet, donec sibi a Martino Papa plene satisfactum esset, idemque cuncta postulata, quæ antehac per Oratorem ad id speciatim deputatum proponi curasset, omnino rata haberet. Cardinalis, licet nil intentatum relinqueret, ut saltem Regis conspectum subire sibi liceret, repulsam tamen tulit, nilque amplius impetrare potuit, quam ut Legatione sua Bellegarii defungeretur, idque duris adeo conditionibus, ut eas acceptare, minus decuisset. Quapropter integrum annum in ditione Comitis de Fuxo fratris sui hærere coactus, nequaquam

quam tamen Alphonsi animum flectere valuit. Sæcul. XV. A.C. 1425.

§. III.

Regis Arragoniæ postulata ad Legatum.

Interea temporis Arragoniæ Rex Ordinis S. Dominici Religiosum, quem a confessionibus habebat, ad Cardinalem misit, qui tria ab eo peteret. I. Ut sibi liceret, S. Ludovici Episcopi Tolosani reliquias, quas Massilia secum detulisset, in quadam Arragonensium Franciscanorum Ecclesia deponere. II. Ut omnes jam aliquamdiu pro terris suisque ditionibus census debiti, & Cameræ Apostolicæ jura sibi condonentur. Denique III. Ut Rocale Urbe, Rhodiorum Equitibus subdita, uti fruique posset. Primum petitum, cum id Galliæ Regibus nimis grave accidisset, omnino negavit Cardinalis, tertium quoque admittere recusabat, caussatus, inde injuriam, damnumque Rhodiorum Equitibus emersurum; cum hi ad conservandam hanc urbem nec sumptibus, nec sanguini hucusque pepercissent. Alteri tamen articulo se assensurum spopondit, dummodo Regis alloquendi copia sibi fieret, ac Pseudo-Papam Panisscolæ latitantem deserere, Alphonsus promitteret.

Sæcul. XV. A.C. 1425.

Eodem anno Henricus Alphonsi frater e Castellano carcere dimissus refertur, cujus libertatem Carolus *Nobilis* Navarræ Rex indefesso studio promoverat, hoc ipso tamen anno die octava Septembris ex hac vita migravit, Pompejopoli sepultus. Successit ei Blanca illius Filia, necnon Joannes hujus Maritus, ac Regis Arragoniæ frater.

§. IV.

Ordo Eremitarum S. Hieronymi institutus.

Onuphr. in Chron. Maurol de Ord. Relig.

Sub idem tempus Lupus ab Oliveto, natione Hispanus, Romæ in conventu S. Alexii Ordinem Hieronymitanorum, seu Eremitarum D. Hieronymi instituit. Is antea erat supremus hujus Ordinis Præfectus, qui ad Carthusianos transiit, sed paulo post ad priorem rediit statum. Lupus D. Hieronymi libros sedulo scrutatus, ex illis, ac præcipue ex ejus epistolis particularem concinnavit Regulam, quam Pontifici, cui in paucis carus, & quondam Parisiis ejusdem studii socius erat, exhibuit, supplicans, ut Ordo suus, relicta S. Augustini, quam hucusque profitebatur, regula, illam ex D. Hieronymo collectam auctoritate Pontificia amplecti posset. Annuit Papa, sed Lupus Religiosos suos graviter reluctantes expertus,

ab

ab eorum ſocietate ſeſe ſegregavit, atque in æde S. Alexii juxta inſtituti ſui normam vixit; quam ob rem Pontius Tarraconenſis adverſus eum ſtrinxit calamum. Sunt, qui referunt, Lupum jam Anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo tertio Hiſpali in Hiſpania Congregationis ſuæ prima jeciſſe fundamenta, eamque D. Iſidori Congregationem appellaſſe, eoquod Conventus ille hoc nomine antea inſignitus eſſet; hoc autem anno Papam illi monaſterium S. Alexii Romæ dono dediſſe narrant. Utraque autem Congregatio poſtmodum ſub Gregorio XI. in unam coaluit. Ceterum varios ſermones conſcripſit Lupus, qui tamen typis excuſi non ſunt. Sæcul. XV. A.C. 1425.

§. V.

Reformatio Ciſtercienſium, & S. Claræ Monialium.

Pari ſtudio Martinus Vargas, Theologiæ Doctor ex Monaſterio Petræ in Arragonia S. Bernardi Congregationem erexit in Cœnobio Montis Sion prope Toletum, ubi duodecim Religioſorum opera adjutus, Ordinem Ciſtercienſium ad veterem diſciplinam revocavit. Succeſſu temporis hujus Congregationis Alumni Complutenſe ac Salmanticenſe Collegium acceperunt. *Aub. Mir. lib. 5. c. 4. Surius in Martyr. Inſtrum. apud Bolland p. 535.*

Sæcul. XV. A.C. 1425.

Eodem tempore B. Colleta D. Claræ sanctimonialis Corbejæ in Picardia Instituti S. Francisci restauratrix exstitit, qua in re S. Bernardini, qui Ordinem FF. Minorum reformavit, consiliis utebatur, nec non Patrem Henricum de Balma Confessarium suum ex eadem Seraphica Familia adjutorem habebat. Hujus Virginis Beatificationem a Clemente VIII. factam, Paulus V. confirmavit, illiusque vitæ sanctitatem S. Vincentius Ferrerius tantopere demirabatur, ut eam visendi gratia ex Hispaniis in Gallias proficisceretur. Reformationi suæ annis viginti duobus supervixit, demum vero Anno Salutis millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo sexagenaria Gandavi animam Deo reddidit. Equidem Sanctorum albo inserta non legitur, ejus tamen festum summi Pontifices ab Ordinis sui Religiosis ritu solemni celebrari indulserunt.

§. VI.

Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis obitus.

Bellarmin. de script. Eccles.

Hoc item anno Petrus de Alliaco Cameracensis Cardinalis, cujus frequens nobis erat memoria, Cameraci die vigesima octava Augusti vita functus est. Inter celebriores ingenii sui partus numerantur Commentarii in quatuor libros senten-

sententiarum, item de laudibus S. Scripturæ; plures libri spirituales, ac Ascetici de variis materiis; Meditationes in quosdam Psalmos (*), in Cantica Canticorum, in salutationem Angelicam, in Cantica B. Mariæ, & Zachariæ, & Simeonis; in orationem Dominicam; Scripsit *sacramentale* quod vulgo Alliacense dicitur, necnon vitam S. Petri Cœlestini; ac quosdam tractatus de potestate Ecclesiastica; de interdicto; de permutatione beneficiorum; de legibus; de Concilio Generali, denique tractatus de Astronomia, de Sphæra, & de Meteoris Aristotelis. Cuncta ista opuscula publicis literis impressa exstant. Plura tamen alia necdum typis edita asservantur in Navarrensis Collegii Bibliotheca. Palmam vero reliquis præripuit Commentarius de reformatione Ecclesiæ, qui nil nisi plurium aliorum hujus materiæ operum Synopsis est. Sæcul. XV. A.C. 1425.

§. VII.

Joannis de Curtacoxa Doctoris obitus.

Circa idem fere tempus, aut forte anno elapso mortuus est Joannes de Curtacoxa Doctor, & primum Parisiensis, postea Genevensis Episcopus, Gallice dictus *Dupin. Bibliot. script. tom. 12. p. 84.*

(*) *Scilicet 30, & 41mum.*

Sæcul. XV. A.C. 1425.

Courtecuisse. Natale solum adeptus est Cenomani, & cum aliis Legatione functus est pro Galliæ Rege Carolo VI. ad Pontifices, Benedictum, & Bonifacium, ut sua industria pacis Ecclesiæ negotium promoveret. Subtractionis viam ipse suaserat, & absente Gersonio, Universitatis Parisiensis Cancellarii munus obibat. Anno millesimo quadringentesimo vigesimo Episcopus Parisiensis nominabatur, cum vero apud Angliæ Regem, qui tum temporis Lutetiæ Parisiorum imperabat, parum gratia valeret, Episcopatus sui possessionem consequi haud poterat, sed in Monasterium S. Germani de Pratis secedere, tandemque urbe Parisiensi relicta, omnino Genevam fugere cogebatur, ubi anno Christi nati millesimo quadringentesimo vigesimo secundo Episcopus renunciatus est. Hujus Viri lucubrationes lucem publicam non conspexerunt, quales sunt, tractatus de potestate Ecclesiæ & Concilii; variæ quæstiones Theologicæ; prælectiones in nonnulla Evangelii loca; & denique versio libri *de virtutibus Senecæ.*

§. VIII.

Ultima fata Emanuelis Palæologi, Græcorum Imperatoris.

Phranz l. 1. c. 41.

Die etiam vigesima prima Julii hoc anno Emanuel Palæologus Græcorum Impe-

Imperator mundo valedixit, ſeptuaginta ſeptem annos natus. Conjugem habuit Irenem Conſtantini Dragas Filiam, ex qua Joannem Palæologum ſuſcepit, eumque in Imperio ſucceſſorem habuit, ceu potius, cui jam Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo nono ſceptrum ſpontanea ceſſione reliquit. Emanuel enim biennio ante mortem ſuam Monachum induit, aſſumpto Matthæi nomine. Princeps erat ſcientiarum amans, & Theologiæ ac Philoſophiæ ſtudiis non parum exercitatus. Ingenii ſui aciem teſtantur viginti dialogi de Religione in Regia Bibliotheca aſſervati, necnon centum illa præcepta, quæ Filio ſuo tradidit, ac demum ſexto decimo ſæculo in linguam gallicam tradu&ta fuere. Funebrem illius orationem habuit Beſſarion tunc temporis adhuc juvenis, illamque Nicolaus Perrotus latinitate donavit, a Bzovio in Annalibus ſuis recenſitam.

Sæcul. XV. A. C. 1425.

Bzov. an. 1425.

§. IX.

Joannes Palæologus illius ſucceſſor.

Emanuele fatis functo Joannes Palæologus, illius Filius natu major, ac ſeptimus hujus nominis Imperator ſolus Imperii regimen ſuſcepit, nuperrime ex Hungaria redux, quo profectus erat, poſtquam Iſthmus Peloponeſiacus deſtrue-

Sæcul. XV. A.C.1425.

batur, quem quidem ejus Parens summa cura, atque immensis ferme sumptibus munitissimum reddidit, ut tamen ab Amurate pacem impetraret, solo æquare, ac penitus evertere cogebatur. Mariam Comnenam Regis Trapezuntini, vel juxta alios, Sarmatarum Principis filiam uxorem habuit, postquam Sophiam Marchionis Montisferratensis filiam ob enormem corporis deformitatem repudiasset, palam professus, malle se Monachorum cucullo abscondi, fratrique suo Constantino imperium cedere, quam hujus fœminæ consortio alligari; nihilominus Procerum opera eam rursus in conjugii societatem revocavit, ac cum illa toto reliquo vitæ suæ tempore satis tranquille vixit.

§. X.

Concilium in Dania.

Labbe Conc. to.2. p.380. *Pouſſan. rer. Dan. lib.9.*

Sub idem tempus Petrus Luckius Lundinensis in Dania Archiepiscopus Concilium Hafniæ, quæ urbs eadem ac Codonia (*) fuisse creditur, celebravit. Convenerant illuc Herbipolensis, & Roschildensis Episcopi, aliique eorum suffraganei, diversi Prælati, Abbates, Decani, Præpositi, Archidiaconi, Priores, & Parochi Diœcesani. Omnium singulare erat

(*) *Germanice dicitur :* Coppenhagen.

rat ſtudium, ut diſciplinæ reſtaurationem, morumque emendationem promoverent, qui tam in Eccleſiaſticis quam ſæcularibus ob bella fere continua ſummopere depravati erant. Integra Archiepiſcopi hujus epiſtola Synodica extat in collectione Conciliorum Patris Labbei ad annum Domini quadringenteſimum vigeſimum quintum ſupra milleſimum. Dirigitur illa ad omnes hujus Provinciæ fideles, quos ad ſedulam ſalutarium monitorum, quæ in ea continentur, obſervantiam adhortatur. Irritat quoque omnes ſponſiones violenter extortas, & talis violentiæ auctores, eorumque filios declarat ipſo facto inhabiles ad quæcunque Eccleſiaſtica beneficia, & ad omnia officia adminiſtranda, adeo ut nec valeant *quascunque poſſeſſiones Eccleſiæ vel ad dies ſuos vel ad tempus aliquod determinatum vel ſub annuo cenſu, vel in conceſſu* (dono) *obtinere.* Homicidas diuturnæ ac ſeveræ ſubjicit pœnitentiæ, ſtatuitque, ut nonniſi poſt ſatisfactionem debitam ſimilibus *Eccleſiæ præſletur introitus.* Præterea decernit, *quod feſtum Sanctæ Annæ Matris Genitricis Dei B. Mariæ, quolibet anno altera poſt Conceptionem ejusdem Beatæ Virginis die pro feſto habeatur.* Denique, quod *in qualibet Eccleſia Cathedrali bis in anno celebretur Diœceſana Synodus,* in qua præmiſſorum ſtatutorum obſervantia urgeatur.

Sæcul. XV. A.C. 1425.

§. XI.

Sæcul. XV. A.C. 1426.

§. XI.

Fundatio Universitatis Lovaniensis.

Suffrid de Episc. Leod. cap. 16.

Eodem anno propemodum ad finem vergente die nona Decembris Martinus V. summus Pontifex edito diplomate confirmavit Universitatem Lovaniensem in Brabantia, quam Joannes hujus Provinciæ Dux condiderat, postquam Jacobina ejus conjux sedato belli per eam suscitati tumultu vitam magis tranquillam ducere cæpit. Primo quidem humaniores duntaxat disciplinæ, necnon Philosophia ibidem tradebantur, sed postea Eugenius IV. Theologica facultate eam celebriorem reddidit. Hæc Universitas a primis suis incunabilis continuo Doctoribus, atque Professoribus doctrina ac eruditione celeberrimis inclaruit. Instructa est viginti omnino Collegiis, in quibus omnis generis scientiæ traduntur. Rector est totius Universitatis caput, ac Collegii, & Academicorum Protector, quo tamen officio nonnisi per semestre fungitur. Hanc in rem consuli poterunt Guicciardinus in descriptione Belgii, & Justus Lipsius in Historia hujus Urbis.

§. XII.

Alphonsus Arragoniæ Rex anathemate a Papa percussus.

Platin. in Mart. V.

Gliscentia superiori anno Papam inter & Arra-

Arragoniæ Regem dissidia hic annus magis adhuc accendit. Equidem Papæ Legatus quosdam, qui eum comitabantur, Prælatos ad Regem mittebat, a quibus ad saniora reduceretur consilia. Verum Rex, postquam eos dudum inani spe detentos durius, nec sine gravi contemptu habuisset, tandem tale dedit responsum, quod auctoritatis sacræ Sedis vilipensionem, majoremque adhuc Martini V. despicatum aperte testabatur. Quapropter Prælati ineunte Mense Junio re infecta ad Legatum redire compellebantur. Vix dicesserant, & ecce! mox promulgatur edictum, quo Alphonsus cunctis regni sui Præsulibus sub pœna proscriptionis omnium bonorum prohibet, ne quascunque Bullas Roma missas reciperent, nec ullum commercium cum Cardinale Fuxiensi haberent, cui idipsum quoque edictum exhiberi præcepit. Hic autem interposita adversus illud provocatione, quantocius Pontificem de tota rei serie certiorem fecit. Martinus haud ultra connivendum ratus, die decima quinta Julii contra Alphonsum tanquam schismatis fautorem solemniter excommunicationis sententiam fulminavit, omnesque ejus terras interdicto subjecit.

Sæcul. XV. A.C. 1426.

§. XIII.

Sæcul. XV. A C. 1426.

§. XIII.

Insula Cyprus ab Ægypti Sultano invasa, & vastata.

Pogg. l. 5. Blond. 3. Dec. 2.

Currente hoc anno Ægypti seu Babyloniæ Sultanus Insulam Cyprum infestis armis invadens, misere devastavit. Juvenis hic Princeps, quem non modo generosa animi indoles, sed ingens quoque vindictæ cupido ob ereptam sibi a Petro Cyprorum Rege Alexandriam stimulaverat, valida classe, ac fortissimo milite cinctus, pluribus præliis prospero Marte initis Cyprios profligavit. In postremo certamine ipsum Regem Joannem cepit, Henricum ejus fratrem Galileæ Principem trucidavit, & Nicosiam, ceteraque omnia loca occupavit, sola Famaaugusta excepta, quæ Genuensium præsidio munita erat; reliquam vero, totamque Provinciam immani crudelitate vexavit. Rex Joannes libertatem suam ducentorum millium aureorum lytro, atque annuo quinque millium tributo redimere coactus est, ex quo reliquos vitæ suæ annos in Regno suo tranquille transegit. Monstreletus ternam hujus Sultani in Cyprum exscensionem recenset, primam Anno quadringentesimo vigesimo tertio supra millesimum; alteram Anno salutis millesimo quadringentesimo vigesimo quinto; Tertiam denique sub annum a Christo millesimum

Monstrelet. l. 2. c. 14. 30. 36.

mum quadringenteſimum vigeſimum ſextum. In hac ultima Princeps Galileæ occiſus, Rex captus, & dein Cairum ad Sultanum deductus eſt. Dux vero Burgundiæ fratrem ſuum ſpurium Regi in auxilium miſit, cumque is durante Regis Cyprii captivitate navale prælium commiſiſſet, Barbari tanto terrore concutiebantur, ut captivum Regem ſeſe interfecturos comminarentur, niſi Chriſtiana claſſis ſine mora portum repeteret; quod & factum eſt. Sæcul. XV. A.C.1426.

Æneas Sylvius poſtremam Sultani expeditionem non memorat, recenſet tamen navem quamdam Venetam Hieroſolymis redeuntem ad Cypri portum appuliſſe, ſexque alias Catalaniæ naves, quæ paulo poſt ſubſequebantur, Sultani claſſem exiguo milite, ceteris deprædandæ Inſulæ intentis, inſtructam animadvertiſſe, ideoque Catalanos Venetorum Navarcho auctores fuiſſe, ut depoſitis ſignis, ac velis ſub tenebrarum auſpiciis Ægyptiorum claſſem aggrederetur. Albeſcente autem luce infideles, Venetam navem non niſi ſolam, ac navalibus vexillis deſtitutam comperiſſe, eaque vi occupata ſimul tres peregrinantes comprehendiſſe, atque ad abnegandam Chriſti fidem irrito conatu ſollicitatos lapidibus oppreſſiſſe, mulieribus Alexandriam abductis, has vero paulo *Æn. Sylv. in Aſia c. 97. & Comm. lib. 7.*

Sæcul. XV. A.C. 1426.

paulo post a quibusdam Mercatoribus Venetis oblato pretio fuisse redemptas.

§. XIV.

Cardinalium electio.

Ciacon. de Rom. Pontif. Hist. Eccles. Burgdeg.

Hoc anno Pontifex quatuordecim creavit Cardinales, quos inter Hugo Lusignanus Regis Cypri Filius, cujus supra meminimus, antea electus Nicosiensis Archiepiscopus, numerabatur.

Invenimus in Chronico cujusdam Auctoris, quem Spondanus ad hunc annum Numero V. allegat, Ægyptii Sultani epistolam ad Pontificem hunc in modum scriptam: *Non mireris, si te verbis salutationis non exquirimus, cum te habeamus capitalem hostem, & hostis hosti non debet orare salutem. Datum Baruch in mense Casleu.* Aliam, quæ adhuc magis barbaram sapiebat ferociam ab eodem ad Principes Christianos exaratam Monstreletus refert, qua omnino Sultanus eos ad se accedere, fidemque deferere jubet. Verum literas hasce confictas, & non nisi immaturi cujusdam ingenii partum ex joco duntaxat prolatum merito conjicimus. Certius illud est, quod Sultanus iste paulo ante Christianis prohibitam sacri sepulchri visitationem ob lucrum sibi inde proveniens mox revocaverit; quo facto Ludovicus Comes Palatinus Rheni,

&

& Dux Bavariæ hoc ipso anno peregrinationem ad terram sanctam suscepit, inde vero cæcus & claudus rediit ob graves infirmitates, ac labores in itinere exantlatos. Sæcul. XV. A.C. 1426.

§. XV.

Cardinalis tit. S. Crucis Legatus ad pacem stabiliendam missus.

Nicolaus Albergatus Carthusianus, Bononiæ patriæ suæ Episcopus nuper, licet invitus Cardinalis tit. S. Crucis in Jerusalem creabatur, nunc vero tanquam Legatus decernebatur, ut concordiam inter Philippum Mediolani Ducem, & Venetos, Florentinos, aliosque Italiæ Principes conciliaret. Negotium hoc sibi demandatum eo deducebat, ut pax concluſa fuerit, sub conditionibus Philippo quidem onerosis, quibus tamen ille ex Legati consilio consensit, veritus, ne totius forte Principatus sui possessione dejiceretur; denique ea quoque Pontifici sententia insedit, satius esse quacunque demum conditione præsentibus malis consulere, certamque tranquillitatem incertæ victoriæ præponere. Quibus ille persuasus paci ac pactionibus Mense Decembri hujus anni firmatis die prima Januarii Anno subsequenti subscripsit; has tamen conditiones Philippus, utpote ani- *Ciacon. ibid.*

Sæcul. XV. A. C. 1426.

mi inconstantis, ac levis ingenii Princeps brevi rescidit. Quare gravius, quam antea bellum exarsit, quod duos ferme annos tenuit, donec tandem ab eodem Legato pax renovata fuerit, & Fœderati Italiæ Principes cum Duce in gratiam redierint, quæ concordia usque ad illius obitum, nempe usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum quadragesimum septimum continuo floruit.

§. XVI.

Dissidia inter Burgundiæ, & Glocestriæ Duces.

Joan. Charti hist. Carol. VII.

Intestinæ Gallorum turbæ Caroli VII res penitus pessundare videbantur, nec tamen benignior fortuna Anglis adspirabat; nam horum conatus haud parum deferveſcebant; cum enim ob Jacobinam Hannoniæ Principem, & Brabantiæ Ducem legitimum ejus conjugem dissidia flagarent inter Burgundiæ & Glocestriæ Duces, ambo hi Principes suborta animorum dissensione suas quoque divisérunt copias, quæ tamen, si conjunctæ, ac Bedfordiensi milite auctæ fuissent, procul dubio extremum Galliæ intulissent excidium. Interim Jacobina Viri sui Brabantiæ Ducis pertæsa, & conjugium suum cum illo non validum esse caussata, eum dotalium suarum Provinciarum jure exue-

exuere meditabatur. Hujus quoque fœminæ consiliis Gloceſtriæ Dux, quocum novas iniit nuptias, pro viribus ſuffragatus eſt. Equidem Bedfordiæ Dux malorum, quæ utriusque Ducis diſcordia rebus ſuis allatura eſſet, præſcius nil intentatum reliquit, ut eos rurſum conciliaret; Aſt irrito conatu; nam Gloceſtriæ Dux ad pacem ſurdas prorſus aures præbuit, atque omni virium contentione exiſtimatæ conjugis ſuæ jura perſequi decrevit. Inde ambo literis adeo acerbis, atque aculeatis ſe viciſſim petebant, ut tandem ad certamen ſingulare die ac loco condicto ſeſe provocarent; pugnam tamen prohibuit Bedfordiæ Ducis ſolertia, qui ut fratris ſui facinus ſibi minime probari, Burgundiæ Duci oſtenderet, eum ad colloquium Durlendani ineundum invitavit; Annuit Burgundus, hanc in rem indicta S. Petri vigilia. Interea tamen ambo iſti æmuli in Hollandia adhuc per biennium maximo furore bellum protrahebant, donec Jacobinæ matrimonio, quod cum Gloceſtrienſi Duce contraxerat, per Papæ ſententiam diſſoluto, ille juri ſuo renuncians aliam ſibi uxorem duxiſſet. Sæcul. XV. A. C. 1426.

§. XVII.

Pont-Urſo a Conneſtabili cincta, & capta.

Pont-Urſo civitas eſt in confinibus Nor-

Sæcul. XV. A. C. 1426.

manniæ ad Arbincam sita: Hanc Angli, ut inde in Britanniam facile prædabundi excurrere possent, ceperunt, ac munimentis firmarunt. Quapropter Conneſtabilis eam obsidere cogitat, brevique temporis intervallo expugnat. Idem vero infausto Marte pugnavit apud oppidum S. Jacobi de Beveron, pariter ab Anglis restauratum; ibi enim, cum Milites sui ob stipendia haud amplius soluta, signa desererent, turpiter terga vertere coactus est, impedimentis, tormentisque omnibus exutus.

§. XVIII.

Fœdus cum Gallis a Conneſtabili reſciſſum.

Post hæc Angli, Pont-Ursone denuo subacta, sub Duce Bedfordiensi fines Britanniæ tanta copiarum vi ac numero inundarunt, ut Conneſtabilis viribus suis diffisus, abdicato Gallorum fœdere, cum Anglis pacem iniret, fidem suam, obsequiumque deinceps Henrico VI. Regi deferens. Cum autem ante discessum suum comperisset, Gyacum castrensis ærarii Præfectum pecunias, quas sibi mittere debuisset, in proprios usus convertisse, eundem per milites suos Issolduni in lecto jacentem comprehendi, atque instructo criminali judicio capite truncari jussit.

§. XIX.

§. XIX.

Sæcul. XV. A. C. 1426.

Huſſitis ſectæ ſuæ libertas usque ad Baſileenſe Concilium a Cæſare promiſſa.

In Bohemia Huſſitis, mortuo Ziſcha, in duas factiones ſciſſis, Imperator, ut aliquam eorum partem ſibi conciliaret, primo civium Ordinem ſollicitat. Jubet ergo ex iis inquiri cauſſam, cur Cæſari adverſarentur? ad quod cum illi reſponderent, hoc fieri ex eo, quod Sigismundus non ſemel oſtendiſſet, ſe ſectæ eorum hoſtem eſſe, His repoſuit, pace mea, utamini interea religionis veſtræ libertate, dummodo vos Baſileenſis Concilii Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo celebrandi judicio ſubmittere velitis * Toto capite annuunt cives, *Bonfin. 3. dec. 3.*

* Immerito Bonfinius datæ hujusmodi libertatis auctorem inſimulat Sigismundum. Rem narrat Ænæas Sylvius Hiſt. Bohem. cap. 47. *Egreſſus ad eos* (Bohemorum Proceres) *Sigismundus locutus eſt: ſi qua eſſent, quæ Provincialium mentes a ſe alienarent, ea ablaturum, illi ſe armis ab eo ſine cauſſa impetitos dixerunt: Reſponſum a Sigismundo benigne datum ad objecta, oblatumque generale Concilium, in quo ſuam innocentiam Bohemi oſtendere poſſent,*

Sæcul. XV. A. C. 1427.

ves, Huſſitis tamen militibus omnino repugnantibus.

§. XX.

Henricus Cardinalis Legatus in Bohemiam miſſus.

Æn. Sylv. Hiſt. Boh. c. 44. & 48.

Pontifex animadvertens, quod Huſſitæ cunctis legationibus, ſacrisque militiis eo acrius exacerbarentur, & non modo Bohemiam, ſed alias quoque Germaniæ Provincias inhumana rabie, ac incredibili furore cædibus ac damnis funeſtare pergerent, conſilium cepit, Henricum

ſi ſe univerſalis Eccleſiæ judicio ſubmittere vellent. Hæccine ſonant: *Liberum Religionis exercitium ſpondere, concedere* &c. legimus quidem in nonnullis Auctoribus Sigismundum Taboritis, quorum pauci poſt repetitas clades ſupererant, permiſiſſe, *ut quinquennio ſuis moribus* (quoad uſum calicis) *viverent*, non autem ut libere Sectam ſuam quoad cæteros errores exercere valeant, hinc *cum horum nefandas conſuetudines accepiſſet Sigismundus, quibus circa Sacra uterentur, quinquennium haud quaquam ſe expectaturum dixit.* Vid. Natal. Alex. Hiſt. Eccleſ. Sæcul. XV. cap. 10. art. 1. n. 3. *Liquet*, inquit Ænæas loc. cit. cap. 52. *Imperatorem, quæ fœdera cum hæreticis percuſſit, neceſſitate magis, admiſiſſe, quam voluntate.*

cum Episcopum Wintonienſem in Anglia, Joannis Lancaſtriæ Ducis Filium, quem anno ſuperiori Cardinalem tit. S. Euſebii creaverat, in Bohemiam Legatum mittendi, ut hæreticos armorum vi compeſcere conaretur. Sæcul. XV. A. C. 1427.

Dabat Pontifex hujus Legationis diploma die decima octava Martii currentis anni, ipſum vero Cardinalem plena inſtruxit auctoritate, qua Wiclefiſtas tam ſpirituali, quam temporali gladio reprimere valeret, inſuper plurimas conceſſit indulgentias iis omnibus, qui ſacræ expeditioni nomen darent, cum eadem extenſione, quæ alias cruciferis Terræ ſanctæ militibus erogari ſolent.

§. XXI.

Angliæ Adminiſtrator Legationis diplomati obluctatus.

Poſtquam Breve Pontificium in Angliam delatum fuit, Gloceſtriæ Dux Regni Adminiſtrator illud promulgari prohibuit, cauſſatus, regiæ auctoritati vim inferri, eoquod Henricus Cardinalis, non ſalutato Rege, legationis ſuæ munia obire præſumeret; hinc tam a Legato, quam a Pontifice ad generale appellabat Concilium, declarans, libentiſſime Henrico colloquii copiam eſſe impertiendam, ſi forte ut Cardinalis, quæ nomine Pontificis *Addit ad Ciacon. in Martin. V.*

Sæcul. XV. A. C. 1427.

proponeret, haberet, semper tamen salvis juribus ac coronæ privilegiis.

§. XXII.

Legatus cum exercitu ex Anglia profectus.

Harpsfeld c. 20.

Ferunt, hanc occasionem sibi oblatam non sine gaudio a Gloceſtriæ Duce arreptam fuisse; sperabat enim, se non modo privato, quo in Cardinalem Henricum ferebatur, odio satisfacturum, sed etiam de Pontifice ultionem sumpturum, eoquod ille matrimonium dissolvisset, quod cum Jacobina Hannoniæ Comitissa contraxerat, ex quo tamen ingentia sibi bona præsagiebat. Ut ut res se habeat, id certum est, Cardinalem Duci repoſuisse: Nunquam mihi in mentem venisset absque Regis assensu legatione in Anglia defungi, minus vero juribus, privilegiis, immunitatibus, ac patriis Regni moribus quovis pacto derogare, sed potius eos pro viribus tueri ac conservare intentus sum. Responsum Cardinalis probavit Administrator, eique copiam fecit conscribendi milites, quos in Bohemiam duceret. Referunt Scriptorum nonnulli, hanc facultatem Legato ea lege datam, ut suas copias primo in Gallias transferret, ibique moram traheret, donec Administrator Bedfordiæ Duci subsidiarios milites, quos

quos pro Anglorum exercitu petebat, mittere posset. Addunt quoque, Legatum, postquam huic petito annuisset, maritimo itinere cum suis confecto in Galliis appulisse, præcipiti tamen per Franciam transitu; demum suas copias Catholicis in Bohemia conjungere festinasse. Sæcul. XV. A. C. 1427.

§. XXIII.

Dubium de adventu Legati cum suis copiis in Franciam.

Verum hac de re apud Scriptores magis fide dignos altum silentium, quinimo uno ore affirmant omnes, Cardinalem recto tramite Bohemiam petiisse, eamque cum triplici exercitu ingressum, quorum primus ex Saxonia, & civitatibus, ut vocant, Hanseaticis, alter ex Franconia, tertius denique ex Rhenano, Suevico, & Bavarico Imperii circulis collectus fuerat. Ergo tam selectæ, tamque numerosæ copiæ simul junctæ ante Messenam, quam obsederant, castra ponunt; sed cum Hussitas contracto raptim milite in eas irruere nunciaretur, Catholici tormenta, omnemque bellicum apparatum hostibus in prædam relinquunt, turpique fuga dilabuntur, quod anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimo octavo contigisse ferunt. Certum equidem est, & veteres Gallicorum Annalium Scriptores *Monstrelet 2. vol. Polyd. l. 23.*

Sæcul. XV. A. C. 1427.

testantur, Legatum cum suo exercitu in Franciam venisse, cum vero hoc factum ad Annum Domini millesimum quadringentesimum vigesimum nonum, nempe ad Aurelianensis Puellæ tempora referant, ex hoc concludere licet, hunc exercitum jam fusum fugatumque e Bohemia per Gallias in Angliam remeasse, inde vero in Franciam, quo venire jubebatur, secunda vice reversum.

§. XXIV.

Fuxiensis Cardinalis in Arragonia Legatus.

Acta Legat. Card. Fux. apud Bzov. an. 1427.

Tandem Cardinalis de Fuxo Legatus in Arragoniam ad Alphonsum Regem missus, postquam per duos & amplius annos incassum laboraverat, optati Legationis suæ successus spem concipere videbatur; quippe Rex veritus, ne totius Christiani orbis invidiam sibi accerseret, si solus schisma, quod omnes imo & subditorum suorum plerique abominabantur, fovere redargueretur, hinc eo gratiora, quo minus expectata fovebat consilia; cum enim hucusque insuperhabitis, utut summis Legati precibus, colloquii gratiam eidem constanter denegasset, jam ipsus Cardinalem, qui adhuc apud suum fratrem Comitem de Fuxo agebat, misso Oratore rogabat, ut Valentiam veniret, ac de negotio

tio sibi commisso secum conferret. Tam improvisa, tamque honorifica Regis invitatio suspensum tenebat Cardinalem, qui lætitia plenus itineri sese accinxit, magno Prælatorum, ac Procerum numero eum comitante. Sæcul. XV. A. C. 1427.

§. XXV.

Legatus summa pompa ab Alphonso exceptus.

Die vigesima tertia Mensis Augusti in vigilia D. Bartholomæi Legatus Cardinalis Valentiam pervenit, tanta pompa exceptus, ut ipse Rex ante urbis portam eidem obviam procederet, atque in progressu viæ ad contestandam, qua in Legatum ferretur, reverentiam atque obsequium eidem, quamvis renuenti, dextrum latus cederet, ipse vero siniſtrum teneret, nec prius caput suum tegeret, quam Legatus rubrum pileum sibi imposuisset. Attamen Legato negotium quoddam intempestive perurgente, brevi pristinus Alphonso rediit animus, parumque abfuit, quin concepta concordiæ spes penitus evanesceret.

§. XXVI.

Alphonsi & Legati dissensio.

Legatus enim, altero ingressus sui die ad Ecclesiarum, suique Palatii valvas publi-

Sæcul. XV. A. C. 1427.

publicum edictum affigi jussit, quo Auditores, ceterosque caussarum Ecclesiasticarum Judices, quos secum Roma adduxerat, biduo post in publico consessu jus litigantibus dicturos pronunciabat. Alphonsus utpote auctoritatis suæ tenacissimus, hoc Cardinalis facto juribus suis derogatum iri arbitrabatur; hinc existimatæ hujus usurpationis impatiens, insonantibus tubis edictum vulgavit, quo omnibus subditis suis sub gravissimis pœnis prohibuit, ne coram quocunque Martini Pontificis Judice sive delegato sive subdelegato, nec coram ejusdem Legato ullam caussam vel actionem moverent, vel eisdem quovis pacto morem gererent.

§. XXVII.

Arragoniæ Rex a Legato placatus.

Bzov. ib.

Cardinalis errorem, quem tardius licet, agnoscebat, feliciter prudentia sua emendavit. Dissimulabat quippe nonnihil animi offensionem, ac primo Regis fervori cedebat, quo abs dubio oppressus fuisset, si se opponere voluisset. Hac moderatione Regis animum aliunde quavis submissione facile flectendum adeo prospere placavit, ut post repetita colloquia Alphonsus decerneret, Legatus pacis conditiones ultro citroque proponendas Romam

mam deferret, eo autem redeunte concordia firmaretur. Sæcul. XV. A. C. 1427.

§. XXVIII.

Regis ac Cardinalis Postulata.

Præprimis Legatus petiit: *Rex det operam efficacem, ut Ægidius Munio & alii cum eo intrusi* (Cardinales) *ad gremium S. R. E. & ad Obedientiam SS. D. N. Papæ Martini revertantur: si recusent, Rex eos in manibus seu potestate Papæ seu ejus Legati reponat.* II. *Omnia edicta Regis contra Papam, ejusque ac Sedis Apostolicæ Legatos solemniter revocentur.* III. *Permittat Sedis Apostolicæ collectores jura Cameræ Apostolicæ libere ac pacifice recipere.* IV. *Ecclesiam Romanam & omnes alias Ecclesias in terris suis earum privilegiis, aliisque juribus, libere uti, & gaudere permittat.* V. *Omnes & singulos Prælatos, aliasque Ecclesiasticas Personas de ejus mandato dignitatibus, seu bonis suis spoliatas, in eorum plena libertate ac possessione reducat.* VI. *A vexatione Regni Apuliæ omnino desistat, quod si forsan jus aliquod in Regno prædicto prætendat, sanctitas sua parata sit per Personas neutri parti suspectas justitiam facere administrari.* Cunctis hisce postulatis assensum præstitit Alphonsus, si modo quintum excipias, non enim, quos Regno expulisset, revocare voluit, sextum quoque ambiguo

Marian. l. 21. c. 1. & 2.

Sæcul. XV. A. C. 1427.

biguo hoc responso elusit dicens: Regni Neapolitani cessionem opus esse altioris longe indaginis.

Rex vero sequentes proposuit conditiones, I. *Corpus Divi Ludovici Episcopi Tolosani, Massilia ablatum sibi retinere liceat.* II. *Omnia jura Cameræ Apostolicæ, vacantiæ Ecclesiarum & tam de præterito quam usque ad diem finiendæ concordiæ remittantur, & condonentur.* III. *Remittantur census debiti usque ad dictam diem pro insulis Siciliæ, & Sardiniæ, & Corsicæ, ac deinceps ad vitam ipsius Regis, nisi, quod singulis quinquenniis teneretur dare Pontifici unum pallium panni aurei pro recognitione dictorum feudorum.* IV. *Solvantur centum quinquaginta millia florenorum in compensationem expensarum & laborum pro Ecclesia toleratorum.* V. *Transferatur ordo B. Mariæ de Montesia ex regno Valentiæ in insulam Siciliæ, ubi Rex alios reditus ei assignaret, vel concederet castrum Paniscolæ, quod per Benedictum Lunensem fuerat Ecclesiæ Romanæ contributum.* VI. *Provisio Ecclesiarum & Abbatiarum vacantium usque ad diem finiendæ concordiæ, facienda sit ad voluntatem Regis.* VII. *Promotio ad Cardinalatum duarum Personarum ex sex per Regem nominandis fiat.* VIII. *Denique concedatur remissio omnium injuriarum, damnorum & expensarum Papæ & Sedi Apostolicæ illatarum, unacum absolutione a quacunque*

que

que cenſura, proin a Regeſtis Pontificiis omnes ſententiæ in Regem tanquam ex falſis ſuggeſtionibus per ſubreptionem latæ aboleantur. Sæcul. XV. A. C. 1428.

§. XXIX.

Poſtulata Regis a Legato Romam perlata.

Super his omnibus articulis die vigeſima quinta Octobris in eadem urbe Valentina confectæ ſunt publicæ literæ, quibus acceptis Legatus continuo ad Papam reverſus eſt, paratis hunc in finem a Rege duabus triremibus.

§. XXX.

Legatus Romam adveniens.

Nihilominus Cardinalis Legatus nonniſi octava Januarii Anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo Romam pervenit, poſtquam horrenda tempeſtas repetitam Præſuli intentaſſet mortem, ac quondam ipſo Antipapa Paniſcolæ e feneſtra quadam proſpiciente adeo jactatus fuiſſet, ut nihil propius eſſet, quam ut fluctibus maris abſorberetur. Cum autem ampliſſimam quoque Romanorum urbem tum temporis peſtilentia devaſtaret, hinc abſente Sacro Cardinalium collegio raræ admodum Congrega- *Act. Legat. Card. Fux. apud Ezov. an. 1428.*

Sæcul. XV. A.C.1428.

gregationes habebantur; quapropter Regiarum propositionum discussio per integrum ferme annum protelata est.

§. XXXI.

Regis articuli ferme omnes a Papa approbati.

Enimvero Regis postulata Sacræ Sedi admodum noxia videbantur, nihilominus Martinus Papa, cum pacem Ecclesiæ, postpositis etiam quibuscunque commodis revocare percuperet, cunctos ferme articulos, adhibitis duntaxat quibusdam moderationibus, ratos habuit. Singulis Alphonsi petitionibus suum annexuit responsum, quorum quodlibet, cum sigillatim ad Regem mittendum esset, plurimos toto deliberationis tempore nuncios ultro citroque ablegare oportebat. Præprimis igitur cessum Alphonso Panisco læ castrum cum omnibus juribus suis; datum corpus D. Ludovici, ac remissa omnia, quæ ex Camera Apostolica perceperat; eodem quoque modo cetera Alphonso concedebantur. Nihilominus Rex nimia Pontificis facilitate abutebatur.

§. XXXII.

Bellum inter Mediolani Ducem & Venetos redintegratum.

Currente hoc anno, cum & hyemis aspe-

aſperitas remiſſior, & ſiccitas æſtatis maxima eſſet, peſtilentiæ rabies magnam Italiæ partem miſere devaſtabat. Nihilominus tamen pax Mediolanenſem Ducem inter & Venetos, Florentinos, eorumque fœderatos ſancte firmata violabatur, belli fomitem rurſum ſubjiciente Florentinorum levitate, ac inconſtantia, necnon eorumdem inſatiabili cupiditate, qua fines ſuos in Lucenſis urbis detrimentum, quam tunc Paulus Guineſius tenebat, extendere anhelabant. Præterea hoſtilia molientibus calcar addiderat Nicolaus Braccius celebris illius, cujus ſupra meminimus, Bracii Nepos. Equidem ſummus Pontifex, & plures alii ſanioris conſilii Viri Florentinos ab hoc propoſito dehortari nitebantur; Aſt incaſſum omnia; unde per complures annos hoc bellum exarſit.

Sæcul. XV. A. C. 1428.

Pogg. l. 6. Antonin. tit. 2. c. 9. Blond. 3. dec. 4.

§. XXXIII.

Bononienſes a Papa bello invaſi, eorumque urbs interdicto ſubjecta.

Poſteaquam Bononienſes Pontificis imperium excuſſerant, Martinus V. arma contra eos movit, urbemque interdicto mulctavit, cujus Bullam, cum nemo Bononienſibus deferre auderet, Conradinus ex Ordine FF. Prædicatorum id officii ſe ſuſcepturum ultro Pontifici promiſit, atque ut interdicti ſententia omnibus

Land. de Viris illuſtr. Ord. Præd. l. 5.

Sæcul. XV. A. C. 1428.

innoteſceret, ejus Bullam in Bononienſi foro promulgare, haſtæque palam infigere auſus eſt. Prehenditur Monachus; ſed ingens ſanguinem ſuum pro Eccleſia Dei fundendi deſiderium, quo ſe flagrare dicebat, necnon eminens ejus ſanctitas tantum valuit, ut Magiſtratus mox illum e cuſtodia dimiſſum libertati reſtitueret. Nec tamen propterea retineri potuit, quin libere, Pontifici obtemperandum eſſe, prædicaret.

§. XXXIV.

Bulla pro Eccleſiaſticis non trahendis ad forum ſæculare.

Bullar. tom. I. in Martin. V. Conſt. 10.

Die prima Februarii Martinus Bullam edidit, qua prohibet, ne judices, Officiales laici, aliæque perſonæ ſæculares jurisdictionem exerceant in Clericos, nec cognoſcant, judicent, aut ſententias ullas pronuntient contra Eccleſiaſticos in rebus ad Eccleſias, vel earum perſonas ſpectantibus, lata in contravenientes excommunicationis ſententia. Item inhibet, ne Epiſcopi, Prælati, aliique Superiores conveniant coram Judice laico Eccleſiaſticos in cauſſa ſpirituali. Tandem Curiæ Apoſtolicæ Procuratori Fiſcali præcipit, ut vel per ſe, vel per ſuos hujus Bullæ executionem urgeret.

§. XXXV.

§. XXXV.

Sæcul. XV. A. C. 1428.

Henrici de Haſſia, & Thomæ Walſingani obitus.

Refertur ad hunc annum mors Henrici de Haſſia, alias de Langenſtein, Carthuſiani, & in Pariſienſi Facultate Theologiæ Licentiati, necnon Thomæ de Walſingan Angli, Monachi ad S. Albanum. Trithemius Henrico adſcribit commentarios in libros ſententiarum, & in Geneſin; tractatum de Antichriſto & ſchiſmate; necnon opuſcula contra Wicleffiſtas; tractatum de horis Canonicis, præter plures alios. Dupinus eundem quoque ſcripſiſſe tradit tractatum de Conceptione immaculatæ Virginis, quo D. Bernardum contra Fratrum Minorum diſputationes tuetur. Nec tamen confundi debet cum alio quodam Henrico de Haſſia itidem Carthuſiano, qui eodem quoque anno mortuus, Præpoſitus erat Monaſterii S. Mariæ in Geldria. Eidem etiam attribuitur Commentarius in Magiſtrum Sententiarum, in Geneſin, Exodum, Parabolas Salomonis, & Apocalypſin. *Dupin. Bibl. 12. p. 87.*

Thomas Walſinganus ad poſteros transmiſit duplicem rerum Anglicarum hiſtoriam: Prima, quæ magis ſuccincta eſt, ab anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio usque ad annum Salutis milleſimum quadringenteſimum *Idem p. 88.*

Sæcul. XV. A. C. 1428.

vigesimum secundum protrahitur; altera vero, eaque prolixior, orditur ab Anglia a Normannis capta, seu ab Anno Salvatoris nostri millesimo sexagesimo sexto usque ad sextum Henrici V. annum, scilicet millesimum quadringentesimum decimum septimum. Idem quoque continuavit Polychronicon Radulphi de Higden.

§. XXXVI.

Montargium obsidione liberatum, & Cenomanum a Gallis captum.

Jean Chartier hist. de Charles VII.

Hoc anno Gallia plurimis obsidionibus, præliis, & tam domesticis, quam exteris turbis undique divexata alte ingemiscebat, quæ omnia articulatim impræsentiarum recensere non vacat, spectata Instituti nostri ratione; gesta enim, quæ Historiæ Ecclesiasticæ nullatenus connexa videntur, præterire statuimus. Paucis dixisse sufficiat, eo tempore nec urbem, nec pagum inveniri potuisse, qui suo non muniretur præsidio; quippe nil nisi propugnacula, & arces jam eminentibus collibus superimpositæ, jam ad flumina, & transitus, inque apertis castris exstructæ quaquaversum conspiciebantur. Omnes Nobiles suos quisque conducebant milites, seu ut verius dicam, scurrarum, & prædonum colligebant agmina, quæ tamen nonnisi civium ære ali debebant.

Ne

Ne vero præcipuos bellici furoris eventus omnino intactos relinquamus, inter celebriora poſtremis hiſce duobus annis edita belligerantium ſpecimina recenſeri merentur Montargium ab obſidione Anglorum liberatum, & Cenomanum a Gallis captum, quod olim Angli occaſione diſſenſionum, quibus Francia ſcindebatur, expugnarunt. Parta hac victoria Caroli VII. rebus benignior fortuna adſpirare videbatur. Sæcul. XV. A. C. 1428.

§. XXXVII.

Aurelia ab Anglis obſeſſa.

Verum longe gravioribus curis Franciam occupabat Aureliæ obſidio. Comes enim Saresberienſis accitis ex Anglia militum ſupplementis, & conſtructis, qua parte Belſiam, Soloniamque ſpectant, pluribus propugnaculis, Aureliam die duodecima Octobris Anno ſalutis quadringenteſimo vigeſimo octavo ſupra milleſimum obſidione cinxit; prius vero non modo Belſiam; ſed cetera quoque expugnavit propugnacula, quæ extenſione ſua duodecim aut ferme quindecim leucarum ſpacium emetiuntur, ac ſecus Ligerim jacent. Interea dum hæc Aureliæ aguntur, Burgundiæ Dux Belgico adverſus Jacobinam Bavaram bello occupabatur, quod etiam adeo proſpero Marte *Daniel. hiſt. Carol. VII.*

Sæcul. XV. A. C. 1428.

geſſit, ut illa Gandavi arcte cincta atque incluſa Burgundum omnium ſuarum ditionum hæredem ſcribere compelleretur, quo impetrato Dux Hollandiam, Seelandiam, & Friſiam Comitatibus Flandriæ & Artheſiæ adjunxit; cumque Theodoricus Comes Namurcenſem, & Zytphanienſem Comitatus, reſervato ſibi ad dies vitæ uſufructu vendidiſſet, eo mortuo, paulo poſt eodem adhuc anno has quoque ditiones acquiſivit. Præterea elapſo biennio eidem Duci obvenerant Ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi, nec non S. Imperii Marchionatus, & Dynaſtia Antwerpienſis; obiit enim duobus abhinc annis nimirum milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſexto Patruelis ejus, Philippus Burgundiæ Dux Antonii filius ſecundo genitus, qui Joanni fratri ſuo natu majori Jacobinæ Marito ſucceſſerat. Hiſce Provinciis auctus Burgundiæ Dux ineunte ſequenti anno Lutetiam Pariſiorum venit, Bedfordiæ Ducem inviſurus.

§. XXXVIII.

Cardinalis de Fuxo Roma in Hiſpaniam redux.

Mariana l. 21. c. 2.

Die vigeſima octava Januarii Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo Cardinalis de Fuxo Roma profectus eſt, in Hiſpaniam terreſtri itinere

nere reverſurus. Igitur tribus menſibus cum dimidio in via conſumptis, tandem die duodecima Maji Barcinonem pervenit, ubi eum Archiepiſcopus Patriarcha Hieroſolymitanus ſummis honoribus excepit, comitantibus illum pluribus aliis Prælatis, omnique Clero. Sæcul. XV. A. C. 1429.

§. XXXIX.

Alphonſi alloquium Legato denegatum.

Alphonſus ipſe etiam urbis mœnia egreſſus, Legato obviam proceſſit, unacum fratre ſuo Navarræ Rege, qui tum Barcinone agebat. Verum Alphonſus Rex, quamvis impenſe rogatus eſſet a Legato, ut de Legationis ſuæ negotio, pactisque antea initis ſecum ageret, nihil tamen decernere voluit, ſive pactionem penitus diſſolvendi animo, ſive demum a Pontifice ampliora adhuc extorquendi fiducia; id omnino exploratum habemus, quod Rex Legatum ad colloquium admittere indies diſtulerit, ſecumque de una in aliam civitatem pertraxerit, cauſſatus, ſe habere, quæ in variis urbibus pro futuro adverſus Caſtellæ Regem bello neceſſaria diſponeret; tandem vero proximo ante diſceſſum die Legato declaravit, ſe nunquam edicta, quæ contra Pontificis, & Legatorum jurisdictionem in ſuis Re-

Sæcul. XV. A. C. 1429.

gnis promulgaſſet, revocaturum, niſi prius Pontifex edita Bulla non modo excuſaret, ſed etiam rata haberet, quæcunque ipſe ſchiſmatis tempore egiſſet.

§. XL.

Ultimus Legati conatus ad frangendum Alphonſi animum.

Bzov. in act. Legat. Card. Fux. 1429.

Legatus ejusmodi propoſitionibus aquieſcere conſtanter recuſat, aſſerens, Regem quidem abſolutionem, quam peteret, nullo negotio obtenturum, ſed quod adhucdum ſchiſma foveret, illud enimvero nefas eſſe, nec id in ejus pactis contineri. Cum autem Rex poſtridie profecturus, huic ſuo propoſito immotus inſiſteret, & Legatus ex mandato Pontificis a conventionis tenore deſciſcere non poſſet, ita pax eo ex tempore violari, ſchisma vero novis incrementis redintegrari timebatur. Nihilominus die decima quinta Junii Legatus extrema adhuc tentare aggreditur, ſi vero Regem flectere haud valeret, regnum interdicto ſubjicere ſtatuit. Ergo altera die Regis Palatium adit, illucque pervenit ea ipſa hora, qua Alphonſus equum conſcenderat, iter pro exercitu ſuo in Caſtellæ finibus contrahendo aggreſſurus. Ubi vero Legatum ad ſe venientem conſpexit, ſubſtitit, ea, quæ ſibi proponeret, auſcultaturus.

§. XLI.

§. XLI.

Sæcul. XV. A. C. 1429.

Cuncta Legati poſtulata a Rege conceſſa.

Non minus gravi, quam ſubmiſſa oris facundia Legatus exponebat eas, quas toto Legationis ſuæ tempore exant-laſſet injurias, nec non patientiam, ſolertemque curam, qua Eccleſiæ bonum promovere ſtuduiſſet; Rex oratione hac commotus, Cardinalem interpellat, ejusque manu apprehenſa, in illo fervorem, & ſalutis Eccleſiæ, pacisque procurandæ ſtudium pluribus commendat; præterita, inquit, oblivioni tradas, ego enim pro parte mea exequar omnia, quæ promiſi, quæve tum Deus, tum Eccleſia, ac propria conſcientia a me expoſcit. Quibus dictis illico pactis ſubſcripſit. Poſt hæc ipſe, & frater ejus Navarræ Rex utrumque Legati latus ſtipantes, ad Eccleſiam proceſſerunt, Deoque gratias acturi, Hymnum Ambroſianum decantari juſſerunt; Eodemque tempore Alphonſus duos, quos a conſiliis habebat, deſignavit, qui ejus mandata Paniſcolam deferrent; quo facto, acceptaque Legati benedictione, ad exercitum ſuum contendit, quem Cardinalis brevi in Caſtellam ſecutus eſt, ut ibidem pacem, cujus fundamenta operoſe jecerat, feliciter perficeret.

Marian. & Bzov. ibid.

Sæcul. XV.
A. C. 1429.

§. XLII.

Papatus ab Ægidio Munione abdicatus.

Raynald. hoc ann. n. 2.

Altera post Regis discessum die edictorum abrogatio promulgatur, atque duo Consiliarii Regis Paniscolam ablegantur, cuncta ibidem ex Alphonsi, & Legati sententia composituri. Ægidius Munio, ubi ex illis comperisset, Regis voluntatem esse, ut libere ac sponte Papatum poneret, concepta inde ingenti lætitia palam ostendit, quod dignitas, quam invitus assumpsisset, nunquam ejus animum captivaverit; eam tamen nonnisi servatis de more solemnibus, rituque consueto exuere voluit; quod & die vigesima sexta Julii factum legimus. Itaque cum duos duntaxat Cardinales in suo collegio numeraret; quippe ceteros, cum novi schismatis conflati suspicio in eos cecidisset, carceri mancipaverat, novum Cardinalem creavit, Franciscum Roveram juris Canonici Doctorem, Virum morum probitate, ac doctrinæ fama præclarum. Hic omni, quo potuit, conatu promotioni suæ obluctatus, tandem aquievit, postquam Munio eidem declarasset, se nunquam Papatu cessurum, nisi Purpuram acceptaret Franciscus; hac enim via, inquiebat ille, sede per meam cessionem vacante, futuri Pontificis electio magis erit cano-

canonica, accedentibus ſalutaribus conſiliis, quæ neo-electus Cardinalis ſuis Confratribus ſuggerere poterit. Sæcul. XV. A.C. 1429.

Ergo urgentibus ipſis quoque Commiſſariis, Franciſcus invitus licet, rubrum galerum acceptavit, eumque Ægidius ſervatis omnibus, quæ in ejusmodi functionibus Romæ obſervantur, cæremoniis, Purpuratorum collegio adſcripſit. Poſtea tiara redimitus, ac Papalibus inſigniis ornatus, thronum conſcendit, lateri ejus adhærentibus tribus hiſce Cardinalibus, & utroque Alphonſi Conſiliario, quos velut regios Legatos venerabatur; inferiorem autem locum ceteri ejus Miniſtri occupabant. Antequam ad Papatus abdicationem perventum, omnes ſententias, atque excommunicationes a ſe, & Prædeceſſore ſuo Benedicto XIII. latas in omnes, qui ei obedire recuſabant, & nominatim adverſus Ottonem de Columna in ſua Obedientia Martinum V. nuncupatum, quem hucusque Antipapam & ſchiſmaticum habebat, revocavit, declaravitque, quod *motu proprio* cunctos, & præcipue Ottonem de Columna ad omnes dignitates atque officia Eccleſiaſtica, ſpeciatim ad Papatum idoneos efficiat.

Hanc declarationem excepit oratio de ſua ad Pontificatum electione habita, in qua adſtantes allocutus, non alio ex fine, inquit, Papatum acceptavi, quam ut

per

Sæcul. XV. A. C. 1429.

per meam proxime futuram cessionem certa ac firma Ecclesiæ unio sequatur; jam a primis inaugurationis meæ diebus Papatum deponere cogitavi, si hac via schisma extinguendi liberam habuissem facultatem; nunc vero palam profiteor, viam cessionis esse securissimam, magisque expeditam ad consequendam Ecclesiæ unionem sub uno solo & indubitato summo Pontifice. Plena insuper me libertate uti testor, ac tam lingua, quam calamo declaro, quod nonnisi gloriæ divinæ, pacisque Ecclesiasticæ amore ductus, sincera mente Papatum exuam, ut Cardinales, sede jam vacante, libere & Canonice ad novam electionem progredi possint. Postmodum de solio descendens, suæ cessionis debito ritu factæ Bullam Commissariis Regis Arragoniæ consignavit, qui eam Cardinali Legato deferrent. Quibus peractis in cubiculum secessit, & depositis vestibus Pontificiis in atrium reversus est, simplici Presbyteri, ac Doctoris habitu indutus, proximum a Cardinalibus occupans locum, quos, ut Ecclesiæ bonum Pastorem præficerent, hortatus est.

Hi autem eodem tempore assurgentes, quemdam Simonem Despresium, qui Sacræ Romanæ Ecclesiæ Thesaurarius dicebatur, rogarunt, ut eis locum pro conclavi assignaret. Simon comitantibus

bus reliquis officialibus illos in cubile hunc in finem jam antea paratum deduxit; quod, ubi ingressi erant, fores occlusæ, & satellitio munitæ, ac reliqua omnia pro Electione Romani Pontificis consueta fuere observata; Eligunt tres Cardinales, totum, ut asseverabant, sacrum repræsentantes Collegium, protinus Ottonem de Columna, illumque sub nomine Martini V. Papam proclamant. Postea in Panisco-lensi Ecclesia solemnes Deo gratias persolvunt, Doctore Ægidio Munione, & tribus illis Cardinalibus supplicantium agmen claudentibus, quos ceteri omnes suis adhuc officiis conspicui debito ordine sequebantur. Sæcul. XV. A. C. 1429.

§. XLIII.

Finis schismatis.

Postquam Legatus ea, quæ gesta fuissent, percepit, in oppidum D. Matthæi tertio lapide a Panisco la dissitum se contulit, quem Ægidius Munio cum omnibus existimato ejus Papatui olim adhærentibus accessit, ac pro se suisque absolutionem ab omnibus censuris impetravit. Posthæc Legatus ambos etiam illos Cardinales, qui capti detinebantur, liberos dimisit, illi vero cum ceteris tribus suis Collegis Munionem comitantibus, aliisque pristinæ Benedicti XIII. ac Clemen- *Platin. in Mart. V. Marian. l. 20. in fin.*

Sæcul. XV. A.C.1429.

mentis VIII. Aulæ Miniſtris ſuas dignitates, atque officia depoſuerunt. Idem quoque a quibusdam in oppido D. Mathæi, ab aliis in arce Paniscolenſi per aliquot dies usque ad vigeſimam quartam Auguſti factum fuit, atque hac ſuper re publicum confectum eſt inſtrumentum. Ab hac itaque die certa epocha magni hujus ſchiſmatis tandem extincti ducenda eſt, quod ab undecimo Septembris die Anni milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi octavi, quo Clemens VIII. Fundis electus eſt, per unum & quinquaginta fere annos crudeliſſime Eccleſiam dilaceravit. Alphonſus Borgias, poſtmodum ſub Calixti III. nomine Pontifex creatus, Legato ad extinctionem hujus ſchiſmatis egregiam navavit operam; ut autem quadam ratione Pontifex Munioni abdicatæ ſuæ dignitatis memoriam obliteraret, eum Majoricenſi Epiſcopatu decoravit.

§. XLIV.

Synodus Dertuſana.

Labbe Conc. to.12. p.406.

Cardinalis de Fuxo Legationis ſuæ negotiis ex animi ſententia compoſitis, Dertuſæ, a qua Paniſcola dependebat, Synodum coegit. Advenerant cuncti Prælati, ac Clericorum præcipui ex Arragoniæ & Valentiæ regnis, necnon ex Catalaniæ Principatu. Primo quidem non-

nonniſi tres Epiſcopi aderant, nimirum Ilerdanus, Dertuſanus, ac Valentinus, ſed brevi alii quinque acceſſerant, cum quatuor Vicariis Generalibus; Aderant quoque plurimi Capitulorum Deputati, pluresque Abbates Ordinum S. Auguſtini, S.Benedicti, necnon Ciſtercienſium, Præmonſtratenſium, & duo Priores Ordinis B. V. Mariæ de Mercede, præter alios Conventuum Priores, Decanos, Præpoſitos, & Archidiaconos, quorum plusquam ducenti comparuerunt. Præprimis legebatur Bulla abdicationis Ægidii Munionis Legato tradita; poſtmodum in quatuor Seſſionibus quædam Conſtitutiones ac decreta de officio divino, ornatu Eccleſiarum, Juventutis informatione, & requiſitis Beneficiariorum dotibus recitata, aliaque plura ſtatuta condita fuere. Sæcul. XV. A. C. 1429.

§. XLV.

Seſſio prima.

Die decima nona Septembris habita eſt Seſſio prima, in qua Cardinalis de Fuxo legationis ſuæ cauſſas expoſuit, ſcilicet I. *Extinctionem ſchiſmatis, & Paniscolenſium reductionem*, II. *Regis Arragonici cum Papa reconciliationem.* III. *Libertatis Eccleſiaſticæ in illis partibus reparationem.* IV. *Eccleſiarum, totiusque ſtatus Eccleſia-* *Conc. Gen.* p. 416.

Sæcul. XV. A.C. 1429. *cleſiaſtici, earumque partium felicem reformationem,* quæ quatuor capita fuſiori ſermone proſecutus eſt.

§. XLVI.

Seſſio II.

Ibid. Seſſio ſecunda ad duodecimam Septembris indicta in proximam Sabbati diem, & ab hac in decimam ſeptimam ejusdem Menſis, quæ in feriam ſecundam incidebat, dilata eſt; eoquod Legatus febri correptus intereſſe haud poſſet. Hac autem die Cardinalis, quamvis viribus fractus, morboque preſſus, Seſſionem habuit, in qua plures ſelegit viros, tam doctrina, quam prudentia, rerumque experientia longe probatiſſimos, ut nonnullos articulos pro reformatione Cleri conderent, quibus tam morum diſciplina, quam politici Regiminis ordo perficeretur, & hæc fuit ſumma eorum, quæ in hac Seſſione geſta fuere.

§. XLVII.

Seſſio III.

Morbo Legati nihil remittente, Seſſio III. ad diem undecimam Octobris, quæ erat feria tertia, differebatur; cum vero adverſa valetudine præpeditus, nec hac die ad Cathedralem Eccleſiam, ubi primæ

primæ duæ Seſſiones celebratæ fuerant, Sæcul. XV.
accedere valeret, in Palatio Epiſcopali, A.C. 1429.
quod incolebat, Seſſio habita eſt. Igitur ſolemnibus de more peractis Legatus in hunc modum peroravit: Nullus ignorat, quæ integro legationis meæ biennio pro unione Eccleſiæ geſſerim, atque exantlaverim, quanto ſtudio, quantisve periculis Arragoniæ Regis animum tandem ad ſaniora reduxerim, quem ut ad extinquendum ſchiſma, quod tum ſolerter foverat, manum admoveret, inito pacto induxi, vigore cujus, ſi Paniscolenſes ad obſequium reduceret, centum quinquaginta millia florenorum, eidem pendi pollicitus ſum, cumque Alphonſus reapſe operi inſudaverit, ejusque ſtudio Paniscolenſes non modo ceſſerint, ſed etiam ad gremium Eccleſiæ, & Martini Papæ obedientiam redierint, nil aliud reliquum eſt, quam ut viciſſim promiſſa ſolvatur pecuniarum ſumma. Cum vero ob prægrandes expenſas, quas Papa in Bello contra Bohemos, aliasque plures expeditiones ferre compellebatur, illius ærarium exhauſtum ſit, ita ſpero, quod Prælati, & reliqua Synodi membra opibus ſuis in hunc finem liberaliter ſuccurrere non gravarentur. *Nam licet*, ut aſſeruit Legatus, *ipſus haberem Bullam a Papa in effectu continentem, quod pro dictis centum quinquaginta millibus florenorum poſſem ſuper Clero*

Sæcul. XV. A.C. 1429.

imponere ſubſidium, attamen confido de Prælatis & de eorum bona affectione, quod facerent ſponte ea, quæ compulſi facturi eſſent . . . Grates ab univerſo cœtu perſolutæ ſunt Legato, eoquod tanta comitate in eos uſus eſſet, petitumque, ut eis usque ad proximam ſeſſionem de facta propoſitione deliberandi ſpatium concederet.

Seſſionem hanc ſequenti Sabbato celebrare intendebant, ſed morbo Legati vehementius ingraveſcente, ad quintam Novembris differebant. Pridie ejus diei Patres ſexaginta millia florenorum obtulerunt, conteſtantes, integram, quam Legatus ab eis petiiſſet ſummam, vires ærarii ſui excedere, utpote quod bello, peſte, aliisque tam publicis, quam privatis calamitatibus exhauſtum eſſet. His ſubjungebant, ſe, ut Legato pro præſtitis ſalubriter obſequiis gratum exhiberent animum, ejusque incommoda, quæ ſuſtinuiſſet, ac ſumptus, quos in Legationis ſuæ munere feciſſet, quodammodo compenſarent, eidem viginti millia florenorum aureorum Arragonenſium dono mere gratuito daturos. Utrumque Legatus ratum acceptumque habuit.

§. XLVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1429.

§. XLVIII.

Quarta & ultima Sessio.

Die sequenti quinta Novembris habita est Sessio quarta ac ultima. Legebantur præprimis patentes literæ a Rege Arragoniæ impetratæ, in quibus conditiones pacti sui continebantur sequenti tenore: Volumus I. *Nec non juramus, quod dein non apponemus manus ad jura Cameræ Apostolicæ, neque edicta contra libertatem Ecclesiasticam faciemus, aut aliquid de bonis Ecclesiæ universalis, vel particularis recipiemus, vel recipi permittemus in terris & ditionibus nostris, nisi in casibus a jure communi, sive patriæ permissis.* Secunda & tertia regis Epistola universis Magistratibus suis, atque Officialibus *sub magnis ac formidabilibus pœnis inhibet crimen quodcunque Clericis falso imponere, illos indebite incarcerare, ac libertatem & immunitatem Ecclesiasticam infringere.* Quarta Rex eandem rem inhibet cunctis Baronibus suis. Quinta prohibet *Vicecancellario, & omnibus Consiliariis suis, ne processus contra invasores Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum debite inceptos quoquo modo impediant, seu perturbent.* Sexta perstringit *Clericos & Ecclesiasticos Viros, qui fraudulenter ad evitandum de commissis condignam punitionem, & ut maneant de suis*

Sæcul. XV. A.C. 1429.

criminibus impuniti, literas familiaritatis Regiæ obtinuerunt vel obtinebunt. Septima Rex *omnibus Baronibus, atque ſubditis ſuis præcipit, ut Eccleſiaſticis judicibus ad proceſſus ſuos contra uſurarios, & ad exequendas pias voluntates teſtantium, & ad viſitationes ſuas faciendas aſſiſtant, & auxilium præbeant.* Octava, *cunctis Gubernatoribus, & juſtitiis ſæcularibus regnorum ſuorum mandat, ne permittant quoscunque quæſtores uti officio quæſtorum, vel illud exercere, niſi ſecum deferant teſtimoniales literas Diœceſani Epiſcopi.* Quibus prælectis, alia viginti recitabantur decreta, ſeu articuli juſſu Concilii in ſecunda ſeſſione conditi de vita & honeſtate Clericorum; de qualitatibus eorum, qui ad Beneficia eligendi ſunt; de prohibitione Clericis facta, ne veſtes certis coloribus tinctas, aliasque ſtatus Eccleſiaſtici modeſtiæ parum congruas deferant. Præterea actum eſt de damnando concubinatu; de laicis inſtruendis; de Neophitis, quibus injunctum, ut excurrente octiduo infantes ſuos ſacro fonte abluendos deferre compellantur. Statutum quoque de negligentia Prælatorum regularium in coercendis ſuis Religioſis; de Clericis & Religioſis ſine Epiſcoporum licentia exomologeſes excipientibus. De Prælatis defunctorum bona occupantibus. Cautum quoque, *ne corporum medici ullum infirmum*

mum ultra tertiam vicem visitare præsumant, de quo non sciant, quod in illa ægritudine pœnitentiæ sacramentum susceperit. Denique innovata est Bulla Clementina contra Judæos, ac Saracenos. Sæcul. XV. A. C. 1429.

Legatus, valetudine sua semper in pejus declinante, ac insuper pestilentia Dertusæ ingravescente, sub finem anni quasdam beneficiorum provisiones expedivit, Et pace inter Episcopum, & cives armis etiam inter se collisos Orgelii composita, necnon absoluta tam glorioſe Legatione sua Concilium dissolvit, & omnibus ibi præsentibus Indulgentias plenarias, atque omnium suorum peccatorum veniam in articulo mortis concessit.

§. XLIX.

Concilium Parisiense.

Hoc anno Joannes de Nanton Senonensium Archiepiscopus Lutetiæ Parisiorum apud Cistercienses aliud Concilium congregavit, cui omnes Provinciæ Episcopi interfuerant, idipsum etiam causſa erat, quod a nonnullis Senonensis appellaretur Synodus. Ex Prælatis aderant Carnutensis, Parisiensis, Meldensis, & Trecensis Episcopi, ac Antissiodorensis, & Nivernensis Episcoporum Procuratores, Aurelianensis Præsul absentiæ suæ excusationem interposuit. Confluxerunt quo- *Labb. Conc. to. 12. p. 392.*

Sæcul. XV. A.C.1429.

que plures Abbates, Conventuum Priores, Viri Ecclesiastici tam sæculares, quam Regulares, Doctores, & quædam Universitatis Parisiensis membra. Hi die prima Martii in unum congregati condiderunt quadraginta articulos de obligationibus & moribus Ecclesiasticorum, Monachorum, & Canonicorum Regularium, de celebratione Diei Dominicæ, & dispensatione in denuntiationibus Matrimonio præmittendis.

§. L.

Statuta seu Constitutiones hujus Synodi.

*Ibid. p.*393. Et primo quidem hæc Synodus *omnibus tam Cathedralium quam Collegiatarum quarumcunque Ecclesiarum Clericis & Ministris præcipit, sub pœna privationis suarum distributionum, vel alia arbitrio superiorum infligenda, quatenus amodo divinum servitium tractim, atque devote, & horis congruentibus dicant, & decantent, & in psalmorum decantatione pausas faciant in medio versuum, ne pars chori psallitura alium versum incipiat, antequam ab alia parte sit omnino alius versus finitus.*

Secundo & tertio statuitur, ut *caveant Clerici a locutionibus, derisionibus, & garrulationibus in Ecclesiis, quod si moniti, abstinere minime voluerint, unius diei sint eo-*

ipso

ipso distributionibus privati: Insuper *sub* Sæcul. XV.
pœna privationis fructuum suorum beneficio- A.C. 1429.
rum per unum mensem prohibet, ne facere præsumant derisorios & inhonestos ludos in festis Sanctorum, cum sint contra honorem & reverentiam Deo, & Ecclesiæ suæ debitam. Pariter prohibet, *quamdiu durat servitium Ecclesiasticum, garrulare ac profana verba facere, quod etiam ad Advocatos ac mercatores extendit.*

Quarto adhortatur Clericos, *ut aliis devotionis & sanctitatis exemplum præbeant, hinc ad divinum servitium peragendum lenti non sint, frigidi, & remissi, nec Canonicatus & præbendas obtineant, mere ad lucrandas distributiones, ac ideo non sufficiat in aliqua trium principalium horarum scilicet, Matutinis, Missa, aut Vesperis, introitum & exitum, vel eorum alterum facere, nulla vel modica in choro facta residentia.*

Quinto conqueritur contra illos, qui in eadem urbe duas vel plures præbendas possident, *de una Ecclesia ad aliam cum suis vestimentis Ecclesiasticis per villam discurrunt, quotidie volentes eisdem horis suas distributiones in utrisque Ecclesiis lucrari, ex quo a popularibus eluduntur, eorumque devotio & reverentia ad Deum & Ecclesiam plurimum diminuitur.* Quapropter Capitulis injungit, *quatenus sic circa Clericos discursores providere curent.*

Sæcul. XV. A.C. 1429.

Sexto contra illos, qui *in festis annualibus suas Cathedrales Ecclesias dimittunt, ut plus forsitan in aliis lucrentur.*

Septimo præcipit *Ecclesiasticis Viris, quatenus Ecclesiarum vasa & ornamenta munde & honeste teneant, præcipue ea, quibus ad Sacrificium Altaris opus habent: item ne in locis sacris choreas, cantilenas, ludos sive mercatus fieri permittant.*

Octavo, *sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ per tres menses prohibet, ne Episcopi præsumant, ad sacrum Sacerdotii Ordinem promovere, nisi qui sunt bonæ vitæ, sciantque Epistolas & Evangelia, ac reliquum officium bene legere & intelligere.* Vultque *id ipsum statutum in aliis sacris Ordinibus diligenter observari,* item præcipit, ut illi qui ad S. subdiaconatus Ordinem promoveri petent, instruantur, *qualiter hoc ordine susceptо erunt ad perpetuum continentiæ votum obligati.* Tandem vetat, ne *Episcopi &c. committant regimen animarum cuiquam, nisi prius sint de ejus vita & moribus competenter informati.*

Nono disponit de vestitu Episcoporum aliorumque Prælatorum.

Decimo, hosce adhortatur, *ut habeant unum vel duos Theologos, qui velint & sciant ipsum divinum gregem spirituali pabulo reficere, & ea quæ corrigenda, & reformanda erunt, advisare & in executionem demandare.*

Unde-

Undecimo, providet abusibus, qui in Curiarum Ecclesiasticarum officiariis inveniri possent, *si isti non formidant a pauperibus ac simplicibus exquisitis modis pecunias extorquere, illosque in pluribus damnabilibus involutionibus pessum illaqueare.* Sæcul. XV. A. C. 1429.

Duodecimo. Statuit, quod *omnes Abbates, Abbatissæ, Priores Ord. SS. Benedicti, & Augustini in suis capitulis, quæ singulis annis tenentur celebrare, omnesque eorumdem monasteriorum officiarii de suis administrationibus quoad debita & credita eorum ter in anno computum reddant.*

Decimo tertio, ordinavit, quod *antiqua statuta circa abstinentiam carnium & jejunia apud eosdem Religiosos reducantur ad singulas quartas ferias totius anni, ferias sextas, & sabbatum, & in adventu & septuagesima jejunia observent* usque ad Pascha.

Decimo quarto, præscribitur modestia & *gravitas tam in vestibus quam in calceamentis, necnon in gestibus & incessibus dictorum Religiosorum, præcipue in flocis vel cucullis, cappis, atque caputiis.*

Decimo quinto, *prohibet pro ingressu Religionis ab ipsis ingredientibus quicquam exigere sub quocunque prætextu, si tamen post ingressum aliquid a parentibus monasterio ex devotione oblatum fuerit, illud recipi minime vetat.*

Sæcul. XV. A. C. 1429.

Decimo sexto, *ordinat, quod in monasteriis quorumlibet ordinum provideatur de idoneis Magistris, qui Novitios in grammatices rudimentis competenter instruant, ut sacrarum scripturarum lectura & intellectus in Religiosis habeatur, cum ea conferat devotionem, dilatet, & augeat.*

Decimo septimo Canone *Patronos Ecclesiarum tam sæculares quam Religiosos adhortatur, ut bene & competenter provideant curatis Ecclesiarum Parochialium, in quibus habent jus Patronatus, omnesque Episcopos monet, ut supra dicta jura faciant observari.*

Decimo octavo. Conqueritur de Religiosis, *qui suas Regulas & Constitutiones nesciunt, imo & penitus ignorant, eapropter omnes Abbates, & præpositos exhortatur, quatenus in suis Monasteriis supraditas Constitutiones habeant, & eas frequenter legant, & relegant, ut sciant, qualiter oporteat eos in Religionis semita ambulare.*

Decimo nono. *Statuta canonica circa Moniales observari jubet.*

Vigesimo. Damnat *Clericos, qui tabernas etiam cum laicis, quod eis non convenit, imo plerumque cum suis vestibus Ecclesiasticis frequentant.* Condemnat quoque illos Clericos, *qui negotiis & mercimoniis sæcularibus se immiscent, emendo blada, vina &c. eo animo, ut carius vendant.*

Item,

Item, qui depositis suis vestibus in ludis, vel camisiis in publicis locis ad palmam ludunt. Sæcul. XV. A.C.1429.

Vigesimo primo. Præscribit Clericorum vestitus, eisque prohibet, *ne portent tunicas colorum rubeorum, vel viridium per inferius vel superius porfilatas, aut caudatas, nisi usque ad genua.*

Vigesimo secundo. Eisdem interdicit omnes blasphemias ac illicita juramenta.

Vigesimo tertio. Episcopis præcipit, *quatenus in diœcesibus suis non patiantur Clericos vel laicos concubinarios, sed contra hos usque ad privationem suorum beneficiorum procedant, illos vero corporaliter puniant.*

Vigesimo quarto. Præcipit Clericis, *ne de cætero cum taxillis ludant, & hoc sub pœna unius libræ ceræ qualibet vice Ecclesiæ suæ applicandæ.*

Vigesimo quinto. Agitur de sanctificatione dierum Dominicalium & festorum.

Vigesimo sexto. *Jurantes & Blasphemantes prima vice pane & aqua per octo dies, & pro secunda vice pœna duplicata jejunare compelluntur.*

Vigesimo septimo. Contra quæstores, *qui pauperum simplicium pecunias extorquent sanctæ Sedis Apostolicæ Bullas falsificando.*

Vigesi-

Sæcul. XV. A.C. 1429.

Vigesimo octavo. Monet Parochos, *ut suos Parochianos inducant ad sua peccata confitenda in quinque solemnitatibus Domini præter Pascha, scilicet in Pentecoste, Assumptione B. V. in festo Sanctorum omnium, in Nativitate Domini, & initio quadragesimæ.*

Vigesimo nono. Præcipit Medicis, *ut infirmis medicinam corporalem non exhibeant, nisi prius exhortatione facta per eos, quod sua peccata confiteantur.*

Trigesimo. Innovat Decretalem Bonifacii VIII. *qua excommunicationis vinculo innodantur omnes, qui impediunt caussas tractari coram judicibus ecclesiasticis.*

Trigesimo primo. Contra eos, qui decimas tribuere renuunt, & fraude ac deceptione se ab earum præstatione eximunt.

Trigesimo secundo. Prohibet *matrimonia in privatis Oratoriis contrahere, & in Ecclesiis publice celebrari præcipit.*

Trigesimo tertio. Injungit, *ne de cætero ita faciliter dispensetur in bannis in matrimonio concedendis.*

Trigesimo quarto. *Sub pœna excommunicationis inhibet, ne in Adventu, in Septuagesima usque ad Pascha, & tempore Rogationum solemnitates nuptiarum fiant.*

Trigesimo quinto. *Laicis prohibet, cum divina celebrantur, ad altare Domini accedere.*

Trige-

Trigesimo sexto. Præcipit, *ut si contingat Clericum per judicem sæcularem capi, qui sufficienter requisitus de reddendo dictum Clericum judici Ecclesiastico non reddidit, cessetur a divinis nedum in Ecclesia Parochiali, intra cujus fines Clericus detentus noscitur, sed etiam in aliis contiguis, ipsisque monasteriis.* Sæcul. XV. A.C. 1429.

Trigesimo septimo. Agitur pariter de quibusdam Jurisdictionem Ecclesiasticam concernentibus.

In tribus ultimis præcipitur Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis, *quod habeant copiam authenticam præsentium statutorum, illaque faciant infra duorum mensium spatium solemniter publicari.*

§. LI.

Concilium Rigense.

Henricus Archiepiscopus Rigensis in Livonia eodem anno Synodum celebravit, cujus tamen acta, quæ pro statu Ecclesiæ melius instruendo condebantur, haud reperire est. Pauca duntaxat in Alberto Krantzio memorantur. Decrevit tamen Concilium, Oratores Romam adversus eos, qui Rigensem Ecclesiam opprimebant, mittere, qui numero sexdecim terra iter aggressi, Greblinam usque, quæ in Livoniæ finibus sita est, pervenerunt. *Labbe Concil. to. 12. p. 405. Kranz. hist. Wandal. lib. 11. c. 16.*

§. LII.

Sæcul. XV. A.C. 1429.

§. LII.

Deputati Synodales Romam euntes a quodam Equite Teutonico undis mersi.

Ibid. Verum Legati in ipsa hac urbe ab arcis Præfecto, nomine Goswino de Aschenberg, Ordinis Teutonici Equite comprehenduntur, ac literis, quas deferebant, spoliati, velut proditores divexantur, nequidquam Clericorum privilegia objicientes, utpote quæ omnia Eques irrisioni habuit. Post hæc pecuniis, ac etiam vestibus denudatos, Goswinus manibus pedibusque ligatos in profluentem glacie constrictum demergi, necique tradi jubet. Hunc in modum mortalium crudelissimus, qui utut Eques frater Ordinis B. V. Mariæ vocari ambiebat, sacrilegas tamen manus suas tot innocentum misera sorte pressorum Sacerdotum sanguine polluere non abhorruit.

Tantum etiam abfuit, ut Eques ille Teutonicus criminis sui horrorem conciperet, quin potius velut de egregio, atque heroico facinore elatus, insolita temeritate ad Livoniæ Prælatos scriberet, a se eorum Deputatos & rebus & vita, propria auctoritate, tanquam Patriæ proditores ac publicos hostes fuisse exutos, nec ad hoc sibi ullo opus fuisse mandato,

sed

sed se ex officii sui publici legibus id fecisse; præpositum enim se esse tuendis Regni finibus, proin publicos Reipublicæ traditores e medio tollere, sui muneris esse. Sæcul. XV. A.C.1429.

§. LIII.

Equites a Sigismundo defensi.

Hoc facinus novum pondus adjecit repetitis Polonorum, ac Lithuanorum querelis adversus Equites Teutonicos motis, quibus deponebant, quod eorum Ordo ad propagandam Christi fidem pie quidem institutus esset, jam autem potius in illius ruinam tenderet. Ex quo inferri videtur, quod Sigismundus immerito Equitibus faverit, eosque defenderit adeo potenter, ut etiam inter ipsum Poloniæ Regem, & Witholdum magnum Lithuaniæ Ducem jam octoginta annorum senem discordiæ semina spargeret. Enimvero Witholdum non modo stimulabat, ut contra pacta cum Polonis inita Regis insignia acciperet, sed etiam spondebat, se eidem Regium honorem Cæsareo diplomate firmaturum; quod re ipsa factum foret, nisi Poloni ejusmodi consiliis fortiter obluctati, & ipsemet Witholdus anno sequenti vivis ereptus fuisset. Nec etiam Martini Pontificis epistolæ, quas ad Polonorum preces ad ambos Prin- *Michov. l. 4. c. 47. Æn. Sylv. Europ. c. 6.*

Sæcul. XV. A.C.1429. Principes dedit, eos a propoſito dimovere poterant.

§. LIV.

Huſſitarum vaſtationes.

Krantz. 21. *Wandal.* 17. 20. Ceterum ſatius Sigismundo & Witholdo fuiſſet Martini Pontificis conſilio acquieſcere, qui utrumque contra Huſſitas ſtimulabat; Hi enim altera jam in Sileſiam irruptione, indeque tripartito agmine Hungariam, Poloniam, & Auſtriam invadentes, omnia ferro flammaque devaſtabant, & Catholicis, eorumque ſacris proterve inſultabant.

Sub idem tempus quidam Joannes de Prezibram, Vir doctus, magnæque apud Huſſitas auctoritatis, ab eorum erroribus reſipiſcens, ad ſinum Eccleſiæ reverſus eſt, multosque contra hanc ſectam libros conſcripſit, quos inter præcipuus eſt tractatus quidam *de conditionibus belli juſti* ad eorum Paſtores, qui tum rerum ſummam gerebant. In hoc eis tyrannidem & impietatem vehementius exprobrat: in alio autem quodam libro aſſerit, quod Huſſitæ in ſpecie, ac ſecundum externum cultum pii, manſueti, ac ſubmiſſi videantur, interius vero impii ſint, tyranni, avari, crudeles, ſuper omnes elati, moribus diſſoluti, immiſericordes; temerarii, atque ad quævis audenda projecti, quodque ſeſe quibus-

quibuscunque negotiis immiſceant, virosque ſapientes aſpernentur; præcipue vero invehitur in Procopium, eorum Pſeudo-Presbyterum, & Nicolaum de Pelphyſimon, quem Thaboritæ velut Epiſcopum venerabantur. Sæcul. XV. A.C. 1429.

§. LV.

Joannis Gerſonii obitus.

Ad hunc annum, diemque duodecimam Julii refertur obitus Joannis Charlieri, qui a pago Gerſon Rhemenſis Diœceſis non longe a Rhetelia diſſito, ubi natus erat, Gerſonius cognominabatur. Primam lucem aſpexit die decima quarta Decembris anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio; Juvenis ab Arnulpho Patre ſuo, & Matre Eliſabetha pie educatus, decimo quarto ætatis ſuæ anno Lutetiam Pariſiorum profectus eſt, ubi in Collegio Navarræ tanquam Alumnus liberalium artium ſocietati adſcribebatur. Poſito humaniorum literarum & Philoſophiæ tyrocinio Anno ſupra milleſimum trecenteſimo octogeſimo ſecundo Theologorum numero accenſitus, Theologiæ ſtudio per integrum decennium ſub Petro Alliacenſi, & Ægydio de Campis Magiſtris operam navavit, atque ad ſupremos Academiæ honores aſcendit, demum Anno Chriſti milleſimo tre-

Vit. Gerſ. ante ejus opera tom. 1. Bellarm. de Script. Eccl. Dupin. Bibl. ſcript. tom. 12. p. 66.

Sæcul. XV A.C. 1429

centesimo nonagesimo secundo Doctoris laurea decoratus. Commendavimus alibi zelum, quo Propositionum, quas Joannes Parvus in Apologia Ducis Burgundiæ asseruit, damnationem in Constantiensi Synodo perurgebat. Composuit varios sermones, & diversa opuscula contra easdem propositiones, quarum censuram Parisiis promovit.

Vid. supra L. CIII § 80 85. 130 163. 185.

Vid. sup. lib. L. CIII. § 135. 150. 153 Lib. CIV. § 35. 36. 45. 112. 123. 134

Constantiæ composuit suum tractatum *de potestate Ecclesiastica, sive de origine juris & legum*, qui tredecim considerationes complectitur, de quo jam supra egimus. Exstat quoque aliud opusculum, cui titulus *de auferibilitate Papæ ab Ecclesia*, in quo tamen nuspiam defendit, Ecclesiam pro omni tempore absque summo Pontifice subsistere posse, sed tantum plures dari casus, in quibus Ecclesia aliquo tempore Pontifice carere, & alios, in quibus deponi posset. Quocirca illis Christi Domini verbis ex S. Marco cap. 2. pro suo themate utitur: *Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus.* Alios insuper conscripsit tractatus, *de modo se habendi tempore schismatis, de unitate Ecclesiastica, de diversis statibus Ecclesiasticorum, & eorum obligationibus, atque privilegiis.* Discussit quoque quæstionem, *an liceat in caussis fidei a summo Pontifice appellare?* Denique varios sermones, & Epistolas plures concinnavit. In suo Lugdunensi

secessu

ſeceſſu diverſas lucubrationes edidit, & juventuti idiomate latino & Chriſtiana doctrina imbuendæ regulas præſcripſit. Dupinus omnia ejus opera cum quibusdam aliis diverſorum Auctorum lucubrationibus in Hollandia Anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexto, in quinque Voluminibus in folio imprimi curavit; ejus tamen notitiam fugiſſe exiſtimamus, aliud hujus Auctoris opuſculum, cui titulus, *Floretus* Lugduni Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto in quarto editum, & commentarius in ſummam Theologicam S. Bernardi, cujus quoque Pater Mabillonius, qui noviſſimam Sancti hujus Doctoris editionem adornavit, nullam omnino mentionem fecit. Sæcul. XV. A.C. 1429.

§. LVI.

Proſecutio Hiſtoriæ obſidionis Aureliæ.

Aurelia adhuc ingenti ardore obſidebatur, nec minori virtute præſidiariæ copiæ ac cives hoſtium inſultus ſuſtinebant. Comes Saresberienſis globo tormenti percuſſus perierat. Nulla tamen Caroli Regi ſpes affulgere videbatur, quod Anglos, potentiſſimos adeo hoſtes vincere, & majorum ſubditorum ſuorum partem ad obſequia reducere poſſet, niſi Dei providentia illi victoriam attuliſſet, & inſigni prorſus prodigio auxilium præbuiſſet. *Joan. Chartier. Hiſt. Car. VII.*

Sæcul. XV.
A.C. 1429.

§. LVII.

Historia de Virgine Aurelianensi.

Frison Gallia purpur. l. 2.

Æn. Sylv. Europ. c. 18.

Placuit quippe Deo ad regnum Galliæ ab exitio vindicandum, & ad repellendos Anglos, inermem ignobilis cujusdam pastoris filiam seligere. Nomen illi Joanna D'arcia, Pater Jacobus D'arcia in pago Dompremejo seu Dom-remigio prope Valliscolorem ad Mosam progenitus; Mater vero Isabella Walteria. Hæc optimos sortita est parentes, qui filiam suam in pietatis operibus, ac virtutum studio enutrire, summe solliciti erant. Unde singulis feriis sextis jejunare solita, præter orationis pensum, quod Deo & Christo Domino præprimis exsolvebat, Beatissimam quoque Virginem speciali cultu prosequebatur. Sæpius conspicuum habebat S. Michaelem Archangelum, singularem totius Franciæ Protectorem, qui & eam adhortabatur, arma sumeret, Aureliamque sexto jam mense ab Anglis oppugnatam liberaret, Regemque Carolum VII. suis terris spoliatum Rhemos ad sacram inaugurationem, ac suscipienda regni insignia deduceret.

Joanna initio ejusmodi visiones parum curabat, quæ ubi tertia ac quarta nocte recurrerent, rem totam parentibus suis aperuit; hi eam ad Vallisoloris Præfectum

fectum adducunt, qui tamen risu Puel- Sæcul. XV.
lam primo excepit, cum persuadere sibi A. C. 1429.
haud posset, illam ad propulsandos ex Francia Anglos a Deo selectam esse.

§. LVIII.

Galli Anglorum plaustra Halecibus onusta invadentes, magna clade fugati.

Eadem, cum de Religione Christiana, bellique eventibus ingenti prudentia, ac rerum peritia differeret, simulque narraret, Gallos eadem, qua Præfecto colloqueretur, hora ad Aureliam profligari, adderetque, ni ad Regem mitteretur, graviora adhuc illis instare pericula, Præfectus ante omnia recentis hujus cladis veritatem comperire voluit, qui etiam post octo vel decem dierum intervallum intellexit, Gallos dicta die, cum Anglos in sua castra plurimos halecibus onustos currus pro quadragesima deducturos aggrederentur, reipsa non procul a pago Roboreta fusos fugatosque fuisse. Illa nempe tempestate etiam milites sacræ quadragesimæ observantiam majori Religione, quam hodiedum coluisse notandum. Ceterum ab hoc eventu dicta Gallorum clades vulgo *halecum pugna* appellari consuevit.

Sæcul. XV.
A.C. 1429.

§. LIX.

Joanna D'arcia coram Carolo VII. Rege.

Naucler. gen. 48. p. 448.

Præfectus, cui nomen Baudricurtius, de veritate facti sibi ab hac Virgine manifestati edoctus, eam velut alteram Deboram a Deo suscitatam venerabatur, armisque & equo instructam duobus nobilibus Viris ad Regem deducendam commisit, geminis quoque Puellæ fratribus eam comitantibus. Agebat tum Carolus Rex Chinone in Turonia, qui adversantis fortunæ injuria pressus, ac de liberanda Aurelia penitus desperans, jamjam in Provinciam, vel ut testatur Mezerajus, in Delphinatum fugere meditabatur. Rex nunciato Joannæ adventu, eam ad cubile suum juvenibus Proceribus refertum introduci jussit. Virgo nihil hæsitans, præ omnibus ipsum Regem adit, & singulari reverentia ac modestia eum salutat. Is vero, ut periculum de ea faceret, dicebat: falleris, non ego, sed ille Rex est, digito quempiam suorum Aulicorum designans. Ad quod illa reposuit, se Regem, quamvis eum vidisset nunquam, perbene nosse, tuncque coram eo tanta prudentia, animi constantia, ac verborum gratia differuit, ut in illa, nescio quid divinum resplendescere, omnibus Aulicis videre-

videretur. Fidenter promisit, Aureliam liberatum, Regemque sacro chrysmate Rhemis delibutum iri, suaque verba omni dubio liberavit, dum arcana hucusque nemini præter Regem cognita revelavit. Recordaberis, Domine mi Rex, inquiebat illa, te nupero die, Sanctorum omnium Festo, priusquam sacram sumeres Synaxin, binas a Domino petiisse gratias? „Primo, ut tibi animum, viresque belli gerendi aufferret Deus, si legitimus Regni hæres non sis. Secundo, ut potius in caput tuum, quam in subditos tuos iram suam exonerare dignaretur. „

Secul. XV. A. C. 1429.

§. LX.

Puella jussu Regis a Doctoribus, & Parlamento examinata.

Hæc secreti revelatio Regem in admirationem rapuit, qui Puellam divino afflatam spiritu, veramque illius missionem esse, tandem & ipse credidit, atque aliis idem persuadere contendit; quocirca eam primum a suo Consilio, & Doctoribus, postea vero a Parisiensi Parlamento, quod tunc Pictavii versabatur, examinari præcepit. Una omnium erat sententia, Virginem a Deo missam, eique Aureliæ liberationem omnino committendam esse. Equo igitur, armisque, & nonnullis copiis instruitur Puella, quarum tamen

Joan. Chartier. hist. de Charles VII

Sæcul. XV. A.C. 1429.

men imperium non ipsi committebatur, sed Rivenæ Maresçallo, necnon Aurelianensi Notho, quos quam plurimi Nobiles, belli peritia clarissimi sequebantur. Nolebat ipsa gladium sibi a Rege oblatum acceptare, inquiens: Alius in Ecclesia S. Catharinæ de Ferasylva Turonensis Provinciæ asservatur, quinque crucibus in mucronis lamina, & liliis ex utraque parte signatus; hoc ego Anglos debellabo. Hunc igitur ensem accepit, eumque, licet ingentis ponderis foret, mira tamen dexteritate, perinde ac alium quemvis consuetæ formæ, direxit. Gladius hic ad hodiernum usque diem in sacro thesauro ad S. Dionysium Alumnorum S. Benedicti custoditur.

§. LXI.

Puella cum copiis Blessam contendit.

His armis instructa Regi valedixit, Blesamque abiit, ubi copiæ ad liberandam Aureliam convenerant. Scripsit protinus ad Bedfordium, aliosque Anglorum Duces, sine mora Aurelia recederent, nisi vi depelli, atque atrociſſimam clademexperiri mallent. Verum Angli hisce minis non sine risu exceptis, obsidionem acrius urgent. Quapropter Virgo in Blessæ vicinia comparato ingenti commeatu, selectisque septem armatorum millibus Aurelianensi urbi suppetias ferre decernit.

cernit. Ante omnia vero Belliduces convocari voluit, eosque, ut Deum sibi propitium redderent, peccata confiteri, sacramque Cœnam recipere jubet, quod & ipsa omnium prima præstitit; dein omnes solutioris vitæ fœminas e castris pelli imperat. Sæcul. XV. A.C.1429.

§. LXII.

Aureliam ingressa Anglos ab obsidione desistere cogit.

Inde intrepida Aureliam contendit, urbi extreme laboranti commeatum infert, & ipsamet denique Triumphantis more unacum Joanne Notho Aurelianensi, qui postea Comes Dunensis renuntiatus est, urbem ingreditur. Qua conspecta cives a Deo missam venerati, novos induunt animos, ac repetita in hostes eruptione illos fortiter profligant, & nonnullas munitiones, aggeresque ab Anglis circa urbem constructos occupant. Sub hæc, cum & ipsa quoddam ejusmodi propugnaculum aggrederetur, ictu sagittæ inter humeros, collumque vulnerata est, pedem tamen non retulit, sed Aurelianensi Notho, qui sanguine manantem ex acie reducere volebat, respondit: *Non, non, equidem modico meo constabit sanguine, sed nec illi vindicem Dei manum effugient.* Posthæc & ipsa omnium prima hostium mu- *Masson. hist. Franc. l. 3.*

Sæcul. XV. A.C. 1429.

nitiones ſuperavit, ibique propria manu vexillum ſuum erexit. Tunc Galli in jubilos, ac lætitiæ ſigna effuſi, omni ex parte Anglos repellunt, ac tanta vi ſternunt, ut illi poſtera die obſidionem ſolvere, ac cetera, quæ adhucdum tenebant, munimenta victoribus Gallis cedere compellerentur.

§. LXIII.

Puella Regem Chinone convenit.

Virgo urbis Aurelianenſis liberatione contenta, haud ultra hoſtem inſequebatur, ſed ſub finem Maji Chinonem ad Regem revertebatur, geſtorum nuncium delatura. Galli Heroinam ſuam ubique ſequuntur, tanquam certam futuræ victoriæ prænunciam. Angli econtra fuga undique diſperſi, præ terrore illius nullibi ſubſiſtere auſi, Belgentiaco & Gergolio pelluntur, Bataji in Belſia cæduntur, ut mox dicemus, atque ex omnibus hujus regionis urbibus recedere coguntur.

Aurelia feliciter liberata, alterum ſupererat miſſionis ſuæ caput, nimirum ut Regem quoque Rhemos deduceret, ſacro ibidem oleo unguendum. Urbs iſta, omnisque circum circa Regio hoſtium poteſtati ſubjacebat; hinc Conſiliarii Regis, quamvis Virginem ob præclara facinora nuper Aureliæ edita haud parum venerarenſ-

rarentur, hoc tamen illius consilium nimis temerarium esse censebant; Angli enim non modo Rhemos, sed & Trecas, Catalaunum, cunctasque reliquas, per quas Regi eundum esset, urbes validissimis muniebant præsidiis, ac præterea copiosus exercitus stabat in castris. Nihilominus juvenis hæc Pastoris filia viginti duntaxat annos nata cunctis hisce obstaculis superior Regi pollicetur, quod eum salvum, & incolumem Rhemos deducere, ibique, ut sacro oleo ungeretur, sistere vellet, tantaque hoc suum promissum fiducia, ac verborum constantia asseverabat, optatumque eventum spondebat, ut etiam illi, qui paulo ante ceteris magis metu fracti videbantur, jam animum erigerent. Ex quibus Aurelianensis Virginis nomen brevi per universum Orbem divulgabatur, gestaque ejus heroica per ipsam famam identidem magis crescebant. Galli autem omnes Deum pro Carolo VII. pugnare persuasi, quasi ex lethargo, quo sopiti erant, resuscitati undique ad arma convolabant. Sæcul. XV. A.C. 1429.

§. LXIV.

Gergolium & Balgentiacum a Gallis recuperatum.

Eodem tempore Gergoliana civitas a Virgine vi capta, & Balgentiacum obsi-

Sæcul. XV. A.C. 1429.

obsidione cinctum est; nam certior facta, quod Richemundius Connestabilis Regia stirpe e Domo Britannica natus, sed Trimollii invidia Regi infensus, Gallorum exercitum mille ducentis Nobilibus auxisset, confestim illa equum conscendit, ac primam totius Equestris exercitus aciem ducens, recta ad Connestabilem properat, quem, ut cum suis copiis adventantem conspexisset, equo descendens salutavit; ille vero eandem vicissim officioso venerabatur obsequio, dein junctis vexillis in urbem Balgentiacensem movebant, quam etiam ad deditionem faciendam compellebant.

§. LXV.

Angli Pataji in Belsia devicti.

Postera die exercitus ad Patajum Belsiæ vicum processit, Anglosque, qui ad liberandum Balgentiacum illuc accurrerant, devicit, in quo prœlio Puella egregiæ virtutis specimina edidit. Strenue pariter dimicarunt Connestabilis, Alensonius Dux, Nothusque Aurelianensis, quos haud impari fortitudine Bomanorius, Hira, & Poton de Santrailliis imitati sunt. Hinc cæsi sunt hostes, Duxque eorum Talbotus captus fuit. Tunc demum Angli Deum exercituum armis eorum adversantem experiebantur.

§. LXVI.

§. LXVI.

Sæcul. XV.
A. C. 1429.

Rex a Puella Trecas deductus.

Parta hac victoria Rex copias suas, quæ indies augebantur, per Burgundiam in Campaniam ducit, sacram unctionem Rhemis susceperturus. Adventanti Carolo Regi Antisiodorenses cives clausis foribus ingressum negant, commeatum tamen eidem abunde suppeditant. Ast cum Galli altero lapide ab urbe Tricassina abessent, bellicisque tormentis destituti, urbem valido munitam præsidio vi occupare desperarent, Rex Senatum convocat, in quo omnium sententia eo abibat, in Bituricum Provinciam remeandum esse, potissimum eo nomine, quod Rhemensis civitas adhucdum Anglorum imperio subdita foret. Joanna ergo, comperto horum consilio, confestim in Senatum introduci postulat, Regemque tot rationum momentis, tamque gravi sermone aggreditur, ut ipse puellæ arbitrio cedens, in cunctis, quæ juberet, eidem obtemperari præciperet, ad quod illa equo protinus conscenso exercitum ad urbem Trecas admovet, atque ad fallendum hostem ex industria obsidionem simulat; hocque ex consilio aggeres, etsi nulla belli tormenta præsto adessent, erigi jubet, ipsaque semper armata cunctas stationes obiens, opera inspicit, mandata dispensat, ejus verbis

Jean. Chart. hist. de Charl. VII.

Sæcul. XV. A. C. 1429.

bis ex inferiori vallorum parte undique personantibus, quibus Tricassinæ urbi Dei vindictam, Regisque iram tanta orationis efficacia comminabatur, ut cives ultro pacem efflagitarent, urbisque suæ portas aperirent.

§. LXVII.

Rex Rhemis sacro oleo unctus.

Daniel Hist. Franc. Carol. VII.

Sub idem quoque tempus Rhemenses, expulso Anglorum præsidio, urbis claves Regi offerunt, qui ibidem ab Archiepiscopo Raymundo de Carnuto septima Julii, quæ erat dies Dominica, ut putat Mezerajus, vel juxta Spondanum die decima septima ejusdem Mensis solemni ritu inungitur. Deerant quidem Franciæ Pares Ordinis Laicalis, sed horum absentiam supplebant Alensonius Dux, Claramontanus Comes, Trimollius, Maillius, & Bomanorus. Aderat quoque Puella armis induta, vexillum suum manu erectum tenens, in quam omnium oculi defixi hærebant, eoquod sola Regem, dissentientibus cunctis aulæ Proceribus, Rhemos deduxisset. Equidem hæc Caroli VII. unctio Rhemensis ad legitimam Regni Gallici possessionem usque adeo necessaria non erat, quin in alio loco ad exemplum plurium Franciæ Regum peragi potuisset, Rex tamen avitæ consuetudini, quæ apud populum suum vim legis obtinebat, morem

morem gerere voluit; indeque tum amSæcul. XV.
pliorem auctoritatem, tum proniorem suoA. C. 1429.
rum subditorum obedientiam, majoremque hostium terrorem sibi conciliavit.

§. LXVIII.

Plures aliæ urbes Galliarum Regi subjectæ.

Peracta sacra inauguratione tertium adhuc diem Rhemis egit Carolus, inde in Abbatiam D. Marculfi abiit, ad quam Franciæ Reges recens coronati solent invisere. Post hæc Velium venit, quo in fidem recepto Laudunum, Sueffiones, Castrum Theodorici, Provinum, Columburiam, Crefliacum in Bria, pluresque alias urbes pertransiit, quæ omnes ad obsequium Regis redierunt: suæ quoque potestati subjecit Bellovacum, Compendium, Crepiacum, omnesque civitates totius hujus districtus usque ad Parisiensem Metropolim, quam Bedfordiæ Dux numeroso milite munitam tenebat.

§. LXIX.

Virgo domum redire volens, a Rege detenta.

Tum Virgo ante Regem humi prostrata, profusis lacrymis exposuit, liberata

ab

Sæcul. XV. A. C. 1429.

ab hoſte Aurelia, ac Rege in ſua Rhemenſi civitate ſacro chrysmate inuncto Dei mandato, & ejus miſſioni ſatisfactum eſſe, quocirca nil aliud ſupereſſe, quam ut ad ſuos remearet. Potuiſſet enimvero hac via propriæ ſuæ ſaluti conſulere, ſed tam importunis a Rege urgebatur precibus, ut tandem acquieſcens bellum proſequeretur; attamen ſiniſtro ferme ſemper eventu, ac irrito conatu: abs dubio, quia non amplius ex ſpeciali Dei impulſu arma gerebat.

Rex autem pro navata tam inſigni ac Regno Galliæ adeo proficua opera tam illam, quam ejus parentes, tres fratres, totamque illius poſteritatem utriusque ſexus perpetuo nobilitatis jure donavit, dato ea de re diplomate Regio, menſe Decembri currentis anni, mutatoque cognomine, & loco d'Arcia, eos *de Lilio* appellari juſſit; addidit inſuper nobilitatis inſignia, ſcilicet enſem argenteum in campo cæruleo, cujus capulum & pilam ex auro lilia, ac corona aurea inter duos anullos erecta in cuſpide ornabant. Rex quoque largiebatur Virgini prædia quædam ac reditus, ut victu, ac ornatu nobilis Filiæ conditionem æquare poſſet.

§. LXX.

§. LXX.

Sæcul. XV. A. C. 1429.

Rex Lutetiam variis modis occupare aggressus.

Rex Carolus VII. Sylvanectum tendit, Lutetiam oppugnaturus; verum priusquam ulterius progrederetur, a Bedfordiæ Duce in planitie Montepillensi ad fluvium, qui Baronem alluit, & recta Sylvanectum procurrit, ad pugnam provocatus est. Occurrit sibi invicem uterque exercitus, ac repetitis velitationibus utrinque pugnæ præluditur, quamvis nunquam ad manus ventum esset, sed motis tandem castris discessum, Anglis intra propugnacula sua receptis, Gallis vero in loco duabus leucis ab hostibus remoto castra metantibus. Rex sub finem mensis Augusti ad fanum S. Dionysii processit, nullo obsistente receptus, postmodum Cupellam venit, rursum Parisios occupare cogitans. Suadebat Virgo, ut urbem ea ex parte, qua S. Dionysii porta patet, facto impetu aggrederetur; verum plurimis fossis undique aqua repletis, atque accessum ad urbis mœnia prohibentibus, coacta est Virgo accepto in crure vulnere cum Alensonio, & Borbonio Ducibus terga vertere, & San-Dionysium, ubi Rex agebat, reverti. In eodem oppido die vigesima nona Augusti cives Latiniaci Carolum VII. adierunt, obsequia

Sæcul. XV. A. C. 1429.

sua illi deferentes, Rex tamen ad eorum urbem nonnisi in mense Septembri pervenire potuit, inde Montargium profectus.

§. LXXI.

Turbæ Gallorum in causſa Vice-comitatus Thoracienſis.

Vid. 3. tom. Mem. Comin. edit. an. 1723. p. 493.

Quamprimum Rex oppido S. Dionysii excesserat, etiam Gallorum præsidium inde Silvanectum abiit, quo comperto Angli illico locum occupantes diripuerunt. Ex adverso Galli Lavillum ceperunt. Rex autem in Burgundiam regressus est, cæpto jam pacis negotio cum Duce dictæ Provinciæ ultimam admoturus manum; verum res male vertit ob dissidia, quæ circa Vice-comitatum Thoracienſem in Provincia Pictavienſi ſitum inter Gallos exorta ſunt. Hujus quippe possessionem, cum occupasset Trimolius, & Ludovicum Ambacienſem custodiæ dedisset, ejus jura Connestabilis, utpote sanguine eidem junctus, pro viribus defendere studebat; contra quem Trimolius Regem, quem sibi in omnibus obsequentem habebat, eo induxit, ut arma Connestabili inferret. Inde factum, ut hac Gallorum discordiâ non parum crescerent Anglorum compendia. Burgundiæ Dux, quamvis Aureliam obsidione liberatam esse, haud ægre ferret, prosperos tamen, qui

qui Regi inde accesserant, rerum successus invidebat; quocirca Bedfordiæ Ducem, quem hucusque sibi minus faventem experiebatur, nunc de amicitia ineunda tractantem perhumaniter excepit, fœdusque cum eo pepigit, quo ab Anglis Campaniæ ac Briæ comitatus, clientelari lege in Burgundum transferebantur. Sæcul. XV. A. C. 1429.

§. LXXII.

Simeonis Thessalonicensis obitus.

Incidit in hunc annum millesimum quadringentesimum vigesimum nonum obitus Simeonis Thessalonicensis Archiepiscopi, qui ineunte hoc sæculo floruit. Vir erat non minus virtute, quam doctrina, ac profunda eruditione clarissimus. Inter Lucubrationes ejus eminet tractatus *de Lithurgia*, quem Pater Goarius Rituali suo Græcorum inseruit; in eo explicat, quæcunque pertinent ad Ecclesias, ejusque Ministros, vestes Sacerdotales, celebrationem Missæ, aliasque cæremonias Ecclesiasticas. Præterea librum composuit contra hæreses, ad modum Dialogi, in quo collegit textus S. Scripturæ, & Patrum, qui de fide, & Sacramentis Ecclesiæ loquuntur; hoc opusculum in Bibliotheca Vaticana, & Cæsarea manuscriptum asservatur, & illius synopsin Doctissimus Pater Morinus Oratorii Pres- *Dupin Bibl. Script. T. 12. p. 120.*

Sæcul. XV. A. C. 1429.

byter ad calcem libri sui de pœnitentia annexuit. Allatius adhuc alia hujus Auctoris opera indicat, quæ inter Manuscripta Vaticana exstant; scripsit etiam librum de Sacerdotio ad quemdam Monachum; octoginta quinque responsiones ad quæstiones Gabrielis de Pentapola; Explicationem Symboli, aliam Symboli expositionem, in qua horum Articulorum fontes & adversus quosnam hæreticos scripti fuerint, exponit, item duodecim articulos, qui totam summam credendorum complectuntur, denique tractatum contra innovationes Latinorum.

§. LXXIII.

Institutio Ordinis Velleris aurei.

Bellefor. l. 5. c. 90.

Postquam Burgundiæ Dux Parisiis discesserat, in Belgium rediturus, die decima Januarii ejusdem anni Brugis in Flandria secundis nuptiis sibi Isabellam Joannis I. Lusitaniæ Regis Filiam copulavit; Hic, ut celebriorem conjugii sui diem redderet, eadem occasione ordinem Equitum Velleris aurei instituit, qui postea in Austriæ Archiduces, & Hispaniæ Reges translatus est. A principio Ordo iste numeravit viginti quatuor duntaxat Equites, eosque Nobilitate ac morum integritate clarissimos; postmodum vero Burgundus horum numerum ad unum supra trigin-

triginta auxit, sanxitque, ut deinceps tam ipse, quam Successores sui semper ejusdem Rectores, & magni Magistri forent. Ipse Hispaniarum Rex utpote Burgundicæ Domus hæres, nostra adhuc ætate hujus Ordinis caput esse, magno sibi ducit honori, eumque non minus merito & dignitate Equitum, quam paucitate eorum, quos hoc honore dignatur, spectabilem reddit, ac perpetuo illius splendorem conservat. Sæcul. XV. A. C. 1429.

§. LXXIV.

Compendium a Burgundionibus, Anglisque obsessum.

Interea vero Burgundiæ Dux arma, quæ in Galliæ Regem moverat, nusquam posuit, sed cum Anglis, aliisque sibi fœderatis, copiisque validissimis Compendium, Picardiæ urbem, obsidione cinxit. Virgo Aurelianensis cognito Burgundionum, atque Anglorum insultu maxima, qua potuit, celeritate Latiniaco movit, & qua vi, qua arte viam sibi ad urbem aperuit, ut eam ipsa tueri posset. Postera etiam die vigesima quarta Maji eruptionem fecit in oppugnantes; Civibus tamen in fugam actis, cæsisque Puella quoque, utpote nonnisi inter postremos ex acie pedem referre solita, a quodam equite ex legione Joannis Lucemburgi capitur, qui illam suo militum *Joan. Charter Hist. Caroli VII.*

Sæcul. XV. A C. 1429

Tribuno, cum & ipse ex Belliducibus esset, tradidit; hic vero eam confestim Anglis pro decem millium librarum pretio numeratæ pecuniæ, necnon aliis quingentis libris annuæ pensionis vendidit.

§. LXXV.

Virgo ab Anglis carceri inclusa.

Bellefort. l. 5. c. 92. Naucler. gener. 48. p. 449.

Adversa Virginis fortuna vel imprudentiæ, vel forsan perfidiæ Guilielmi Flaviacensis Urbis Præfecti adscribitur; hic enim occlusis intempestive repagulis eam, cum urbem repeteret, excluſit. Angli igitur damna, quæ per illam perpessi erant, cladesque plurimas ab eadem sibi non sine Anglici nominis infamia illatas protinus vindicare decernunt. Attamen priusquam crudele hoc consilium executioni darent, Puellam varios subire carceres compellunt. Interea vero secundus, quem illius vaticinia nacta fuerant, eventus, præmiumque, quod inde reportavit, plures alios etiam rusticæ plebis homines pellexit, ut & ipsi Prophetiæ oracula mentirentur. Impulerat cujusdam pauperis Pastorculi præsagium Reinhardum de Carnuto, Franciæ Cancellarium, Bousfacium Marescallum, & Potonem de Sentrailliis, ut Rothomagum obsidere aggrederentur; hic enim divinitus se missum jactitabat, eo fine, ut præfatos Dominos

minos in urbem introduceret. Aſt Angli intellecto horum propoſito omnes tres in itinere fundunt, plurimisque eorum cæſis, ceterisque fuga diſperſis ipſum Sentraillium capiunt. Sæcul. XV. A. C. 1430.

§. LXXVI.

Angli Compendii obſidionem ſolvere coacti.

Sexto jam menſe Burgundus, Anglicusque miles Compendium arcta obſidione preſſerat, & jamjam obſeſſi dedi-tionem meditabantur, & ecce! quidam Scutarius nobilis natione Brito, nomine Jacobus Tillaycus cum centum circiter armatis in urbem penetrans, laborantibus civibus novos addidit animos. Quapropter exigua, mille vel mille ducentorum cohors ſub Comite Vindocino & Buſacio Mareſcallo hoſtium caſtra, munitiſſima licet, aggreditur, occupat, hoſtem expellit, fugatque. Poſt hæc etiam obſeſſi ex urbe erumpunt, atque expugnato quodam propugnaculo in quadringentos Joannis Lucemburgi milites, qui illud tuebantur, effuſi, plurimos eorum trucidant. Quibus peractis Vindocini Comes cum ſuis copiis urbem victor ingreditur, Angli autem nullo ſervato amplius ordine auffugiunt, noctisque beneficio fluvium trajicientes partim in Normanniam, par- *Joan. Charter. hiſt. Carol. VII.*

Sæcul. XV. A. C. 1430.

tim in Picardiam tam præcipiti pedum ſtudio dilabuntur, ut inſequentium Gallorum ſolertiam feliciter eluderent. Ita Compendienſis urbs in Franciæ poteſtatem rediit, occupatis ſimul, quæ hoſtis in caſtris reliquerat, belli tormentis, ingentique commeatu, & maxima Sarcinarum copia. Paulo poſt non procul a Catalauno Campaniæ oppido ad ædem B. Virginis Spinoſæ acerrimum committitur prælium, Burgundionum, atque Anglorum ſeptem vel octo millibus deſideratis, reliquis in fugam actis.

§. LXXVII.

Legatus Pontificis ad Capitulum FF. Minorum miſſus.

Bullar. to. 1. in Martin. V. & tom. 2 in Pii IV. Conſt. 103.

Die decima tertia Junii Papa Cardinalem S. Petri ad vincula Hiſpanum, ad generalia F. F. Minorum Conventualium comitia, Aſſiſii celebranda Legatum *a latere* deſtinavit, eique plenam dicti Ordinis diſciplinam reſtaurandi auctoritatem conceſſit. Id muneris Legatus ſtrenue obiit, prout ex declarationibus hujus Regulæ apparet. Attamen Pontifex mox anno ſequenti Menſe Julio ordinationes, quas Cardinalis fecerat, nonnihil mitigare compellebatur; quibus Pius IV. rurſum novas adjecit declarationes, edita hanc in rem Conſtitutione Apoſtolica; ut ſilen-

silentio premamus ceteras mitigationes, easque multo plures, quas varii summi Pontifices illo abhinc tempore concesserunt; Hic enim sacer Ordo longe lateque diffusus, varias subiit vicissitudines; quippe non raro illius Religiosi ad severiorem disciplinam revocati, nova reformationum genera introducebant, quibus etiam diversa indiderunt nomina. Porro multiplex illa reformandi necessitas ortum suum trahebat ex nimia Pontificum facilitate, qua ad conservandum, aut restituendum inter Ordinis hujus Alumnos unionis ac charitatis vinculum, frequentius Regulæ rigorem temperabant. Sæcul. XV. A. C. 1430.

§. LXXVIII.

Facultatis Theologicæ censura quarumdam Propositionum.

Anno præcedenti Joannes Sarrazinus Ordinis FF. Prædicatorum Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor post *Vesperias* suas, ut vocant, quasdam propositiones circa jurisdictionem Ecclesiasticam nimium temerarias enunciavit, quas eadem hæc Facultas ineunte hoc anno censuris notavit, dictumque Religiosum, ut eas in pleno consessu retractaret, adstrinxit. Octo erant ejusmodi propositiones, quarum prima: *Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ a potestate populi,* *Dupin. Bibl. Script. tom. 12. p. 145.*

Sæcul. XV. A. C. 1430

sunt ab ipso Papa quantum ad institutionem, & collationem. II. *Hujusmodi potestates non sunt de Jure Divino, nec immediate institutæ a Deo.* III. *Non invenitur Christum tales potestates scilicet alias a Papali, expressisse, sed tantum supremam, cui commisit Ecclesiæ fundationem.* IV. *Quandocunque in aliquo concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, in solo summo residet Pontifice.* V. *Ex textu Evangelii non habetur expresse alicui Apostolorum, nisi Petro, auctoritatem jurisdictionis fuisse collatam.* VI. *Dicere inferiorum Prælatorum potestatem Jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediate a Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodammodo repugnat.* VII. *Sicut nullus flos, & nulla pullulatio, nec etiam omnes flores & pullulationes simul possunt aliquid in arborem, quia hæc omnia sunt propter arborem instituta, & ab arbore derivata, sic omnes aliæ potestates nihil de Jure possunt contra summum Sacerdotium.* VIII. *Summus Pontifex Canonicam Simoniam a jure positivo prohibitam non potest committere.*

Argentre Collect. Judic. tom. 1. p. 227.

Has propositiones Facultas Theologica suorum Deputatorum examini subjecit, ejusque jussu Religiosus publice recantare, atque octo propositiones illis adversas tanquam veras profiteri coactus est, nimirum. I. *Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ a Papali potestate, sunt ab ipso Chri-*

Christo, quantum ad institutionem & collationem primariam: A Papa autem & ab Ecclesia, quantum ad limitationem, & dispensationem ministerialem. II. *Hujusmodi potestates sunt de Jure Divino, & immediate a Deo institutæ.* III. *Invenitur in Sacra Scriptura, Christum Ecclesiam fundasse, & potestates alias a Papali expresse ordinasse.* IV. *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto, & Ecclesia Catholica.* V. *Ex textu Evangelii & doctrina Apostolorum habetur expresse, Apostolis & Discipulis a Christo missis, auctoritatem Jurisdictionis fuisse collatam.* VI. *Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive sint Curati, esse immediate a Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati.* VII. *Aliqua potestas, scilicet potestas Ecclesiæ, de Jure potest aliquid, & in certis casibus contra summum Pontificem.* VIII. *Quicunque purus viator habens usum rationis, cujuscunque dignitatis, auctoritatis, aut præeminentiæ, etiamsi Papalis existat, simoniam potest committere.* Hæc Mense Martio currentis anni gesta fuere. Sæcul. XV. A. C. 1430.

§. LXXIX.

Thomæ Waldensis Carmelitæ obitus.

Auctoris longe celeberrimi obitum silentio

Sæcul. XV. A.C. 1430.

tio præterire nefas foret. Vita functus est Rothomagi hoc anno die trigesima Novembris Thomas Waldensis, a Walden oppido suo Patrio in Essexia Angliæ Provincia nominatus, & a clarissimis Parentibus Joanne Nettero, & conjuge Mathilde natus. Oxonii literas coluit, & supremi Magisterii laurea insignitus, Carmelitarum ordinem professus est. Ad Pisanam & Constantiensem Synodum orator mittitur, & postmodum Henrico V. a confessionum secretis eligitur, quem Thomas in itinere secutus Rothomagi e vita excessit. Fortissimis doctrinæ armis debellavit Wiclefi errores, adversus quos amplissimum edidit opus sub titulo: *Doctrinale Antiquitatum fidei Catholicæ Ecclesiæ adversus Wiclefistas & Hussitas*, quod Martino V Pontifici dedicatum, ab eodemque approbatum est. * Auctor doctrinam

Dupin. Bibl. Script. tom. 12. p. 18.

---

* *Thomas Waldensis* uno omnium ore *Controversiarum Princeps Perpetuus omnium Hæreticorum Malleus*; & non tam *Waldensis*, quam *Validus Ecclesiæ Ensis* nuncupatus est. Quibus laudibus adstipulatur, de eo scribens Sanctitate & Eruditione præstantissimus Nicolaus Japerius (anno 1472. defunctus post conscriptum opus: *Flagellum Hæreticorum Fascinariorum*, a Joanne Myntzemberg Carmelita apud Nicolaum Basseum editum Francofurti anno 1581.

ctrinam JEsu Christi, Apostolorum & Pa- Sæcul. XV.
trum Ecclesiæ hisce erroribus opponere A. C. 1430.
aggreditur, & S. Scripturam cum tradi-
tione,

1581. in 8.) magnus Fidei inquisitor, ratus pro hoc *Doctrinali* habendo *Sacros* etiam *calices esse vendendos;* quantum vero Martinus V. illud commendaverit, ex sequenti epistola perspici potest.

Martinus Papa V. dilecto Filio Thomæ Waldensi Magistro in Theologia, ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli in Anglia Provinciali. Gratissimum nobis munus accipimus librum tuum, quem adversus Hussitas hæreticos, & eorum perversam hæresin detestabilem doctrinam edidisti; &, sicut nobis asseritur, de tuo ingenio non temere præsumens, examini Magistrorum in sacra pagina subjeciisti. Ex quo devotionem tuam multipliciter commendamus. Primum, quod pro fide & Ecclesia Dei talentum tibi datum a Domino exposuisti, & in opere maxime hoc tempore utili & necessario exercuisti ingenium tuum. Deinde quod de tua Sapientia non confisus expetivisti etiam aliorum judicium humiliter & prudenter. Delatus autem & per manus dilecti filii *Joannis Kenyngale* Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli Magistri in Sacra pagina nobis Liber ipse fuit præsentatus in tempore, quando scilicet Venerabilis Frater noster Jordanus Episcopus

Alba-

Sæcul. XV. A. C. 1430.

tione, atque Universalis Ecclesiæ, ac Conciliorum testimoniis felici fœdere jungit. His principiis suffultus falsa Wiclefi dogmata

Albanensis, quem cum pleno legationis officio ad hanc perfidam & crudelem hæresin extirpandam transmisimus in Germaniam, erat de urbe recessurus. Itaque dedimus illi hunc librum, ut cum Magistris in Theologia, quos secum ducit, utatur ipso in casibus opportunis ad instructionem veritatis, & confusionem falsitatis hæreticæ, Gratulare igitur, Fili dilecte, de labore tuo, qui gratus est Deo, & ejus Ecclesiæ fructuosus; a quo gratiam intellectus, & scientiæ recepisti. Nostra præterea intentio est, oblata oportunitate, honorare virtutem tuam remuneratione condigna. Cœterum id quod restat in materia de Sacramentis simili studio, diligentiaque perficias, & ad nos, cum perfeceris, cures similiter destinare. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die prima Aprilis, Pontificatus nostri anno nono.

Haud parcior erat Martinus in elogio secundi voluminis de Sacramentis, Waldensi nostro sequentia perscribens.

Placuit primo nobis opus, quod edideras contra Hussitas hæreticos, teque fuimus hortati, ut id, quod restabat, in materia de Sacramentis simili perficeres studio & diligentia: quod te fecisse

mata egregie refutat, utpote qui antiquorum Hæreticorum vestigia premens, sub obtentu soli S. Scripturæ deferendum esse, traditionem, & auctoritatem Ecclesiæ rejiciebat. Doctissimo huic Carmelitæ plura alia adscribuntur opuscula typis necdum excusa. Sæcul. XV. A. C. 1430.

§. LXXX.

Structæ Duci Venetorum insidiæ.

Eodem anno Franciscus Foscarus Venetorum

---

cisse gaudemus, & tuum studium utile & salutare Ecclesiæ commendamus. Recepimus enim nuper de manu dilecti Filii Joannis (Tacesphali) Ordinis B. M. de monte Carmelo Magistri in sacra pagina, latoris præsentium volumen secundum *de Sacramentis*, quod per solemnes Viros videri, & examinari fecimus, sicut primum, quod pariter fuit ab omnibus commendatum. Ex quo desideramus, ut volumen tertium *de Sacramentalibus*; cum illud perfeceris, nobis mittas. Ceterum ut damnatas conclusiones Wiclefi securius valeas confutare, mittimus tibi Bullam de damnatione librorum prædicti hæretici. Et cupientes quantum possumus, erga te propitiare Dei gratiam, pro cujus caussa laboras, benedictionem nostram dedimus tibi, & omnibus Fratribus tuæ Provinciæ. Datum Romæ apud SS. Apostolos die VIII Augusti Pontificatus nostri anno decimo.

Sæcul. XV. A. C. 1430.

torum Dux inopino casu in maximum vitæ discrimen adducebatur. Quidam enim Andreas Contarinus ob diuturni, satque periculosi morbi violentiam vix non mente captus, atque aliunde ob denegatum sibi in Adriatico sinu imperium exacerbatus, internum animi sui rancorem in ipsum Ducem effundere meditabatur; idcirco cum Dux quadam die Missæ Sacrificio adstiturus, e Senatu descenderet, prætereuntem Contarinus præstolatur, atque ictu sclopeti manualis pectus petit, eum abs dubio occisurus, nisi Senensium Orator forte Ducem comitatus, tam dextre sclopetum excussisset, ut minoris plumbi globus duntaxat Ducis faciem levi impulsu perfricaret. Sicarius mox comprehensus, morti addictus, ejusque corpus manu prius resecta in excelso Palatii suspenditur.

Sabell. 3. Dec. 1.

§. LXXXI.

Oratores a Joanne Palæologo rursum ad Papam ablegati.

Interea Joannes Palæologus Græcorum Imperator assiduis Turcarum victoriis oppressus, ut Hungarorum opem imploraret, ipsus illuc venire compellebatur; cum vero Sigismundus, utpote contra Hussitas Sileliam, & vicinas Bohemiæ Provincias misere devastantes bello implicitus,

plicitus, ejus precibus annuere haud poſſet, Palæologus rebus ſuis melius conſultum iri ratus, cum Martino V. Pontifice pacta antehac conventa renovare ſtatuit; quapropter novos ad eundem Oratores ablegat, dato negotio, ea, quæ pro Synodo Conſtantinopoli celebranda ſancita fuiſſent, effectui dare poſtularent. Attamen cum Pontifex jamjam Concilium Baſileæ cogendum indixiſſet, nec duo Concilia ſimul uno eodemque tempore haberi, rationi congruum exiſtimaret, Græcos ſollicite admonuit, ut Baſileenſe accederent, ſumptibus itineris ultro eisdem oblatis. Nullatenus equidem Imperatori hæc Pontificis declaratio arridebat, immoderato tamen Turcas reprimendi ardore devictus aquievit. Verum Pontifice paulo poſt mortalitatem exuente, nova ſuborta ſunt obſtacula. Sæcul. XV. A. C. 1430.

§. LXXXII.

Julianus Cæſarinus Cardinalis, Legatus in Germania adverſus Huſſitas.

Huſſitarum exercitus, poſtquam Sileſiam, & Miſniam devaſtaverat, rabiem ſuam ad ipſum quoque Bambergenſem Epiſcopatum, & Norimbergenſium ditionem extendiſſet, niſi ambo data ingenti pecuniarum ſumma deprædationis *Cochlæus l. 6.*

Sæcul. XV. A. C. 1430.

pœnam redemiſſent. Martinus V. Pontifex percepta hac nova irruptione, per Cardinalem Julianum Cæſarinum Virum doctiſſimum, & rerum experientia inſignem contra hoſce hæreticos alteram ſacram expeditionem promulgavit, & per Bullam die undecima Januarii hujus anni datam dictum Cardinalem Legatum *a latere* in Germania creavit, ubi jam per aliquot tempus apud Sigismundum Imperatorem ad belli hujus negotium promovendum morabatur. Die vigeſima prima Martii ſacrum bellum indictum fuit, primum Norimbergæ, ubi omnes Electores & Principes Imperii tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares congregati fidem dabant, ſe validiſſimum exercitum inſtructuros, quo ad proximum S. Joannis feſtum in aciem educto pollicebantur, ſe Huſſitarum omnia ferro flammaque devaſtantium furorem, ac undique terrorem incutientium impetus repreſſuros. Nihilominus Catholici nec in hoc bello meliore fortuna, quam antea, uſi ſunt.

§. LXXXIII.

Idem Julianus Baſileam ad Concilium ablegatus.

Bullar. to. 1. Mart. V. Conſt. 14.

Cum interim Martinus Papa tam monitis, quam doctrina Eccleſiam adverſus hoſce hæreticos præmuniret, tempus cele-

celebrandæ Basileensis Synodi appropinquabat; hinc Julianum Cardinalem hujus urbis Legatum *a latere* nominat, cui etiam suas supplere vices præcipit, eique plenam Synodum habendi auctoritatem concedit; ipse enim Romæ morbo detentus, Præsidis partes suscipere haud poterat. Injunctum quoque Legato, collatis cum Patribus consiliis ea omnia decerneret, quæ expedire judicaverit pro conservatione ac augmento fidei, pro statu Ecclesiæ, reformatione Cleri, Unione Græcorum cum Latinis, extirpatione hæresum, præcipue Hussitismi, pro libertatum Ecclesiasticarum defensione, pro pace ac tranquillitate Regnorum, Principum, ac Populorum, prout susius legitur in Bulla, quam Pontifex prima die Februarii dedit, & vigesimo ante mortem suam die Juliano Cardinali transmisit. Sæcul. XV. A. C. 1431.

§. LXXXIV.

Martini V. Pontificis obitus.

Inter hæc summus Pontifex, cum tam pia, tamque Christianæ Reipublicæ proficua concepisset consilia, Romæ apoplexia tactus, die vigesima Februarii rebus humanis eripitur, postquam annos sexaginta tres natus Pontificatum tredecim annis, tribus mensibus, ac duodecim diebus tenuisset. Corpus ejus in Basili- *Platina, Ciaconius, & S. Antoninus Chron. tit. 22. c. 8. §. 3.*

Sæcul. XV. A. C. 1431.

ca S. Joannis in Laterano ante Aram, ubi capita SS. Apoſtolorum Petri & Pauli repoſita ſunt, ſepultum quieſcit. Ex omnium Scriptorum teſtimonio Pontifex iſte plurimis virtutibus reſplenduit: Reddidit etiam Eccleſiæ unionem, Italiæ pacem, & Romanæ urbi priſtinum ſuum ſplendorem. Nonnulli tamen lucri cupidum conviciantur, quos tamen valide redarguit S. Antoninus, palam teſtatus, cunctas facultates ab eo adverſus Eccleſiæ hoſtes, atque ad reſtaurandas Eccleſias, Urbemque pluribus ædificiis augendam quam utiliſſime, impenſas. Platina infractum hujus Pontificis animum, ſummopere commendat, eoquod funeſtam mortem duorum, utut ſibi cariſſimorum Fratrum (quorum unus natu major Jordanus Princeps Salernitanus peſte, alter junior Laurentius in quadam turri flammis extinctus eſt) æqua, ac prorſus immota mente tuliſſet, & nihilo ſecius rebus Eccleſiæ conſtanti ſollicitudine inſudaſſet.

§. LXXXV.

Eugenius IV. Papa electus.

Onuphr. de Rom. Pontif.

Juſtis Martino V. perſolutis, Sacra Sedes decem duntaxat dies vacabat. Prima Martii nonniſi quatuordecim Cardinales conclave ingrediuntur, nam quinque ex Collegio aberant, præter alios qua-

quatuor, qui a Papa defuncto creati qui- Sæcul. XV.
dem, necdum denunciati erant. Spon- A.C. 1431.
danus refert, quod altero post hujus obitum die Successor electus fuerit: Dupinus autem hanc electionem usque ad quartum Martii protrahit. Igitur Cardinales eligunt Gabrielem Condulmerium Venetum, cujus Pater nomine Angelus Gregorii XII. ex Sorore nepos erat. Hic ex Canonico Congregationis S. Georgii in Alga a Gregorio Papa primum Protonotarius Apostolicus, postea Thesaurarius, dein Episcopus Senensis, & demum Cardinalis renunciatus, sub Martino V. Marchiæ Anconitanæ Legatione functus est, tandem nomen Eugenii IV. & die undecima Martii Pontificiam coronam accepit, anno ætatis quadragesimo octavo. Narrant Historicorum nonnulli, Cardinales, antequam ad electionem procederent, statuisse inter se, ut imposterum in literis Apostolicis apponeretur: *De consensu Fratrum nostrorum*, cum prius solum fuisset additum: *De consilio*.. Adhuc alios condidisse articulos dicuntur, scilicet, ut Papa non posset creare novos Cardinales absque consensu antiquorum, item ut media Patrimonii Ecclesiastici pars in sustentationem & stipendia Cardinalium impenderetur. S. Antoninus tit. 22. cap. 10. qui fæpenumero Papam convenerat, illius

Sæcul. XV. A. C. 1431.

charitatem, ardorem, ac zelum præclaris celebrat elogiis.

§. LXXXVI.

Seditiones Romæ ad initium Pontificatus.

Platin. in Eugen. IV. Blondel. 3. Decad. 4.

Post hæc populus nimium credulus ad infaustum Pontificatus omen referebat eclypsin Solis, quæ eodem, quo obiit Martinus V. die contigerat, ac si non tam illius mortem, quam temporum sub Eugenio calamitatem, ac imminentia mala denuntiasset. Huic accessit, quod Eugenius in primo, quod publice celebrabat, Consistorio fatiscentibus ob innumeram pene populi frequentiam trabibus, tam insolitus timor omnes adstantes incesserit, ut fugientium pedibus quidam Episcopus omnino obtritus perierit. Demum Pontificatus initio Columnenses Martino V, sanguine juncti seditionem civilem Romæ suscitarunt, arrepta occasione ex immenso thesauro, quem Papa defunctus reliquisse dicebatur. Quapropter Stephanus de Columna arma sumit, & manibus utrinque consertis Romam cædibus funestat. Verum qui prior vim intulerat, devictus terga vertere cogitur. Paulopost Masius Presbyter ex Ord. FF. Minorum, qui Eugenium ad requirendum prætensum thesaurum impulerat, manifestis testimo-

stimoniis convincitur, quod per summam perfidiam Pontificis vitæ insidias struxerit, quinimo arcem S. Angeli proditorum more Columnensibus tradere voluerit; hinc in vincula conjectus, a quatuor equis raptatur, ejusque corpus quadrifariam disceptum in quatuor celebrioribus urbis regionibus appensum exponitur. Sæcul. XV. A. C. 1431.

§. LXXXVII.

Legatio Cardinalis S. Angeli a Pontifice confirmata.

Eugenius Papa altero statim post coronationem die bina a suo Prædecessore bene cæpta perfecit negotia, nempe bellum contra Hussitas, & Basileensis Synodi convocationem. Hunc in finem Cardinalem Julianum in dignitate Præsidis præfati Concilii confirmavit, eidemque per literas die trigesima Maji datas præcepit, ut compositis circa Hussitas in Bohemia rebus illico Basileam tenderet; non enim alium Legatum eo mittere necessarium judicavit, eoquod pauci admodum Prælati pro tunc Basileam venissent. *Labb. Conc. tom. 12. p. 469.*

§. LXXXVIII.

Cardinalis Præsidis locum deputatis committit.

Cum vero Martinus V. in sua Bulla huic Car- *In Conc. Basil. Sess. I.*

Sæcul. XV. A. C. 1431.

Cardinali in locum suum alios substituendi potestatem concessisset, si forte ipsus Præsidis partes agere impeditus foret, ideo Joannem Polmarum Capellanum Pontificium, & Auditorem S. Palatii, itemque Joannem de Ragusio Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctorem, & Procuratorem Generalem Ordinis FF. Prædicatorum designavit, qui ejus nomine Consilio præsiderent.

§. LXXXIX.

Germanorum exercitus ad conspectum Hussitarum fugatus.

Æn. Sylv. hist. Boh. c. 48.

Itaque Cardinalis, ne sua absentia celebrationem Concilii retardaret, Basileæ suas vices aliis committere debuit, inde vero in Bohemiam pergens, secum duxit exercitum plus quam quadraginta millium Equitum Germanorum, non computatis æque numerosis peditum copiis. Primo quidem Fridericus Brandeburgicus Elector hujus exercitus Dux oppidum Detapha oppugnare adorsus est. Milites ejus acceptas ab hostibus clades ulturi, crudelem in modum desæviebant, nec habita sexus, aut conditionis ratione passim cunctos trucidantes. Postquam vero Germani Hussitas imminere comperissent, eorum animos tam subitus pavor invasit, ut una omnes turpissimam

Michov. lib. 4 c. 52.

fugam

fugam caperent, nequicquam Cardinale eos ad pugnandum, hoſtemque ſtrenue excipiendum cohortante. Eo ex tempore Curiæ Romanæ Miniſtri haud amplius ad Bohemicum bellum copias obtinuere. Equidem Albertus Auſtriæ Dux paulo benigniore fortuna in Moravia utebatur; Moravos enim ejus imperio ſeſe ſubjicere, ac parere compulit, injuncta lege, ut circa Religionem id tenerent, quod Baſileenſe Concilium decerneret; Quia vero Germanorum fuga Cardinali imputabatur; hic calumniam abſterſit, datis ad Papam literis, quas ad noſtra usque tempora delatas Æneæ Sylvio in acceptis referimus. Memorant nonnulli, copias præcipiti adeo fuga diſperſas, ut caſtra cum toto belli apparatu hoſtibus in prædam ceſſerint, & ipſa Legati Crux, atque veſtimenta ab Huſſitis occupata, ludibrio, & irriſionibus expoſita fuerint. Sæcul. XV. A. C. 1431.

§. XC.

Huſſitæ Baſileam Deputatos mittere rogati.

Extrema Papæ, ac Sigismundi Imperatoris ſpes in Synodo poſita erat; cum etenim probe perſpectum haberent, quod hoſce Bohemiæ hæreticos armorum vi compeſcere non poſſent, cum Catholicorum copiæ infauſtis ſemper prœliis dimicas- *Cochl. hiſt. Huſſit. l. 6.*

Sæcul. XV. A. C. 1431.

micassent, de opportunis deliberarunt mediis, quibus illi ad gremium Ecclesiæ, & debitam obedientiam reducerentur, præcipue eos adhortando, ut deputatos ad Basileensem Synodum mitterent. Imperator illos datis invitavit literis, genio hujus nationis valde accommodis, dicens: *Se natione Bohemum nulli genti magis quam suæ affectum . . . cujus honestandæ sibi maxima semper cura fuisset*, postea in memoriam suorum popularium revocat, pacatum regimen, quo *ejus frater, Pater, & avus apud eos regnassent, nec se alia lege regnaturum, quam ceteros Christianos Reges.* Addit, se Romam non modo petiisse, ut coronam Imperialem susciperet, sed ut pristinam fiduciam apud eos sibi integram recuperaret, & per suam absentiam omnibus & singulis, præcipue vero suis Bohemiæ subditis, plenam relinqueret Basileam ad proximam Synodum eundi libertatem, ibique, quamdiu eis visum fuerit, commorandi. Permisitque illis, ut tali sub præsidio adirent Concilium, quali ad integram securitatem opus fore judicaverint.

Æn. Sylv. hist. Boh. c. 49.

§. XCI.

Hussitarum sententia circa iter Basileense.

Haud immerito Imperator suspicabatur, Hussitas Basileense iter detrectaturos,

ros, quæsito timoris obtentu, ne & ipsi eadem, quæ Joannes Hussus, & Hieronymus Pragensis, experiri cogerentur; quapropter Sigismundus præcipuum hunc obicem tollere, in suis literis sollicite adlaborabat, ac nihil non agebat, ut eos ab hoc metu plene liberaret. Valuitque successus; quamvis enim Orphani veteris regulæ, qua illis Ziscba Synodum quocunque pacto accedere dissuaserat, memores, hoc præceptum omnino sequi parati essent, nihilominus Taboritæ, Cives, ac populus, utpote Orphanis suffragiorum numero potiores prævalebant, ac in quodam Hussitarum conventu hanc in rem coacto solemnem Legationem ad Synodum mittere decernebant, hac ratione moti, eoquod, nisi Concilio, quod universalem Ecclesiam repræsentaret, dictorum, factorumque rationem redderent, atque omnia media ad sedandos Bohemiæ tumultus, & revocandam pacem opportuna adhiberent, non sine gravi, ac verosimili fundamento argui possent, se semetipsos ab Ecclesia separasse, atque avitam Majorum suorum fidem novis erroribus corrupisse.

Sæcul. XV. A. C. 1431.

§. XCII.

Sæcul. XV. A.C. 1431.

§. XCII.

Virgo Aurelianensis Rothomagum perducta, atque ad rogum damnata.

Gerson. to. 2. Jean. Chartier hist. de Charles VI.

Hucusque Joanna D'Arcia, vulgo Puella Aurelianensis dicta, semper tanquam jure belli capta habebatur; non enim severiori in eam pœna animadverti poterat, absque violati juris gentium nota. Verum Angli toties se a puella victos indignati, pudore in rabiem verso illius gloriam, a qua persæpe confusione replebantur, haud ultra sustinere poterant, seque suum honorem, si Victrici infamiæ notam inurerent, reparaturos arbitrati sunt. Id ut consequerentur, Universitatis membra, quæ, parvo licet numero, Parisiis adhuc morabantur, convocant, eo fine, ut libello confecto hanc Puellam ultimo supplicio tollendam a Rege expoſcerent. Posthæc Rothomagum eam abduci jubent, magiæ ac hæresis illam insimulantes. Ubi cum Episcopus Bellovacensis eam interrogaret, *Utrum in statu gratiæ esset?* Respondit: *Hem! quis hoc scire poterit? Si in gratia sum, Deus me in ea conservet, si non sum, me Deus, ut sim, adjuvet.* Cum vero quidam Religiosus, ut dæmonem ab illa sacra divini nominis adjuratione fugaret, studiose accitus,

citus, frequenter signum Crucis super eam efformasset, *Pater mi*, inquit, *propius accedere ne timeas, non inde avolabo.* Tandem post multas quæstiones, & confecta judicii acta, necnon auditos falsos testes Episcopus eam hæreticam esse declarat, ac Rothomagensis Magistratus sæcularis judicio tradit, a quo ad rogum damnata, viva igne cremata est. Sæcul. XV. A.C.1431.

§. XCIII.

Virginis fama restituta, ejusque innocentia a Pontifice vindicata.

In extremis vitæ momentis Virgo gloriam suam, ac animi constantiam omni tempore comprobatam luculentius testari videbatur. Non magis ultimi supplicii sententia eam terrebat, quam olim numerosa hostium agmina, quæ tam gloriose fudit, fugavitque. Patientiam ac mansuetudinem, quæ christianam decet, feliciter consociavit imperterritæ, ac oppido raræ animi fortitudini, mors non illi videbatur esse mors, sed optatus malorum terminus, & futuræ felicitatis auspicium; hinc pacata mente annos duntaxat unum & viginti nata vivere desiit, cum prius tamen Gallos ad obsequium Regis adhortata, Anglis vero divinam Nemesin comminata fuisset. Gersonius, qui illustrem hanc noverat Amazonem, missio- *Monstrelet. 1. vol.*

Sæcul. XV. A. C. 1431.

missionem, ejusque gesta in quodam suo tractatu vindicavit. Guilielmus Flaviacensis oppidi Compendii Præfectus, cujus proditione Anglis vendita creditur, ab uxore sua noctu in lecto suffocatus est; Calixtus III. Pontifex die septima Julii Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto per Commissarios a se speciatim deputatos, facta sententiæ in eam latæ recognitione declaravit, *dictos Processus, & sententias dolum, & calumniam, jurisque & facti errorem continentes nullas esse*, ejusque Innocentiam testatam fecit, ac nomen ab omni macula, ac infamia purgavit, declarans, illam pro Religione, Rege, ac Patria mortem oppetiisse. Quorumdam Historicorum fide constat, Petrum Cauchonium Bellovacensem Episcopum, qui Virginem brachio sæculari tradidit, a Pontifice excommunicatione fuisse perculsum, sed eundem tempore Callixti III. jam fatis functum fuisse verisimile est. Id tamen omnino certum, miserrime eum periisse, dum ei barba tonderetur. Cernitur adhuc nostro tempore Rothomagi in loco, ubi hæc Virgo combusta fuit, crux ibidem erecta.

§. XCIV.

Anglorum res in pejus versæ.

Ex quo Puella ultimo supplicio sublata fuerat, Anglorum res identidem in pejus

pejus verſæ ſunt. Pellebantur Montargio, quod antea proditione cujusdam puellæ, quæ Præfecti tonſorem deperibat, ex inſidiis occuparunt; Rediit etiam Carnutenſis civitas in Gallorum poteſtatem, & quidem arte cujusdam aurigæ, qui merces in urbem vehebat; ubi Episcopus Joannes de Fitigny, Burgundiæ Duci ſummopere addictus, arma manibus ſuis tenens in gradibus Eccleſiæ Cathedralis necatus eſt. Sæcul. XV. A.C. 1431.

§. XCV.

Henricus VI. Pariſiis Rex Galliæ coronatus.

Interea Angli exiſtimantes, quod ex adoleſcentis Regis ſui præſentia ſociis novi accederent animi, eundem Lutetiam Pariſiorum advocant, illumque die vigeſima ſeptima Novembris hujus anni in Eccleſia majori B. Virginis Regem Francorum coronant; ut vero Burgundiæ Ducem, qui jamjam cum Gallis fœdus inire meditabatur, ſuis quoque partibus addictum conſervarent, eidem Comitatuum Campaniæ & Briæ donationem confirmant. *Monſtrelet. Joan. Chartier. l. c.*

§. XCVI.

Sæcul. XV. A.C. 1431.

§. XCVI.

Trimollius cuſtodiæ datus.

Jean Chartier. hiſt. de Charles VII

Hucusque Trimollius plurimum gratia, atque auctoritate apud Regem valebat, qua ad concitandam juvenis hujus Principis indignationem in Conneſtabilem, aliosque plures Aulicos ſolerter utebatur; quocirca tantam ſibimetipſi conflavit plurimorum invidiam, ut in caſtro Chinonenſi, ubi cum Carolo VII. agebat, ducenti milites clam introducti illum e lecto extraherent, atque adacto in ventrem gladio in arcem Montheſaurenſem ſaucium, captumque deducerent. Regina, cum facinus ea conſentiente peractum eſſet, Regis iram placare ſatagebat, non ſine optato ſucceſſu; cum enim Rex absque cujusdam clientis in paucis cari conſortio vivere haud poſſet, in amiſſi Trimollii locum Carolum Andegavenſem Cenomani Comitem Regis benevolentiæ commendare, ac ſubſtituere conabatur. Ceterum Trimollius non niſi ea lege libertatem ſuam redimere poterat, quam ut oppidum Thoracium, quod uſurpaverat, Regi reſtitueret; cumque Turonii comitia ſtatuum agerentur, Carolus omnia adverſus Trimollium geſta ibidem rata habuit.

Monthreſor

§. XCVII.

Sæcul. XV. A. C. 1431.

§. XCVII.

Controverſa in Lotharingiæ Ducatum ſucceſſio.

Anno præcedente Carolus Lotharingiæ Dux, cum ſine prole maſcula decederet, nullum ſtatus ſui hæredem reliquit: Inde acerrima de ſucceſſionis jure contentio mota eſt inter Antonium Valdemontii Comitem defuncti Ducis fratrem, & Renatum Andegavenſem, qui jam antea Barrenſem Ducatum obtinuerat. Antonius Lotharingiam ad maſculos tantum devolvi contendebat; Renatus vero, qui Iſabellam Caroli filiam tertio genitam matrimonio junctam habebat, uxorio nomine ſuccedendi jus prætendebat, eoquod reliquæ duæ Caroli Filiæ hæreditati paternæ renunciaſſent. Burgundiæ Dux, cum Andegavenſem Domum ſibi ſuisque plusquam vatiniano odio infenſam omni conatu inſectaretur, Antonio ſuppetias venit, accito etiam Sabaudiæ Duce, quocum fœdere junctus erat. Igitur Valdemontius horum copiis auctus, inter Bunevillam, & Novum-caſtrum in Lotharingia prælium committit, fortuna adeo ſibi propitia, ut Renati exercitum ingenti clade profligaret, Barbazana inſigni Belliduce in acie occiſo, ipſoque Renato capto, qui Divionem ad Burgun-

Sæcul. XV. A.C. 1431.

diæ Ducem delatus, usque ad Annum Domini milleſimum quadringenteſimum trigeſimum ſeptimum captivus detinebatur.

§. XCVIII.

Cardinalis S. Crucis in Italiam reverſus.

Cum intra hunc annum Eugenius Papa Cardinalem S. Crucis, alias Albergatum dictum, in Gallias ablegaſſet, ut pacem inter utrumque Regem conciliaret, is vero, cum animos ad concordiam revocare deſperaret, in Italiam remeavit. Neque enim poſt importunas, easque repetitas preces, totque labores, ſumptus, ac propriæ vitæ pericula haud amplius impetrare poterat, quam ut ſex annorum induciæ decernerentur; ſed & illæ paulo poſt ab Anglis violatæ fuerunt, quamvis hi culpam in Francos conjicerent. Furor autem bellandique libido, quæ utramque nationem invaſerat, licet Anglorum res ſemper in deterius ruerent, Cardinalem compulit, ut Galliis excederet, relicta apud omnes magna ſui veneratione, recuſatisque cunctis utriusque Regis muneribus, atque beneficiis.

§. XCIX.

§. XCIX.

Sæcul. XV. A.C.1431.

Regis Caſtellæ victoria de Mauris reportata.

Hoc item anno Caſtellæ Rex bellum contra Mauros Granatenſes in Hiſpania, eoquod tributum alias ab eorum Rege præſtitum ei denegaſſent, felicioribus auſpiciis geſſit; quippe inter alias, pluresque victorias contra eos reportatas celeberrima fuit, qua primo die Julii in loco, cui a *Ficu* nomen, in prælio ſupra decem millia Maurorum interemit, pauciſſimis ſuorum deſideratis. Valuiſſet proſpero hoc ſucceſſu opportune uti, & Granatam urbem nullo ferme negotio capere, maxime cum inter ipſos Mauros diſſidium ferveret, niſi Alvarus de Luna, qui in hac regione rerum ſummam moderabatur, auro Maurorum corruptus, recuperandæ urbi obſtaculum poſuiſſet. *Marian. l. 21 c. 3. & 4.*

§. C.

Theſſalonica occupata a Turcis.

Amurates Turcarum Imperator in menſe Auguſto in Macedonia Theſſalonicam occupavit. Urbs hæc, quam Græci aliquot ante annos, cum illam contra Turcas ſe tueri poſſe diffiderent, Venetis vendiderant, præ reliquis Græciæ civitatibus, & amplitudine, & divitiis cele- *Leunclav. l. 14.* *Chalcond. lib. 5.*

Sæcul. XV. A.C.1431.

berrima est, cui ingentem quoque splendorem addidit Sedes Archiepiscopalis, quæ ibidem ab Innocentio III. Papa restituta est, postquam cives capta a Gallis Constantinopoli sacrarum expeditionum tempore ad Sedis Apostolicæ obsequium redibant. Præcipue vero hujus urbis gloriam auget, quod S. Apostolus Paulus in ea commoratus, fidem Christi prædicasset. Hanc itaque Turcæ hoc anno diripuerunt, compluribus civium trucidatis, aliis vero divenditis, in quorum locum Ottomani succesſere, civitati deinceps nomine *Salonicæ* impositio. Veneti, qui in præsidio erant, per navigia, quæ in portu hærebant, fuga elapsi aliquamdiu bellum continuabant, sed Turcæ hujus Urbis imperium adhucdum retinentes, eam totius Græciæ longe celeberrimam reddiderunt.

§. CI.

Græcorum Legati Constantinopolim reversi.

Phranz. l. 2. c. 13.

Mense Julio currentis anni redeunt Constantinopolim Legati a Joanne Palæologo Græcorum Imperatore ad Papam missi. Erant vero ii Marcus Jagre ex Palæologorum genere, Proto-vestiarius; Connestabilis; magnus Archimandritarum Protosyngelus, seu Præfectus; Basili-

Basilicæ monasterii Pantocratoris, seu Omnipotentis Superior; & Mauritius Hiero-Monachus, qui Imperatoris conscientiam moderabatur. Ex quo elucet, quantum ea res cordi esset Joanni Palæologo, quam tamen eidem olim Emanuel ejus Pater, antequam moreretur, vehementer dissuaserat. Tanto quippe desiderio peroptabat ambas Ecclesias una fide conjungi, quanto Turcæ easdem dividi cupiebant. Aliunde vero probe cognoverat, Græcos suis opinionibus tam pertinaciter inhærere, atque a concordia cum Latinis ineunda tantopere aversos, ut schismatis incrementum potius formidandum, quam ejus extinctio speranda foret. Ceterum hi Legati, ubi Romam delati sunt, Martino V. jam fatis functo ad Papam Eugenium se converterunt, in quo tamen non eandem, quam in Prædecessore suo, facilitatem, ac affectum experti sunt. Sæcul. XV. A.C. 1431.

§. CII.

Amuratis Victoriæ.

Amurates capta Thessalonica victricibus suis armis omnem circumcirca regionem usque ad sinum Corinthium incredibili velocitate in suam redegit potestatem. Joannes Castriota Epiri (hodie Albaniæ) Rex, cum tam potenti inimico *Chalc. hist. Turca. l. 5.*

Sæcul. XV. A.C.1431.

mico impar esset, pacem sub durissimis conditionibus ab eo extorsit, cessit enim Crojam, civitatem munitissimam, deditque Filios suos obsides, quorum natu minimus nomine Georgius, ob formæ, corporis, ac ingenii sui præstantiam adeo dextre gratiam ac benevolentiam Amuratis captavit, ut primariis Aulæ suæ Ministris adscriptus, nobilissimis quoque belli officiis præfici meruerit. Hic ipse est, qui Scanderbegus, hoc est Alexander Dominus vocatur, cujus vitam quidam Presbyter Epirota coævus, nomine Martinus Barletius, latine conscripsit: Aliam vero ejusdem historiam Pater Poncetus Jesuita anno MDCCIX. Gallico idiomate edidit, & vix ullus reperitur Auctor cujuscunque Nationis, qui non egregia illius nominis ac gestorum memoria suas lucubrationes nobilitare percupiebat.

INDEX

INDEX
TOMI XXVI.
CONTINUATIONIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

A.

Ægydius Munio Antipapa Benedicti XIII. succeſſor. *Pagina* 519. Papatum ſolemniter abdicat. 570. ſe vero Pontifici ſubmittit. 573. ab eo Majoricenſi Epiſcopatu honoratur. 574.

Ægypti Sultanus Cyprum occupat. 542.

Alliacenſis. Vide *Petrus de Alliaco*.

Alphonſus Arragonum Rex. Vide *Arragonia*.

Albergatus Nicolaus. Vide *Cardinalis S. Crucis*.

Amurates Mahometis I. ſucceſſor. 497. ejus victoriæ. 645.

Angelus Corrarius. Vide *Gregorius XII.*

Angli bellum in Gallos movent. 188. Huneſlotum capiunt. 189. diſſidia eorum cum Arragonenſium Legatis ob ſedis præ-

rogativam. 256. 251. totam ferme Normanniam ſubigunt. 315. Rothomagum occupant. 434. Pax eorum cum Gallis. 455. a Delphino profligati. 477. Rex in Angliam reverſus. 479. ab Eremita bellum ponere monitus. *Ibid.* Montargium Angli fruſtra obſident. 524. Gallos cædunt. *Ibid.* & 525. Iberium capiunt. *Ibid.* Aureliam obſident. 565. Gallos in fugam agunt. 548. Ulterior obſidionis Aurelianenſis relatio. 595. rurſus Gallis ingentem cladem inferunt. 597. Aureliæ obſidionem ſolvere coguntur. 601. a Gallis cæſi. 604. Compendii obſidionem ſolvere coacti. 613. 615. Puellam Aurelianenſem capiunt. 614. Anglorum res inclinatæ. 638.

Annatæ, de illis controverſia. 338. ab aliis propugnatæ, a Gallis rejectæ. 340. 341. & ſeq. a Burgundiæ Duce reſtitutæ. 419.

Antonius Maſſanus Ord. S. Franciſci Miniſter Generalis pro unione Græcorum Conſtantinopolim miſſus. 442. 487. Ejus oratio ad Imperatorem. 488.

Appellatio a Papa ad Concilium prohibita. 392. Gerſonius obſiſtit. *Ibid.* Poloni a Papa ad futuram Synodum appellant. 382.

Argentinenſis Epiſcopus a ſuo Capitulo accuſatus. 185. in ejus cauſſa congregatio habita. 194. 220. Liberari eum, Cæſar rogat. 234. in Synodo comparet. 238. ejus cauſſa coram Papa agitatur. 366.

Armeniaci Comitis mandatum in Synodo rejectum. 293.
Arragoniæ Regis Legatus Constantiæ. 215. Rex moritur. 221. Rex successor scribit epistolam ad Concilium de Legatis Constantiam mittendis. 239. hi Constantiam veniunt. 241. penes Gallos collocantur. 251. Synodum convocant, & in ea Sessionem habent. 252. Sedem vacare negant. 251. cum Papa simultates habent. 377. de liberanda Neapoli cogitant. 447. Rex a Joanna Neapolis Regina adoptatus. 449. cum Ludovico Andegavensi inducias paciscitur. 480. Urbes captas recuperat. 481. a Papa Neapolis Rex agnosci postulat. 481. repulsam fert. 481. Ejus adoptio a Neapolis Regina rescinditur. 505. 507. Massiliam capit. 507. Corpus S. Ludovici Tolosani inde auffert. 508. mortuo Benedicto XIII. Antipapam eligi jubet in odium Martini V. Papæ. 519. 520. Ejus postulata a Legato Pontificio, 531. anathemate perculsus. 540. Fuxiensis Cardinalis ad eum missus. 554. benigne ab eo exceptus. 555. Offensum Regis animum placat. 555. quæ a Legato postulaverit Rex? 557. ejus petita Legatus Pontifici significat. 559. Papa ferme cuncta concedit. 560. Legato alloquium denegat. 567. tandem ei omnia postulata concedit. 569.

Atrebatenſis Epiſcopus. Vide *Martinus.*
Aurelia ab Anglis obſeſſa. 565. 595. liberata. 601.
Aurelianenſis Dux ab Anglis captus. 192. Puella Aurelianenſis. Vide *Puella.*
Azincurtii Galli ab Anglis cæſi. 191.

B.

Balthaſar Coſſa. Vide *Joannes XXIII.*
Barenſis Cardinalis obitus. 177.
Baſilea, Concilium Senenſe eo translatum. 500. 501.
Bavariæ Duces mutua diſſidia fovent. 311. ea componere Imperator conatur. 330.
Benedictinorum reformatio. 270. 275. Eorum capitulum Peterhuſii. 270. duplex eorum congregatio. 212. duo Benedictini Paniſcolam ad Benedictum XIII. miſſi. 273. eorum relatio. 277. Prioris Lucernenſis ſicaria cædes. 367.
Benedictus XIII. ad cedendum ſollicitatus. 120. Synodus eum condemnat. 121. Perpinianum redire recuſat. 166. ibidem cum Cæſare agit. 177. ceſſionis conditiones proponit. 197. Caucoliberim fugit. 198. Inde Paniſcolam. 199. ſemper pertinax. 198. 199. 372. Reges, & Principes ab eo deficiunt. 200. 207. 246. Synodi Patres, & Arragoniæ Regem excommunicat. 208. Neapolitani eum deſerunt. 245. in ejus cauſſam inquiri jubetur. 255.

255. accusationum capita adversus eum producta. 256. 287. in Synodo comparere jussus. 259. Ejus responsum ad Deputatos. 274. citatur a Concilio Constantiam. 276. 299. Ejus caussa continuata. 286. Contumax declaratur. 288. in eum sententia depositionis fertur. 301. Ejus Cardinales ad electionem Papæ admittendos esse decernitur. 336. contumax. 372. per Legatos ad cedendum sollicitatus. 375. depositionis sententia confirmatur. 504. moritur. 517. perperam veneno sublatus creditur. 518. corpus ejus incorruptum reperitur. 518.

S. Bernardinus Senensis adversus Manfredum concionatur. 429.

Bertrandus Vacherius Carmelita in Synodo Constantiensi de necessitate reformandi Ecclesiam perorat. 151.

Bohemi Hussitæ. Vide *Hussitæ*. Hujus regni Nobiles Hussum vindicant. 58. eorum Deputati ad Synodum, audiuntur. 63. Bohemiæ Regnum Poloniæ Regi oblatum. 483. Sed ab eo rejectum. 483. a magno Lithuaniæ Duce acceptatum. 484. Epistola Papæ ad eum, ne Bohemos protegat, adhortantis. 486.

Bononia a Martino V. recuperata. 470. interdicto subjecta. 561.

Brandæ Castellionæi Cardinalis elogium. 486.

Braccius Bellidux a Papa devictus. 425. ejus obitus. 461.

Britan-

Britanniæ Dux captus. 432. liberatus. 433. Ejus aggressores puniti. *Ibid.*
Brunsvicensis Ducis obitus, ejus elogia. 258.
Bulla Joannis XXIII. contra eos, qui Synodi membris vim illaturi essent. 131.
Burgensis Puellæ deliramenta. 148.
Burgundiæ Dux Joannes, causam Joannis Parvi tuetur. 99. scribit ad Cæsarem, & Synodum supra ejusdem propositiones. 100. Regem adire prohibetur. 192. 193. Burgundiones Lutetiam Parisiorum occupant. 396. Dux cum Regina hanc urbem ingreditur. 399. Pragmaticam Caroli VI. qua annatæ supprimebantur, revocat. 419. pacem init cum Delphino. 436. trucidatur ex insidiis. 438. Philippus ejus filius paternæ cædis ultor. 439. 458. item orditur cum Gloucestriæ Duce. 546. Brabantiæ Ducissam gravi bello premit. 565. ab ea hæres nominari, armis extorquet. 566.
Bursfeldiensis Congregatio. Vide *Benedictini.*

C.

Calixtus III. Papa Aurelianensis Puellæ innocentiam vindicat. 637.
Cædes sicaria Prioris Lucernensis Benedictinorum Constantiæ. 367. cædes Joannis Burgundiæ Ducis. 438.
Cæremoniæ in Sigismundi discessu observatæ. 141.

Carraciolus Joannæ Neapolis Reginæ cliens. 443. ab eadem ad Martinum V. Papam missus. 444.

Cardinales a quibusdam Congregationibus excluſi, & quare? 14. Friburgum ad Papam missi, jussa eis data. 19. Brisaccum veniunt. 21. Constantiam redeunt. 24. 44. novam formulam Papam eligendi proponunt. 289. electionem Papæ reformationi præponendam censent adversus Cæsarem. 307. 319. hac de re Imperatoris indignationem incurrunt. 320. de Conclavis loco agunt. 317. necessitatem eligendi Papam demonstrant. 317. Reformationem electioni præponi nolunt. 332. Super quibusdam articulis ante electionem Pontificis jurare compulsi. 348. Quinam conclave pro electione Martini V. fuerint ingressi. 352. Cardinales Benedicti XIII. Synodo aggregati. 372. novi a Martino V. creati. 544.

Capitulationis Narbonnensis articuli. 200. a Synodo confirmati. 206. 208.

Carolina Constitutio a Constantiensi Concilio confirmata. 175.

Carolus VI. Galliarum Rex moritur. 493.

Carolus VII. a suis Rex proclamatus. 495. Fœdus Principum adversus eum. 498. nascitur ei filius. 499. a Bedfordiæ Duce cæsus. 525. Montargii obsidionem solvere jubet, & Cenomanum capit. 564. ab Aurelianensi Puella adjutus. 598. & seq.

Rhemos

Rhemos deductus, ibique unctus. 606. invitam detinet. 607. Parisios frustra expugnat. 609.
Carolus de Dueil quosdam Prælatos dire cruciat. 140.
Carolus de Malatestis. Vide *Malatesta*.
Carolus Lotharingiæ Dux, post ejus mortem de successione in Ducatum contentio, 241.
Castellæ Legati a Benedicto XIII. deficiunt & Constantiam veniunt. 239. ad alloquium admissi. 284. eorum tricæ. 285. 306. Synodo aggregati. 292. Castellani Mauros profligant. 643.
Cistercienses reformati. 533.
S. Claræ Moniales a B. Colleta reformatæ. 534.
Columna. Vide *Martinus V*.
B. Colleta Sanctimonialium reformatrix. 534.
Commissarii in caussa Polonorum, & Equitum Teutonicorum. 49. in caussa Joannis XXIII. 5. 2. 53. ad Joannem Hussum missi. 81. ad caussas fidei nominati. 105.
Communio sub utraque specie. Hoc dubium examinatum. 56. Theologorum sententia circa illud. 97. decretum adversus communionem sub utraque specie. 103. Mauritii Pragensis tractatus contra illam. 368.
Conceptio immaculata B. V., Gersonii sententia. 242. ejusdem opinio de conceptione S. P. Josephi. *Ibid.*

Concilium Colonienſe. 511. ejus decreta. 512.
Concilium in Dania. 538.
Concilium Papienſe. 499. Senas translatum. 500. 501. 504. ac denique Baſileam. 501.
Concilium Salisburgenſe ejus decreta. 463, & ſtatuta. 467.
Concilium Conſtantienſe, circa acta adverſus Joannem Huſſum ſe purgat. 9. Patres inde recedere prohibentur. *ibid.* Seſſio VI. 11. Joannem XXIII. ad Synodum vocant. 12. 27. libellos famoſos damnant. 14. Theologorum diſceptatio de modo concipiendi decreta. 16. abdicationis formulam a Joanne editam rejiciunt. 25. Seſſio VII. 27. Seſſio VIII. 35. Wicleſi articulos damnat Synodus. 36. 41. non ſigillatim eos cenſura perſtringit, & quare? 41. Pacem Polonos inter & Equites Teutonicos conciliat. 49. Seſſio IX. 50. Seſſio X. in qua Joannes contumax declaratur. 54. exauctoratur. 55. Socios Cæſarem comitaturos Concilium eligit. 72. 139. Seſſio XII. 73. in Joannem XXIII. ſententiam depoſitionis promulgat. 73. de electione novi Pontificis agit. 75. Huſſo ſeſe defendendi copiam concedit. 81. 83. 87. Seſſio XIII. decretum adverſus communionem ſub utraque ſpecie. 103. Seſſio XIV. 111. Gregorius XII. Conſtantienſe Concilium legitima auctoritate convocat. 111. 113. Cæſar huic Seſſioni præeſt.

præeſt. 112. ceſſionem Gregorii ratam habet Synodus. 114. 119. An convocatio a Gregorio facta auctoritati hujus Concilii deroget? 113. 114. Seſſio XIV. 115. Plura decreta ibidem perlecta. 116. Seſſio XV. 124. Synodus ſilentium imperat. *ibid.* in Synodalium membrorum aggreſſores pœnam decernit. 131. Synodi geſta in cauſſa Huſſi ab hæreticis reprobata. 135. a Catholicis vindicata. 136. Seſſio XVI. 138. Synodi decreta. 139. In Præſulum aggreſſores pœna decreta. 140. Seſſio XVII. 141. decretum in favorem Angeli Corarii dicti Gregorii XII. 142. Pro ſecuritate Cæſaris. 143. preces indictæ. 144. data epiſtola Bohemi de Joannis Huſſi ſupplicio edocentur. 146. Synodus tres Beatos Sanctorum albo inſcribere a Suecis rogatur. 147. repulſam ferunt Sueci. 149. Seſſio XVIII. 149. Varia ejus decreta. 150. de Turcarum victoriis deliberatur. 151. Seſſio XIX. 171. de valore ſecuritatis literarum decernitur. 174. Patres ſententiam in Huſſum latam vindicant. 175. Caroliuam Conſtitutionem confirmant. 175. Alia decreta conduntur de hæreſibus, & Beneficiis. 176. Seſſio XX. 181. Plurium Principum Oratores auditi. 195. Seſſio XXI. 228. Synodus contra Hieronymum Pragenſem ſententiam pronuntiat. 229. eum ad rogum damnat. 232. Prælatos abeuntes redire com-

compellit. 233. epiſtola Cæſaris ad Concilium. 234. Luſitaniæ Regis Oratores ad alloquium admiſſi. 237. Seſſio XXII. 250. agitur de quinta Natione inſtituenda. 250. Synodus numero celebrior. 254. Seſſio XXIII. 255. in Benedictum inquiri jubetur. 255. Benedictus citatur. 259. Seſſio XXIV. *ibid.* Oratores Comitis de Fuxo adveniunt. 260. Albaniæ Dux Synodo accedere pollicetur. *ibid.* Seſſio XXV. *ibid.* Seſſio XXVI. 261. Navarræ Regis Legati admiſſi. 261. ad Cæſarem propter Huſſitas perſcribunt Patres. 262. Strigonienſis Archiepiſcopi adventus ad Synodum. 268. Seſſio XXVII. 269. Seſſio XXVIII. Sententia contra Auſtriæ Ducem. 272. Seſſio XXIX. Benedictus citatur. 276. Seſſio XXXI. 278. varia decreta. 279. Seſſio XXXII. Benedictus comparere juſſus. 283. 299. Seſſio XXXIV. 290. Seſſio XXXV. 292. Seſſio XXXVI. 299. Seſſio XXXVII. 300. Sententia depoſitionis in Benedictum XIII. lata. 301. Eam approbat Synodus. 302. Seſſio XXXVIII. *ibid.* de reformatione electioni præponenda ultro citroque agitur. 317. 319. 320. 321. 323. 324. 332. Seſſio XXXIX. 326. decretum de celebrandis Conciliis. 326. Aliud adverſus ſchismata. 327. item de profeſſione fidei a Pontifice neo-electo emittenda. 328. de translationibus. 329. de ſpoliis Epiſcoporum

porum. *ibid.* Seſſio XL. de iis, quæ futurus Papa reformare teneretur. 334, Decretum de abſentibus Benedicti XIII. Cardinalibus. 336. de modo eligendi Papam. 336. Seſſio XLI. 347. Seſſio XLII. 368, Seſſio XLIII. decreta circa reformationem. 394. Seſſio XLIV. 405. Seſſio ultima & finis Synodi. 408. Patres abire permiſſi. 411. Papæ, 414. & Cæſaris diſceſſus. 416. necnon Electoris Brandeburgenſis, aliorumque Principum. 418.

Concilium Baſileenſe, ejusdem Præſes Julianus Cardinalis. 626. 631. Præſides delegati. 631.

Concilium Dertuſanum, ejus Seſſiones & decreta. 574. & ſeq.

Concilium Pariſienſe, ejus ſtatuta. 581.

Concilium Rigenſe 589. ejus Deputati a quodam Equite Teutonico aquis ſubmerſi. 590.

Concilium Senenſe Baſileam translatum. 513. decretum de ejus translatione. 515. confirmatum a Papa. 516.

Conclave pro electione Martini V. 346. quinam fuerint illius cuſtodes. 350. quinam Cardinales illud ingreſſi. 352. de Ordine Conclavis. 354. de ejus Miniſtris. 355. pro Electione Eugenii IV. 629.

Concordata Martini V. Papæ cum Nationibus. 412.

Concubinarii, ſtatuta adverſus eos. 587.

Congregationes Nationum in Synodo Constantiensi habitæ. 7. Nationis Germanicæ. 43. ad audiendos Bohemiæ Legatos. 63. in causſa Joannis XXIII. 66. in causſa Joannis Parvi. 109. 223. in negotio reformandæ Ecclesiæ. 186. in causſa Episcopi Argentinensis. 194. in variis materiis. 214. in judicio Hieronymi Pragensis. 219. in diversis negotiis. 224. circa modum eligendi Papam. 291. Nationum pro electione Pontificis. 319. Cardinalium eadem super re. 521.

Cruciata adversus Hussitas. 454. 626.

S. Crucis Cardinalis, Legatus pacis inter Mediolani Ducem, Venetos & Florentinos. 545. In Italiam redux. 642.

Curtacoxæ obitus. 535.

Cyprus insula a Sultano Ægypti capta. 542.

Decampis Joannes, Joannem Parvum nomine Regis condemnari petit. 253.

D.

Delphinus Franciæ, ejus obitus. 193. Alius veneno occisus. 314. ejus Successor de cæde Burgundiæ Ducis suspectus. 439. ab Angliæ ac Franciæ Regibus damnatur, ab eorum sententia provocat. 458.

Dueil. Vide *Carolus.*

E.

Electio novi Pontificis a Constantiensibus ordinata. 333. dissidia Cæsarem inter & Cardinales circa hoc punctum. 306. 316. electionem Pontificis reformationi præponendam esse contra Cæsaris sententiam contenditur. 317. 320. de modo electionis agitur. 319. 321. 328. de juramento ante Martini V. electionem ab Electoribus requisito. 333.

Emanuel Græcorum Imperator Filios suos Catholicis Filiabus desponsat. 440. Unionem cum Ecclesia Latina meditatur. *ibid.* Filium suum in consortium imperii vocat. 441. pro unione Legatos ad Papam mittit. 442. Ejus oratio ad Papam. 490. Ejus obitus, ac elogium. 537. Joannes ejus Filius successor. 537. Vide *Manuel.*

Equites Teutonici, contra eos Samogitæ conqueruntur. 182. Poloni adversus eos conquesti. 212. eorum epistola ad Synodum. 244. induciæ cum illis. 380. Joannes Falkenberg illos tuetur. 381. eorum unus Deputatos Synodi Rigensis undis submergit. 590. a Cæsare defenduntur. 591.

Eugenius IV. Papa eligitur. 628. seditiones Romæ ad initium sui Pontificatus. 630. Cardinalem Julianum Basileensis Synodi Præsidem confirmat. 631.

F.

Falkenberg. Vide *Joannes.*
Ferdinandus Arragonum Rex, ejus obitus, atque elogium. 221.
Flagellantum ſecta, contra eam Gerſonius ſcribit. 295. Perperam S. Vincentius Ferrerius ei faviſſe dicitur. 297.
Flandrorum bellum ob Jacobinam Brabantiæ Ducem. 510.
Florentini quidam Martino V. injurioſi. 470. Idem Papa eorum Eccleſiam ad Archiepiſcopatum evehit. 471. bellum Florentinos inter & Mediolani Ducem. 509.
Florentinus Cardinalis, ejus obitus. 325.
Franciſcani, decretum Conſtantienſe de illis. 174. de reformatione Ordinis ſui agunt. 616.
Fratres vitæ Communis 400. contra eos Matthæus Grabon inſurgit. 400.
Fridericus Auſtriæ Dux imperio proſcriptus. 5. Joannem XXIII. haud ultra tueri rogatus. 21. in Cæſaris gratiam redit, ea lege, ut Papam reducat. 22. Joannem XXIII. Conſtantiam ducere ſpondet. 23. Cæſari reconciliatur. 45. eidem ſua bona cedit. 46. huic ceſſioni obluctatur ejus frater Erneſtus. 47. Tridentino Epiſcopo ablata reſtituere jubetur. 181. clam Conſtantia abit. 217. rurſus a Cæſare imperio proſcribitur. 217. Tirolim recuperat. 218. Congregatio hac de cauſſa habita. 241.

Ejus cauſſa in Synodo diſcuſſa. 269. Sententia a Concilio Conſtantienſi in eum lata. 272. redit in Cæſaris gratiam, 404. ſub quibus pactis. *ibid.*

Fridericus Miſniæ Marchio inveſtituram a Cæſare petit, ſed repulſam fert. 286.

Fuxienſis Cardinalis Legatus in Arragonia. 554. ſummo honore exceptus. 555. Alphonſum nonnihil offenſum prudentia ſua placat. 555. 556. poſtulata Regis & Legati. 557. Legatus Regis poſtulata ad Papam defert. 559. Romam venit. *ibid.* Regis poſtulata Papa ferme omnia approbat. 560. Roma in Hiſpaniam redux. 566. Rex ei alloquium denegat. 567. eidem omnia, quæ petiit, concedit. 569. Dertuſæ Concilium celebrat. 574. Vide *Arragonia.*

G.

Gallia, Galli Joannem Papam a Conſtanſtantienſi Synodo fuiſſe depoſitum ægre ferunt. 77. ab Anglis bello preſſi. 188. Azincurtii cæſi. 191. Regis Legati adverſus acta in cauſſa Joannis Parvi reclamant. 216. inteſtinum Gallorum bellum. 263. 396. diſſidia eorum cum Anglis compoſita. 278. novæ turbæ. 313. Delphinus veneno occiſus. 314. Galli reformationem poſtulant. 371. a Sigismundo repulſam ferunt. 371. cædes Pariſiis perpetratæ. 397. continuati tumultus. 417. cum

cum Anglis pacem ineunt. 455. pacis articuli. 456. Ambo Reges Parisios ingressi. 458. Pont-ursonem recuperant. 547. iterum amittunt ab Anglis cæsi. 548. magna eorum clades in pugna, quæ vocatur, *halecum*. 597. novi in Galliis tumultus ob Thoraciensem comitatum. 610. item ob successionem Lotharingiæ. 641.

Germana Natio reformationis negotium electioni Pontificis præponendum contendit. 321. Cardinales eam a suo proposito dimovere conantur. 323. iis tandem acquiescit. 324. Ecclesiæ disciplinam emendari postulat. 364. 371. Germanorum exercitus ab Hussitis fugatus. 632.

Gerſonius. Vide *Joannes*.

Grabon. Vid. *Matthæus*.

Græci Legationem Constantiam decernunt. 378. Eorum Legatio pro unione cum Latinis. 440. 442. Legati Constantinopolim veniunt. 460. de eorum unione agitur. 503. Eorum Imperator moritur. 526. ejus elogia. 526. Ejus successor. 527.

Gregorius XII, cessionis suæ Bulla admittitur. 52. Constantiense Concilium convocat. 111. cessionis suæ diploma offert. 113. per Carolum Malatestam Papatum dimittit. 118. Arimini cessionem suam denuo confirmat. 120. Decretum Synodi in ejus favorem. 142. ad Synodum epistolam scribit. 184. decretum de ejus obedientia reali. 247. 248. ejus obitus. 120. 366.

H.

Hafniæ concilium. 538.
Hæretici quinam vitandi. 406.
Helvetii arma in Fridericum movent. 5. Argoviam occupant. 6.
Henricus V. bellum adversus Gallos meditatur. 188. Huneflottum occupat. 189. Gallos Azincurtii profligat. 191. in Angliam redit. 192. cum Galliarum Rege colloquitur. 435. Rothomagum, 434. totamque Normanniam Gallis eripit. 435. pacis articuli cum Gallis. 455. Cum Galliarum Rege Parisios ingreditur. 458. in Angliam redit, paulo post Parisios reversus. 460. 479. a Delphino cæsus. 477. a quodam Eremita bellum ponere monetur. 479. moritur 491. 492.
Henricus VI. unius anni Princeps Henrici V. Successor. 492. Galliarum Rex proclamatur. 495. Parisiis coronatur. 639.
Henricus Cardinalis Legatus in Bohemia. 550. ab Angliæ Administratore sua legatione fungi prohibetur. 551. cum exercitu Anglia discedit. 552. an in Franciam cum hisce copiis venerit. 553.
Henricus Bavariæ Dux a Ludovico Bavaro vulneratur. 331.
Henricus de Haffia quorumdam librorum Scriptor, ejus obitus. 563.
Henricus de Turre quosdam Prælatos dire vexat. 140.

S. Hie-

S. Hieronymi Eremitarum ordo inſtitutus. 532.
Hieronymus de Praga Conſtantiam venit. 2. ſecuritatis literas petit. 3. in Bohemiam revertitur. 4. doctrinam ſuam tueri paratus. *ibid.* Synodus eidem ſecuritatem ſpondet. 13. captus Conſtantiam abducitur. 21. in Synodum convitia evomit. 22. Synodo ſiſtitur. 65. multa eidem objiciuntur. 66. carceri mancipatur. *ibid.* ſecundo examinatur. 145. ſubjectionem pollicetur. 169. ſuſpecta habetur ejus ſubmiſſio, ac retractatio. 171. denuo ad carceres ducitur. 178. Congregatio in ejus cauſſa. 219. accuſationum capita adverſus eum producta. 220. publice examinatur. 225. Ejus oratio ad Synodum. 226. in hæreſin relabitur. 227. damnandus declaratur. 228. Sententia contra ipſum pronunciatur. 229. ad rogum damnatur. 232. ejus conſtantia. 233.
Hiſpani quintam Nationem in Synodo efficiunt. 250.
Horebitarum ſecta. 453.
Huſſus vide *Joannes*.
Huſſitæ errorem de communione ſub utraque ſpecie propagant. 57. Joannem Huſſum tuentur. 80. ob Huſſi ſupplicium ſeditionem in Bohemia concitant. 167. Bohemi Proceres Huſſum defendunt. *Ibid.* de Huſſi ſupplicio conqueruntur. 187. ad Synodum vocantur. 241. earum protervia. 262. illo-

rum furor, & errores. 281. Wenceslaum Regem exauctorare moliuntur. 282. in Taboritas & Orphanos divisi. 283. decretum de communione sub utraque specie adversus eos. 308. Turbas & cædes Pragæ committunt. 308. frustra a Cæsare admoniti. 310. Bohemiam devastant. 383. a Synodo eis quidam articuli proponuntur. 384. puniendi decernuntur. 886. 387. a Wenceslao plures Ecclesias postulant. 389. eorum victoriæ contra Catholicos. 450. 452. S. Militia adversus eos indicta. 454. 626. contra eos conjunguntur Principes Catholici. 473. Catholicos Sozio abire compellunt. 474. suam agendi rationem vindicare conantur, 475. conventus sui pacta. 477. Poloniæ Regi regnum Bohemiæ offerunt. 483. decretum contra illos. 502. in Orphanos, & Taboritas divisi. 523. Hussitis a Cæsare Sigismundo sectæ eorum libertatem esse concessam falso adstruitur. 549. Hussitarum crudelitates. 592. Bambergam & Norimbergam invadunt. 625. Julianus Cardinalis adversus eos Legatus mittitur. 625. Germanorum exercitum fugant. 632. Deputatos ad Basileense Concilium decernere rogantur. 633. eorum sententia hac super re. 634. ab ipso Cæsare invitantur. 634.

I.

Jacobellus errorem de communione sub utraque

que ſpecie docet. 57. a Mauritio Pragenſi confutatus. 368.

Jacobina Brabantiæ Duciſſa, bellum ob ejus nuptias in Flandria ſuſcitatum. 510. 547. Burgundiæ Dux illam gravi bello premit. 565. ab ea hæres nominari extorquet. 566.

Jacobus I. Scotiæ Rex cuſtodia liberatus. 527. Ejus connubium. 528.

Immunitas eccleſiaſtica. 562.

Joanna Neapolis Regina Martinum V. tanquam Papam legitimum veneratur. 422. Caraccioli turpibus amplexibus aſſueſcit. *ibid.* 443. eundem ad Martinum Papam ablegat. 444. cum Papa concordiæ pa[illegible]init. 444. Alphonſum Arragoniæ Re[illegible]g adoptat. 449. ejus adoptionem reſcindit. [illegible]5. 507. Ludovicum Andegavenſem ſubſti[illegible]. 508. Sfortia eam liberat. 506.

Joanna D'Arcia vulgo Puella Aurelianenſis, vide *Puella.*

Joannes XXIII. Friburgum profugus. 6. ceſſionem ſub certis conditionibus ſpondet. 7. 24. a Synodo citatur. 12. Niemburgum fugit. 21. Briſaccum redit. 23. ceſſionis ſuæ formula rejicitur. 25. ad eum deputantur pro obtinendo ejus reditu Conſtantiam. 12. mandata his Deputatis injuncta. 19. Briſacci Papam conveniunt. 20. Conſtantiam redeunt. 24. Duo Epiſcopi cum Burgravio Nirembergenſi Friburgum abeunt, Papam reducturi. 47. altera ceſſionis

sionis formula rejicitur. 51. Constantiam venire compellitur. 47. exauctorari postulatur. 50. testes adversus ipsum audiri jubentur. 53. contumax & suspensus declaratur. 54. Sententia suspensionis. 55. Judicii acta adversus Joannem instruuntur. 59. accusationum capita adversus illum. *ibid.* Rotolphicellam captus abducitur. 62. suspensionis sententia ei denunciatur. 64. de commenda cuidam spurio Principi concessa accusatur. 67. alia accusationum capita. 68. sese Synodo submittere promittit. 69. nova ad eum Legatio. 70. Cæsari scribit. 71. in eum sententia exauctorationis promulgatur. 73. hanc sententiam acceptat. 76. Illa Gallis non probatur. 77. Gottlebiam, inde Heidelbergam abstrahitur. 77. sese Martino V. subjicit. 426. 427. Ejus obitus. 249.

Joannes Abbas Reichenhusanus Benedictinæ reformationis auctor. 271.

Joannes de Bavaria Episcopus Leodiensis dimisso Episcopatu uxorem ducit. 406.

Joannes Brezibram ad sinum Ecclesiæ reversus, Hussitis eorum crudelitates exprobrat. 592.

Joannes Campanus propositiones Joannis Parvi damnari postulat. 253.

Joannes Creit ob simoniam castigatus. 235.

Joannes Curtacoxa, ejus obitus. 535. & opera. 536.

Joan-

Joannes Dominici Legatus in Bohemia Hussitas armis compesci suadet. 389.
Joannes Falkenberg contra Polonos acerbe scribit. 381. comprehenditur. *ibid.* ejus librum damnari, Poloni petunt. 408. non auditi conqueruntur. 423.
Joannes Gersonius Joannis Parvi apologiam damnari postulat. 100. hanc causſam in Congregatione Synodali proponit. 101. eidem Episcopus Atrebatensis resistit. 110. 222. 223. Ejus oratio in discessu Cæsaris. 145. Synodum Papa Superiorem docet. 146. de discretione spirituum scribit. 148. ejus libellus in causſa Joannis Parvi. 154. quidam errores ei objiciuntur. 158. se purgat. 161. de palinodia hæreticorum tractatum scribit. 179. hæretici pertinacis indicia assignat. 180. ejus tractatus de Simonia. 183. illius oratio in Synodo de B. V. Maria. 242. Festum immaculatæ Conceptionis S. Joseph instituti petit. 242. ejus sermo & tractatus de auctoritate Synodi, & contra Joannem Parvum. 266. alius ejusdem sermo. 268. tractatus contra Flagellantes. 291. illius epistola ad S. Vincentium Fererium hac super re. 297. perperam hunc Sanctum ejusmodi sectæ favere credit. 298. ejus tractatus de communione sub utraque specie. 309. in favorem Polonorum scribit adversus Falkenbergii librum. 382. Bullæ Martini V. de non appellando obsistit. 393.

Matthæi

Matthæi Grabonis propoſitiones eſſe damnandas cenſet. 402. Fugitivus in Bavariam ſe recipit. 418. ejus obitus, ac vitæ hiſtoria. 593. ejusdem libri. 594.

Joannes Huſſus in quadam arce cuſtoditus. 1. ſibi objecta diluere conatur. 2. a Nobilibus Bohemis vindicatur. 58. de impunitatis literis eidem conceſſis. 61. 63. 136. 137. pro eo Bohemi deprecantur. 80. Deputati ad eum retractationem ſuorum errorum ſuaſuri. 81. bina vice auditur in Synodo. 83. 87. Accuſationum capita adverſus eum producta, ejusque reſponſa. 84. tertio auditur. 87. monitus a Cæſare, ut reſipiſcat. 85. 93. erroneæ ejusdem propoſitiones. 88. in carcerem reducitur. 94. Retractationis formula illi proponitur. 95. ei ſubſcribere renuit. 96. ad pallinodiam ſollicitatur. 110. 122. obſtinax. 122. 96. coram pleno conſeſſu ſiſtitur. 125. condemnatur. 127. degradatur. 128. ſæculari judicio traditur. 129. ejus libri publice flammis traditi. 131. ad rogum trahitur ac comburitur. 132. ejus conſtantia. 133. ejus libri. 134. judicium hæreticorum de geſtis Concilii Conſtantienſis in cauſſa Huſſi. 135. Catholicorum ſententia hac ſuper re. 136. Bohemis Huſſi ſupplicium ſignificatur. 147. eum tuentur Bohemiæ Proceres. 169.

Joannes Palæologus a Patre in imperii conſortium vocatus. 441. Emanueli ſuccedit.

dit. 537. contra Turcas a Martino V. auxilia petit. 624.

Joannes Parvus, ejus cauſſa agitatur. 98. adverſus eum Gerſonius perorat, 101. eum Atrebatenſis Epiſcopus tuetur. 106. ejus cauſſa in Congregatione diſcutitur. 109. Generalis ejus propoſitio damnata. 129. Atrebatenſis Epiſcopus ejus cauſſam defendit. 156. Gerſonius & Petrus Alliacenſis adverſus eum ſcribunt. 152. hos confutant alii. 153. 165. Joannes de Rocha eidem patrocinatur. 157. 196. Atrebatenſis Epiſcopus pro Joanne ad Cardinales ſcribit. 164. Ejus cauſſa denuo examinata. 196. 211. 212. 215. 222. 223. 245. Galliæ Legati contra geſta in ejus cauſſa excipiunt. 216. judicii acta adverſus eum publicata. 218. ejus propoſitiones Joannes Campanus damnari poſtulat. 253. & illius cauſſa indeciſa permanet. 254.

Joannes de Rocha Franciſcanus Joannis Parvi cauſſam tuetur. 157. Eum Gerſonius confutat. 157. 196.

Joannes Sarrazinus, ejus propoſitiones damnatæ. 617.

Judices ſæculares, Bulla contra eos in favorem Eccleſiaſticorum. 562.

Judæi Martino V. homagium exſolvunt, qualiter excepti. 362.

Julianus Cæſarinus Cardinalis Legatus in Germania contra Huſſitas. 625. nominatur a Martino V. Legatus, ac Præſes futuri Concilii

Concilii Basileensis. 626. hanc dignitatem eidem Eugenius IV. confirmat. 631. duos deputatos nominat, qui eo absente præsiderent Synodo. 631. & seq.

K.

Kiovienſis Archiepiscopus caput Legationis Græcæ ad Concilium Constantiense. 378.

L.

Ladislaus Poloniæ Rex, ejus indignæ nuptiæ. 281. privilegiis a Martino V. Papa auctus. 379. adversus Papam conqueritur. 382. 423. Ejus Regina coronata. 526. Hussitæ illi Bohemiæ coronam offerunt. 483. acceptare recusat. *ibid.* in Hussitas bellum parat. 527. Ejus dissidia cum Teutonicis Equitibus. Vide *Poloni.*

Latzenbogius, Henricus, ad liberandum Argentinensem Episcopum missus. 238. Hussitarum sectam ejurat. 239.

Leodienſis Episcopus uxorem ducit. 406. Archiepiscopus Rigensis ejus successor. 407.

Libelli famosi a Synodo Constantiensi damnati. 14.

Littomislienſis Episcopus Hussitas denuncians auditur. 61. ejus responsum ad Bohemiæ Proceres. 61.

Lotha-

Lotharingiæ Ducatus ſucceſſio controverſa. 641.
Lovanienſis Univerſitatis erectio. 540.
Ludovicus Andegavenſis hujus nominis tertius, a Martino V. in Neapolitani Regni jure confirmatus. 443. cum Arragonum Rege inducias paciſcitur. 480. a Neapolis Regina adoptatur. 508.
Ludovicus de Bavaria pro Friderico Auſtriæ Duce deprecatur. 23. 45. Ejus diſſidia cum Ciſtercienſibus. 269. Henricum Bavariæ Ducem vulnerat. 331. Ejus cauſſa coram Papa agitatur. 366. ab onere Benedictum XIII. cuſtodiendi liberatur. 369.
Ludovicus Galliæ Delphinus, ejus obitus. 193.
Lupus ab Oliveto Hieronymitani Ordinis inſtitutor. 532.
Luſitaniæ Regis Oratores ad Synodum admiſſi. 237. Rex bellum ſacrum contra Mauros movet. 380. Inſulas novas detegit. 462.

M.

Madera Inſula a Luſitanis detecta. 462.
Mahometes I. Turcarum Imperator, ejus obitus. 496.
Malateſta Carolus, Conſtantiam venit Gregorii XII. nomine Papatum dimiſſurus. 108. ab eodem Papa ad id nominatus. 109. 116. nomine Gregorii Papatum abdicat. 118.

Manfredus Dominicanus tertii Ordinis Congregationem erigit. 429.

Manuel Palæologus filios ſuos Principibus Catholicis deſponſat. 441. Joannem Palæologum in imperii ſocietatem vocat. *ibidem.* Legationem ad Papam mittit. 442. eidem ſcribit. 490. moritur. 536. Ejus Filius Joannes ſucceſſor. 537.

Manuel Chryſoloras moritur. 10.

Margarita Cliſſonia filiorum ſuorum opera Britanniæ Ducem capit. 432. complicum pœnæ. 433.

Martinuus V. Papa electus, ejus elogium. 357. illius inauguratio. 359. ſacris initiatus. *ibid.* a Cæſare, 358. & Neapolis Regina velut Papa legitimus agnitus. 365. coronatus. 360. a Judæis obſequium accipit. 362. ſuam electionem Principibus ſignificat. 362. de reformanda Eccleſiæ diſciplina ſollicitus. 363. 372. Primum ejus conſiſtorium. 366. Profeſſionem fidei a Bonifacio VIII. præſcriptam jurat. 367. Sigismundum tanquam Romanorum Regem veneratur. 370. Cardinales Benedicti ad obſequium revocat. 381. Huſſitas puniri decernit. 385. diſſidia cum Arragonum Rege. 377. Poloniæ Regem privilegiis auget. 379. ad Bohemiæ Proceres ſcribit. 388. decretum Seſſionis V. approbaſſe perperam dicitur. 386. Sigismundo Cæſari Roſam auream donat. 391. Legatum in Bohemiam mittit. 389. & in Gallias

Gallias pro componendis diffidiis. 396. a Papæ judicio appellare prohibet. 392. quædam Bullæ eidem adscriptæ. 405. Constantiensis Concilii Patribus abeundi licentiam impertitur. 411. Ejus Concordata cum Nationibus. 412. Cæsari unius anni decimas concedit. 413. Constantia discedit. 414. 415. Mantuam, & Florentiam proficiscitur. 421. a Siculis agnitus. 422. contra eum Poloni conqueruntur. 423. Perusiam recuperat. 425. Balthasar Cossa sese ei submittit. 426. 427. Græcorum Legatos excipit, & Latinos Constantinopolim mittit. 442. Neapolitani Regni jura Ludovico Andegavensi asserit. 443. Bononiam recuperat. 470. pacta ejus cum Joanna Neapolis Regina. 444. Cardinalem S. Angeli Constantinopolim mittit. 460. Florentinam Ecclesiam ad Archiepiscopatum evehit. 471. a Florentinis quibusdam illusus. 470. Romam ingreditur. 471. Alphonso Regi urbes captas restituit. 481. illum tanquam Neapolis Regem agnoscere detrectat. 481. Lithuaniæ Ducem absterret, ne Bohemiæ Regnum ab Hussitis oblatum acceptet. 486. Franciscanorum Ministrum Generalem Constantinopolim ad Græcorum Imperatorem mittit. 487. Epistola Imperatoris ad Papam. 490. Papiense Concilium Senas, 501. 504. ac demum Basileam transfert. 513. reluctanti Archiepiscopo Toletano scribit. 514. de

Synodi dissolutione decretum promulgat. 515. 516. ferme omnibus Alphonsi Arragoniæ Regis postulatis annuit. 560. Græcorum Imperatoris Legatio ad Papam. 624. ejus obitus. 627. ejus elogium. 628.

Martinus Porræus Atrebatensis Episcopus causſam Joannis Parvi tuetur. 100. adversus Commissarios excipit. 106. Joannis Parvi condemnationi sese opponit. *ibid.* adversus Gersonium libellum porrigit Cardinalibus. 109. cum Franciæ Legatis altercatur. 155. Joannis Parvi propositiones propugnat. 156. contra Cardinalem Cameracensem Joannis Parvi causſam tuetur. 164. 165. sententiam ferri postulat. 196. Galliæ Legatis adversatur. 216.

Mauri a Lusitanis cæsi. 237. a Castellanis profligati. 643.

Mauritius Pragensis Jacobellum de communione sub utraque specie confutat. 368.

FF. Minores de restauranda Ordinis sui disciplina agunt. 174. 616.

Medici infirmos visitare prohibentur, nisi illi peccata sua expiaverint. 580. 588.

Misniæ Marchio ob denegatam investituram Imperatori indignatus. 286.

Monasteria, ab ingredientibus pro ingressu nihil petendum. 585.

Moguntinus Archiepiscopus accusationes adversum se allatas diluit. 234. 235. Gregorii obedientiam realem fuisse, perperam negat. 247. 248.

Munio

Munio. Vide *Ægydius.*
Muſca hæbræus Burgundiæ Duci necem prædicit. 438.

N.

Narbonnenſis capitulatio cum Cæſare & Principibus Obedientiæ Benedicti XIII. erecta. 200. a Concilio Conſtantienſi approbata. 208.
Neapolis Regina. Vide *Joanna.* ejus Legati Conſtantiam veniunt, ad alloquium admiſſi. 243.
Norimbergæ Comitia a Cæſare contra Huſſitas celebrata. 473.

O.

Officium divinum, præſcribitur modus illud celebrandi. 582.
Orebitæ, hæretici, eorum errores. 453.
Ordo velleris aurei, ab Hiſpaniæ Regibus inſtitutus. 612.
Orphani Huſſitarum ſecta. 283.
Otto Columna, vide *Martinus V.*

P.

Palæologus. Vid. *Emanuel*, & *Joannes.*
Papa, qualem fidei profeſſionem emittat. 328. modus illum eligendi præſcribitur. 336. 333. quæ emendare tenetur. 334. propoſitiones de jurisdictione Papæ. 617.

Papienſe Concilium, vide *Concilium.*
Pariſienſe Concilium. 581.
Patriarcha Antiochenus Papæ auctoritatem tuetur. 19.
FF. S Pauli Eremitæ ad Prælaturas promoveri prohibentur. 235.
Pax Gallos inter & Anglos tentata. 437. inter Delphinum & Burgundum. 436.
Peruſium a Papa recuperatum. 425.
Petrus Dresdenſis erroris de communione ſub utraque ſpecie propagator. 57.
Petrus de Luna. Vid. *Benedictus XIII.*
Petrus de Alliaco Epiſcopus Cameracenſis Wiclefi doctrinam examinare jubetur. 8. accuſatus ſe purgat. 17. 18. Papam Synodo inferiorem affirmat. 18. 20. libellum Epiſcopi Atrebatenſis pro Joanne Parvo ſcriptum confutat. 164. 196. Joannis Parvi propoſitiones diſcuti, & damnari petit. 211. 213. tractatum ſcribit de poteſtate Eccleſiæ. 248. reformationi electionem Papæ præponendam tenet. 307. Grabonis propoſitiones damnandas cenſet. 402. ejus obitus ac libri. 534.
Philippus Burgundiæ Dux paternæ cædis vindex. 439. Florentinos bello premit. 510.
Philippus Virtutum Comes Epiſcopum Aſtenſem liberare jubetur. 278.
Philippus Maria Mediolani Dux Cæſari reconciliatus. 374.
Piccardi hæretici in Bohemia. 388.

Poggius

Poggius Florentinus Hieronymo de Praga favens. 233.
Poloni inter eos & Equites Teutonicos pax conciliata. 49. conqueruntur adversus Equites. 123. 212. eorum epistola ad Synodum. 244. induciæ cum illis. 380. contra illos Joannes Falkenberg librum scribit. 382. a Papa ad Concilium provocant. *ibid.* pro illis Gersonius scribit. *ibid.* libellum Falkenbergii damnari postulant. 408. sed frustra. 409. ac ideo conqueruntur. 423. Sophia Regis conjux coronatur. 526.
Pragmatica Caroli VI. a Burgundiæ Duce abrogata. 419.
Primæ preces, hoc jus Cæsar in Synodo discuti non vult. 212.
Puella Aurelianensis, vitæ historia. 596. Carolo VII. sistitur. 598. ei arcana manifestat. 599. ejus jussu examinatur. *ibid.* cum copiis Blessam contendit. 600. Aureliam ingressa Anglos ab obsidione urbis desistere cogit. 601. vulnerata. *ibid.* Chinone Regem adit. 602. Gergolium & Balgentiacum recuperat. 603. Anglos Patavii profligat. 604. Regem Trecas deducit. 605. ejus opera Rex Rhemis S. oleo unctus. 606. plures alias urbes Regis potestati subjicit. 607. domum redire cupit, sed invita a Rege detinetur. 607. Regi suadet urbis Parisiensis expugnationem. 609. Latiniacum capit. 613. ipsa capitur ab Anglis. 613. 614. Rothomagum

ab Anglis ducta ad rogum damnatur. 636. Virginis fama reſtituta, & ejus innocentia a Pontifice vindicata. 637. pœnæ eorum, qui ad ejus necem concurrerunt. 637.

R.

Raguſinus Joannes in Synodo Baſileenſi Cardinalis Juliani vices tenet. 631.

Reformatio Eccleſiæ, Congregationes hac ſuper re habitæ. 186. Oratio de reformatione Eccleſiæ. 193. 151. 294. Cæſar illam electioni Pontificis præmittendam cenſet. 294. obſtant Cardinales. 294. 306. 317. 320. Cardinalibus obluctantur Germani. 321. electio reformationi præponenda ſtatuitur. 323. Cardinales decretum de reformatione condere renuunt. 332. Papa poſt ſuam electionem diſciplinam Eccleſiæ reſtaurare rogatur. 334. hanc reſtaurationem Nationes a Papa petunt. 363. idem Germani, 364. 371. Galli & Hiſpani poſtulant. 371. reformationis ſchema. 372. decreta circa reformationem condita. 394.

Renatus Andegavenſis de ſucceſſione Lotharingiæ contendit. 641.

Rigenſis Archiepiſcopus Leodienſem Eccleſiam obtinet. 407. Rigenſe Concilium. 589. Deputati ab hoc Concilio a quodam Equite Teutonico undis ſubmerſi. 590.

Rocha Joannes, vide *Joannes.*
Rosa aurea Sigismundo data. 391.
Rothomagensis obsidio. 438.

S.

Salisburgense Concilium. Vide *Concilium.*
Samogittæ adversus Equites Teutonicos conqueruntur. 182.
Saresberiensis Archiepiscopus moritur, ejus elogium. 318.
Schismatis extinctio. 573.
Senonensis Provinciæ Concilium Parisiis celebratum, vide *Concilium.*
Sfortia a Neapolis Regina deficit. 446. Andegavensi adhæret. 446. Neapolim obsidet in favorem Andegavensis. *ibid.* obsidionem solvit. 448.
Sigismundus Imperator Hieronymo Pragensi securitatis literas pro defendenda ejus doctrina concedit. 4. Fridericum Austriæ Ducem imperio proscribit. 5. ejus ditiones occupat. *ibid.* securitatis literas quibusdam datas limitat. 8. Friderico reconciliatur. 23. 45. Ejus præsidium Joannes XXIII. implorat. 71. de ejus itinere agit Synodus. 72. de conferendis Germaniæ Sacerdotiis sollicitus. 79. Hussum audiri postulat. 82. Sessioni XIV. præest. 112. Hussum ad retractandum sollicitat. 122. de securitatis literis Husso a Cæsare datis. 136. itineris comites eidem a Synodo

dati. 139. Ceremoniæ in ejus discessu. 141. Synodus pro ejus securitate sollicita. 143. insidiæ ei structæ dicuntur. 144. 405. pro felici ejus itinere preces decretæ. 144. Gersonius in ejus discessu orationem habet. 145. Perpinianum venit. 165. Narbonna Parisios delatus. 209. Ibi Equitem creat. *ibid.* pacem Anglos inter & Gallos frustra conciliat. 210. 266. jus suum de primis precibus discuti prohibet. 212. ad Synodum scribit. 234. Constantiam reversus & perhonorifice exceptus. 266. Electionem Papæ reformationi postponendam censet. 294. 320. Cardinalium sententiæ hac in re cedit. 295. 324. Hussitas ad officium redire hortatur. 310. quosdam Prælatos sibi oblu-ctantes castigasse, perperam dicitur. 321. dissidia inter Bavariæ Duces componere nititur. 330. Ludovicum proscribere statuit. 331. Martino V. pedes osculatur. 358. a Papa Romanorum Rex salutatur. 370. Mediolanensium Duci reconciliatur. 374. Urbes suas repetit. 375. 395. Rosam auream a Papa dono accipit. 391. Legati in Gallias ab eo missi. 396. decimas a Papa obtinet. 413. Turbæ inde natæ. 414. Constantia discedit. 416. Bohemiæ Rex salutatur. 420. copias eo mittit. 450. cæsus ab Hussitis. 451. 452. Adversus eos Norimbergæ comitia agit. 473. pacta cum Zischa init. 520. Poloniæ Reginæ

ginæ coronationi præsens. 526. Hussitis sectæ suæ libertatem promisisse, falso asseritur. 549. Equitibus Teutonicis nimium favisse creditur. 591. Germanorum exercitus ab Hussitis fugatus. 632. Hussitas datis literis ad Basileense Concilium invitat. 634.

Simeon Thessalonicensis, ejus obitus & libri. 611.

Simonia, de ea Gersonius tractatum scribit. 183.

Sophia, vide *Poloni*.

Spolia Episcoporum. 329.

Stephanus de Praga orationem habuit de reformatione Ecclesiæ. 294.

Strigoniensis Archiepiscopus Constantiam ad Synodum venit. 268.

Sueciæ Rex pro Canonizatione trium Beatorum supplicat, 147. repulsam fert. 149.

Sultanus Ægypti Cyprum devastat. 542.

T.

Tabor Bohemiæ Urbs a Zischa condita. 451.

Taboritæ Hussitarum secta. 283. divisio inter eos & Orphanos post mortem Zischæ. 523.

Teutonici. Vide *Equites*.

Theodoricus Niem ejus obitus & scripta. 236.

Thessalonica a Turcis capta. 643.

Tolonensis Episcopi oratio de moribus Clericorum. 193.

Tridentinus Episcopus de Friderico Austriæ Duce conqueritur. 181. auditur. 241. Trimollius Bellidux custodiæ datus. 640.

Turcæ Hungariam devastant. 151. contra eorum progressus Synodus deliberat. 151. Thessalonicam occupant. 643. Joannes Palæologus adversus eos suppetias a Martino V. petit. 624.

U.

Venetiarum Dux vix non ab Andrea Contarino occisus. 623.

Venetorum bellum adversus Mediolani Ducem. 560.

S. Vincentius Ferrerius a Benedicto XIII. deficit. 207. perperam Flagellantibus faviſſe dicitur. 297. ejus obitus & scripta. 430.

Vintonienſis Episcopus Constantiam venit. 333. pacis studiosissimus. *ibid.* creatur Cardinalis a Martino V. Papa. 369.

Virtutum Comes Episcopum Astensem libertati restituere a Synodo Constantiensi jubetur. 278.

Universitas Parisiensis Papam, Constantiense Concilium, & Cæsarem datis literis ad procurandam unionem hortatur. 15.

Waldensis

W.

Waldenſis Thomas, Carmelita, ejus obitus & elogium. 619. Illius libri a Martino V. plurimum deprædicantur. 620.

Wallenrod Joannes Leodienſi Eccleſiæ præficitur. 408.

Walſingamus Thomas, ejus mors & opera. 563.

Wenceslaus Bohemiæ Rex, eum Huſſitæ exauctorare moliuntur. 282. Huſſitis nimium indulgens. 308. contra eum Cæſar quæritur. 311. ab illo Huſſitæ plures Eccleſias poſtulant. 390. coram eo armati comparent. 390. illius obitus. 420. Sigismundus in Regno Bohemiæ ſucceſſor. 420.

Wicleſus ejus doctrina examinari jubetur. 8. Ejus vita. 29. illius libri, 33. atque obitus. *ibid.* errores ſuos revocaſſe dicitur. 33. erroneæ ipſius propoſitiones damnatæ. 36. quare Synodus earum ſingulas cenſura ſua non perſtrinxerit? 41.

Witholdus Lithuaniæ Dux Bohemiæ regnum ab Huſſitis oblatum acceptat. 484. a Papa illud dimittere rogatur. 486.

Z.

Zabarella Franciſcus, ejus laus & obitus. 325.

Ziſcha vero nomine dictus Joannes de Troczonovia. 168. ab Huſſitis Dux electus. 168. munus acceptat Joannis Huſſi mortem vindicaturus. 169. ex ruſticis validum contrahit exercitum. 169. Huſſitas armatos Wenceslao ſiſtit. 390. mortuo Wenceslao electioni Cæſaris obluctatur. 420. Ejus prælia ac victoriæ. 450. Urbem Tabor condit. 451. altero oculo orbatur. 472. Pragam capit, ac Cæſareos Sileſiam repetere cogit. 452. Orebitas ſibi adjungit, pollicitus, ſe nulli Sacerdoti Catholico vitæ gratiam conceſſurum. 454. concordiæ pacta cum Cæſare init. 520. Ejus obitus. 522. poſt illius mortem Huſſitæ in Thaboritarum, & Orphanorum ſectas diviſi. 523.

ERRATA

Sic corrige:

Pag.		
47.	me - -	mei
175.	in quo Synodo -	in qno Synodus
225.	qui confirmationem -	*deleatur* confirmationem
236.	in qua - - -	in quo
237.	Conſtantiæ - -	*adde*, cui titulus
274.	declaratione - -	deliberatione
388.	liberis migrantibus, -	liberis Pragam migrantibus
388.	Pragam - -	*deleatur*, Pragam
421.	conſulit - -	conſuluit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eugenius. Epus . . Ven Fratribus . . Leodiensi et Bonon
dilectis filiis Brandelarrayal et Nicolao de Cus

generi et Cons et Bas, ab ejus initio usque
ad translationem per nos facta. Iurgiones insp

ue Bareta nostro et Sedis hac confirmatio ratisp

L. 2.

FLEURII
HISTORI
ECCLESIASTI
TOM XXVI.

Th
5178